10

3

[illegible]

DE MONTE PROPITIATORIO PRO PECCATIS, SIVE

DE SACROSANCTO, AC DIVINISSIMO Ecclesiæ Sacrificio.

LIBRI QVINQVE.


Quibus accedit Opusculum


DE APOSTOLATV

B. NATHANAËLIS BARTHOLOMÆI;

Cum Indicibus Rerum memorabilium.

Authore R. P. FABRITIO PIGNATELLO Neapolitano, è Societate IESV.







PARISIIS,
Apud FRANCISCVM MVGVET, via Citharæ, ad insigne Trium Regum.


M. DC. LX.

Cum Approbatione, & Superiorum permissu.


AD LECTOREM.

QVi post Authoris cineres vitam auspicatur quemdamus liber, non eodem, vti sperare fas est, promendus sydere, quo parens suus intempestiua funeris inclementia id temporis obrutus, quo ob cumulatas in ipso pietatis, ac sapientiæ merces, pretiosior fati rapina, nostra acerbior iactura accidit. Posthuma ingenij proles est, tuæ ergo humanitatis officium impensius abs te flagitat, Lector. Posthumum excipe, vt viuat, vt parenti vitam non sine immortalitatis fœnore reponat. Operis artificium, nihil est quod hic laudibus in antecessum efferam, indicio se prodet suo; Ea habet, quæ & Scholasticis, & concionatoribus apprimè commodat. Illi ex hoc Propitiatorij Monte septos delicato spinarum aculeo flores carpunt. Hi suum in eo invenient Hyblam, atque ad orationis mellificium purissimum delapsum è Sanctorum Patrum syderibus doctrinæ vocem exsugit. Authoris dotes, vel animi, vel ingenij magis ad viuum dabit mentis soboles sua, quam verborum color adumbret, nimirum Patrem melius Natura pingit in filio, quàm artificum lineamenta in tabulis exprimant. At ne absolutæ cæteroquin imagini, vel luminis beneficium, vel extremam coronidem desideres, pauca hic de summo circo è multis perstringo. Eminebat in ipso insignis animi demissio, atque ad exercitium pietatis exactè composita moderatio, quæ in primariæ nobilitatis homine, non vulgare ornamentum extitit. Sanè licet ea ortus Neapoli familia, quæ vel fumosis auorum ceris, vel amplissimis Principum titulis inter primas assurgit; suæ nihilominus fortunæ amplitudinem Christianæ humilitatis fastigio excesserat, adeo vt quemadmodum altis in montibus, vel in colossis plerumque accidit, sua maior vmbra, quàm mole videretur: Hinc nihil de se ipse nisi abiectè sentire, ac loqui, nihil agere visus unquam est, quod vllum elationis animi motum ostenderet. Accedebat sanctioris disciplinæ in

primis tuendæ ardor ingens, ac studium, eius enim, vt eximius cultor, ita, vbi in specula esset vigilantissimus etiam custos extitit, id vnum studens, vt quæ à maioribus per constantissimum ordinem accepimus, nam integra modò seruarentur à posteris, sed novi etiam nitoris incrementum caperent. Quod agi lenius posse ratus si familia omnis Virginis sub fide, & clientela potissimum esset, operam in id omnem contulit, vt iuuenum animi tenero erga Deiparam amore imbuti ad sanctimoniæ firmitatem adolescerent, Et quidem præferebat ipse hac in re cæteris facem; nimirum in una Virgine, cui studebat vnice spes omnes, ac rationes locarat suas, eius cultui tam impensè addictus, nihil ut prætermitteret, quod magnæ Matris dignitati apud homines amplificandæ esset. Sacras ergo Deiparæ luces, quæ revoluto in sese anno septies recurrunt præcipuo Religionis studio traducebat, erogato inter cætera frequēti pauperum coronæ prandio, eorumque animis ad Virginis Observantiam excitatis. Iam expressas eiusdem Icones religiosissimè venerabatur, qua in re piè ingeniosus aliquando est visus, plures nimirum eiusmodi tabulas, quæ Deiparam referrent, vbi ad arcendas noctis tenebras incendātur de more lycni collocauit, vt eadem opera familiæ commodis vigilaret, & ad Virginis effigiem sacras ageret ignis excubias. Cæterum nihil est, quod pluribus persequar, quo erga Augustissimum corporati Numinis sacrificium animo esset; argumento sit perfectum hoc, ac singalare industriæ monumentum, ad quod elaborandum, vt non alio nisi Religionis incitamento aggressus est, ita eodem in euulgando nihil illi erat potiùs, quàm ut rei tam Diuinæ tam veneranda Maiestas hominum animas ad sui venerationem, ac studium raperet. Idipsum porrò indicat illa, quam animo plane ingentem conceperat de regali sacerdotis apice existimatio. Ex qua factum vt collectos sæpe è Sacerdotibus, qui premi inopia viderentur, conuiuio munificè exciperet, ipso interim aperto semper capite iisdem ministrante. Quæ omnia eò dicta, ut & Posthumæ Authoris famæ consulerem, & aliqua ab eiusdem etiam laude huic operi commendationis accessio fieret: Boni Lector Consule, & Vale.



DE
MONTE PROPITIATORIO
PRO PECCATIS
SIVE
De ſacroſancto, ac Diviniſſimo Eccleſiæ Sacrificio Libri quinque.



INſtitutum à Chriſto Domino pretioſi ſui Corporis, & Sanguinis Sacrificium, & Eccleſiæ ſuæ ex teſtamento relictũ ad vſum fidelium, uſque ad finem Mundi. *Montem Propitiatorium* nuncupamus. Ac montem quidem, tum propter Analogiam ad plures rropicos montes in præcipuis præſertim Italiæ Vrbibus erectos, inter quos præſtare videntur illi, qui ob cumulatam, congeſtamque pecuniam in perpetuum uſum pauperum deputatam, Montes Pietatis appellantur, de quibus honorificè loquitur Concilium Lateranenſe ſub Leone Decimo congregatum Seſſ. decima in Conſtitutione, quæ incipit: Inter multiplices. Tũ quia ſic nominatur ab Iſaia cap. 2. illis verbis: *Et erit in noviſſimis diebus præparatus Mons Domus Domini in vertice montium.* Certè Propheta non loquitur de monte aliquo ex terra, quaſi futurum aliquando eſſet ſub Meſſia, quod narrant Rabbini apud Galatinum lib. 5. cap. 3. Ut mons Sion, in quo Templum Sacrificiorum erat, per tres Leucas ſpectantibus omnibus ſurſum attolleretur, & ſic Montibus Carmelo, & Thabori imponerentur: Fabulæ ſunt hæ Iudæorum. De alio igitur montium genere Propheta loquitur, quãvis negandum non ſit alluſionem ab illo fieri ad loca, in quibus quaſi Cœlo proximioribus ſacrificabatur Altiſſimo, quæ propterea *Excelſa* dicebantur, cuiuſmodi fuit mons Gabaon, ubi Salomon 3. Reg. 3. mille hoſtias obtulit in holocauſtum, illud *quippe*, ait Sacra Scriptura, *erat excelſum maximum.* Loquitur ergo Propheta de montibus non terreſtribus, non Iudææ, ſed Eccleſiæ. *Et erit*, inquit, *Mons Domus Domini.* Domus Domini Eccleſia eſt, iuxtà illud Angelici nuntii, Luc. 1. *Et regnabit in Domo Iacob in æternum.* Et illud Apoſtoli 1. Timoth. 3. *Vt ſcias quomodo oporteat te ambulare in Domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei vivi.* Dicitur autem Eccleſia *Domus* propter multa, ut

I. *Ratio Nominis.*

II. *Cur Mons*

III. *Explicatur Iſaiat.*

IV. *Eccleſia eſt Domus.*

ta, vt rectè notat Toletus in cap. 1. Luc. Primo quidem propter providentiam habet enim Christus peculiarem de sua Ecclesia prouidētiam sicut Rex de domo sua. Secundo propter habitationem, propriè enim homo domi habitat r *Et ego vobiscum sum* ait Christus, *usque ad consumationem saculi.* Matth. 28. Tertio propter familiaritatem, dilectionem, & vnionem, quam & nobiscum Christus habet, & nos cum eo, & inter nos habere debemus, sicut ij, qui ejusdem Domus sunt; Vnde Apost. Ephes. 2. appellat fideles *Domesticos Dei*. Sed his tribus causis additur quarta, quam indicat idem Toletus, quia sicut homines in Domibus proprijs habent pretiosa quæque recōdita, & cumulata, sic Christus Dominus in Ecclesia repositos habet Thesauros, & montes suos. Montes magnæ huius Domus, quæ est *Ecclesia*, illos mysticè dicimus, qui fructuosi sunt ex vi Institutionis, & totum suum habēt valorem ex vi operis, seu ut loquuntur Theologi ex opere operato, quales profectò sunt Sacramenta novæ legis, vt ostendimus in Opusculo nostro de Septem Montibus Romæ Cœlestis; sed quoniam Sacramenta sunt pretiosi

V. *Sacramenta sunt Montes. Vertex montium Eucharistia.*

Montes huius Domus; rogo qui nam horum Montium dicendus est Vertex, in quo scilicet erectus intelligitur mons, qui præparatus dicitur in vertice Montium? Mirabile videri posset quomodo plurium montium mons unus, idemque sit vertex. Et præparatus dicitur non in verticibus, sed in vertice montium, cum cæteroqui constet diversos montes diversis quoque verticibus coronari; sed si inter mysticos montes Sacramentorum, dignitatis, & excellentiæ ordinem spectemus, animadvertemus facile unicum esse, & summum universorum verticem, Sacrosanctum videlicet Eucharistiæ Sacramentum, vt quod cæterorum continet summam, & pretium, ut ait S. Cyprianus de Cœna Domini, & quod teste Areopagita lib. de Ecclesiast. Hierarch. est Τελετῶν Τελετὴ, ac si dicas, Sacramentum Sacramentorum.

Ecce habemus montes, & habemus Verticem Montium. Quid ergo cognoscendum restat, nisi mons ille vnicus, & singularis, qui in hoc vertice præparatus, hoc est fundatus, & erectus dicitur, ut ex Hebræo notant Interpretes? Grande profectò Mysterium, quod cum excellentia Sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua Sacramenta in eo posita sit, ut docet Trident. Sess. 13. cap. 3. quod in Eucharistia, ipse Sanctitatis autor ante vsum est. Grande, inquam, mysterium quomodo ex hoc monte, qui ob veram præsentiam Cor-

VI. *Mons in Vertice Sacrificium in Sacramento.*

poris, & Sanguinis Christi Domini, vertex est cæterorum, assurgere adhuc alius possit sublimior, & altior? Et tamen in hoc vertice montium verè mōs alius imponitur, quia in Eucharistia, quia Sacramentorum omnium Sacramento, fundatur vnicum, ac singulare Ecclesiæ Sacrificium.

Maxima res Christus est, vbicunque, & quomodumque est, sed Christus non solum præsens, sed tanquam Mundi Pontifex, & Sacerdos, se ipsum actu offerens, & sacrificans, se ipse maximo maior est. Hic igitur est mons erectus in vertice montium, vnicum, singulare Sacrificium Christianæ Religionis, & verè *Excelsum maximum*. Etenim, vt docet S. Thomas in cap. 6. Io: Alia Sacramenta, in quibus comprehendas quoque Eucharistiam habent singulares effectus, sed in immolatione huius Sacramenti, nota illud *in immo-*

immolatione, inde enim ex Sacramento consurgit Sacrificium, in immolatione, inquit, huius Sacramenti, effectus est universalis pro vivis, & defũctis, quia continetur in ipso causa universalis omnium Sacramentorum. Ecce mons in vertice montium.

VII. *Cur propitiatorius.* Verum, cur montem hunc propitiatorium potius quàm alio nomine cõpellamus? Scimus huius generis montes interdum vocari nominibus rerum, ex quibus redditus percipiuntur, ut Mons Farinæ, Mons Salis; interdum nominari à causa, ob quam instituuntur, vt Mons redemptionis Captivorũ, Mons Pietatis, Mons Fidei. Interdum ab Auctore, qui Montem ipsum instituit, erexitque, vt Mons Pius, Mons Sixtus, Mons Iulius. Et si Alexander aliquis pro indigentibus Sacerdotibus Montem erigeret; ne cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum, vel famulatum exercere cogantur, Mons Alexander, posset nominari.

Iam verò si in hac nostra Augustissimi Montis nomenclatura, habenda sit ratio rerum, ex quibus huius Montis redditus percipiuntur, appellandus sine dubio esset *Mons Passionis*, *Mons sanguinis*, *Mons vulnerum*, *Mons dolorum*, seu potius uno verbo *Mons Myrrhæ*, nam vt ait Trident. Sess.22.c.2. *Oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur*. Si verò ad causas, ob quas hic Mons erectus est, respiciamus, profectò hic vnus, omnibus, & singulis insigniri nominibus potest, quibus reliqui quocunq; Mõtes nomitantur, habet enim, ut docet S. Thom. in c.6. Io: sect.6. hoc sacrificium causalitatem vniversalem respectu omnium operum, & effectuum gratiæ.

Denique, si ad Auctorem, & Institutorem huius Montis oculos convertamus, posset tàm multipliciter vocari, quam multipliciter in Scripturis Sanctis, Vnigenitus Dei Filius nominatur.

VIII. *Cur Hæretici oderint nomẽ propitiatorij.* Verum, vt Propitiatorij potius, quàm alio quocumque nomine Montem hunc compellarem, illa causa me maximè impulit, quod viderem Hæreticos nostri Temporis ab huiusmodi vocabulo maximè omnium abhorrere. Etenim quod notavit cum alijs Bellarminus lib.2. de Missa cap. 1. facilè concedunt Hæretici hunc, quem nos appellamus hoc loco, Montem, *Latreuticum* esse, & *Eucharisticum*, quia ex his nominibus non coguntur asserere, & admittere Sacrificium Ecclesiæ propriè dictum, nam Eucharistia etiamsi non esset aliud nisi Sacramentum, vtique ad honorem Dei fieret; quod est esse Latreuticum, & in gratiarum actionem pro beneficio accepto Redemptionis, quod est esse Eucharisticum; At verò quod ipsi mordicus negant, hoc est, esse videlicet verè propitiatorium, etiam alijs, quàm ipsis sumentibus, quia sic coguntur fateri, esse propriè dictum Sacrificium. Neque enim ignorare possunt communem Theologorum omnium doctrinam, id nimirum esse discriminis inter solum Sacramentum, & Sacrificium, quod Sacramentum suscipientibus tantùm prodest, Sacrificium verò alijs non suscipientibus. Quare Theologorum Princeps S. Thomas 3.p.quæst.79. art.5. in corpore hoc, inquit, simul est Sacrificium, & Sacramentum, sed rationem Sacrificij habet, in quantum offertur, rationem autem Sacramenti in quantũ sumitur; & ideo effectum Sacramenti habet in eo, qui sumit, effectum autem Sacrificij in eo, IX. *Discrimẽ inter Sacramẽtum, & sacrificium.*

qui

qui offert, vel in his, pro quibus offertur. Et rursus art. 7. eiusdem quæstionis. Sic ergo, inquit, hoc Sacramentum sumentibus quidem prodest, & per modum *S*acramenti, & per modum Sacrificij, quia pro omnibus sumentibus offertur, sed aliis, qui non sumunt prodest per modum Sacrificij, in quantum pro salute eorum offertur. Et vtrumque modum proficiendi Dominus expressit dicens Matth. 26. & Luc. 25. qui pro vobis, scilicet sumentibus, & pro multis scilicet alijs effundetur in remissionem peccatorum. Hinc Lutherus, Calvinus, Kemnitius, & alij nihil magis odio habuerunt, quàm hoc nomen propitiatorij, & nihilo minus nunc illorum Sectarij in hoc insuper. *Montis* nomen impingent, quod est nomen communis boni. Dicam tamē cum Augustino in c. 2. Epist. 1. B. Jo: Montem non vident, nolo mireris, oculos non habent; vnde oculos non habent? quia tenebræ excecauerunt eos. Loquitur Augustinus de Monte Domus Iacob, qui est Ecclesia, eiusque caput, & vertex Christus seipsum quotidie offerens in remissionem peccatorū, ideo post medium Tractatus huius, ait, in illo Monte esto, qui implevit orbem terrarum, quia Christus *propitiatio* est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed & totius Mundi, quem suo sanguine comparauit.

Et quoniam Isaias dum de hoc Monte meminit, refert voces filiorum Ecclesiæ, mutuo se adhortantium, & inuitantium. *Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas.* Quam mallem iisdem vocibus omnes homines excitare; Venite ascendamus. Ire, ait Rupertus de Trinit. cap. 9. in Isai. credere est; dicere: Venite, alios quoque ad credendum invitare est. Venite ergo ascendamus, credamus, quia ipse Deus Iacob per suam Ecclesiam docebit nos, audi quid doceat. *Docet Sancta Synodus*, verba sint Tridentini sess. 22. cap. 2. Sacrificium istud. *Verè propitiatòrium esse. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit.*

X. *Ascendendum ad hunc Montem per fidem.*

Marcellus Spinellus Præpositus Provincialis Societatis IESV, in Regno Neapolitano.

CVm Librum (cui Titulus *de Monte Propitiatorio pro peccatis, seu de Sacrosancto, ac divinissimo Ecclesiæ Sacrificio; & Opusculum de identitate Sancti Nathanaelis, & Bartholomæi Apostoli*) Patris Fabritij Pignatelli nostræ Societatis, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit recognoverint, & in Lucem edi posse probauerint, potestate ab Adm. Reu. Patre nostro Generali Præp. Gosuuino Nikel ad id nobis tradita, facultatem concedimus vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostræ Societatis munitas dedimus. Neapoli die 1. Aprilis 1660.

MARCELLVS SPINELLVS.

LI-



LIBER PRIMVS

De Erectione Montis Propitiatorij pro peccatis,

SIVE

De Institutione Sacrosancti Ecclesiæ Sacrificij.



NIHIL magis contra nos jactant huius ætatis Hæretici, quàm quod in toto Nouo Testamento, nusquam inueniatur in nostra significatione vocabulum, aut Sacerdotij, aut Victimæ, aut Templi, aut Altaris, vnde constare possit ex verbo Dei institutio Sacrificij; Inde enim in nos inuecti, & vbinam gentium, inquiunt, est huius institutionis vestigium, si ne vocabula quidem vspiam apparent? Accedit quod Minutius Felix auctor antiquissimus quippe æqualis Tertulliani, & Causidicus Romanus insignis, vt testatur S. Hieronymus in Dialogo, qui inscribitur Octauius, inducit Cæcilium Ethnicum ita loquentem cum Octauio Christiano. *Cur nullas Aras habent Christiani, nulla Templa, nulla Simulacra?* Ex quo videtur inferri posse propterea in scriptura Canonica nouæ legis hujusmodi non extare vocabula, quia in antiqua Ecclesia res ipsa non erat. Ideo dictitabat Caluinus, Mensam nobis Christus dedit, in qua epulemur, non altare, super quod offeratur victima.

I. *Cur Scriptura Noui Testamenti abstineat à vocibus sacrificalibus.*

Verùm quod in Scriptura Noui Testamenti nulla hujusmodi vocabula in

hac significatione legantur, illa affertur ratio, & quidem optima à nostro Bellarmino lib. 1. de Miss. cap. 17. quia enim, inquit, Apostolorum tempore adhuc vigebat Sacerdotium Iudaicum, & sacrificia cruenta offerebantur in Templo Hierosolymitano; Apostoli, Domino inspirante, non vtebantur nominibus Sacerdotij, Sacrificij, Templi, Altaris, & similium rerum, vt facilius distinguerent Christiana sacra à Iudaicis, & ne putarentur, si iisdem vterentur vocibus, eosdem illos ritus innouare, aut confirmare; sed paulopost euerso Templo Hierosolymitano, & cessantibus omnino sacrificiis Hebræorum, liberè cœperunt antiquissimi Patres vti nominibus Templi, Altaris, Sacerdotij, & sacrificij, vt res ipsa postulabat.

II. *Cur solus B. Ioannes illas liberè vsurpet in Apocalypsi.*

Atque hæc, meo quidem iudicio, causa est cur inter Scriptores Canonicos Noui Testamenti, solus Beatus Ioannes suam Apocalypsim frequentissimè sparserit nominibus, Templi, Altaris, Agni, & Sacrificij. Causa, inquam, est, quia B. Ioannes Scriptorum omnium Canonicorum tempore vltimus, scripsit Apocalypsim non ante excisum Templum Hierosolymitanum, vt pauci quidam Autores contendunt, sed diu post illud euersum, & Sacerdotium Iudaicum planè deletum; nam Hierusalem euersa funditus est anno Christi 72. Apocalypsis autem scripta est anno Christi 97. post relegationem S. Ioannis in Patmos, vt ipse ait cap. 1. ver. 9. nam hæc relegatio facta est à Domitiano, decimoquarto anno eius Imperij, secunda post Neronem excitata in Ecclesiam persecutione. Domitianus autem regnauit post Titum euersorem Hierosolymæ. Itaque B. Ioannes suam scripsit Apocalypsim viginti quinque annis post omnimodam Iudaici Sacrificij cessationem, quod totum constat ex Eusebio in Chronicis, S. Hieronymo, & S. Irenæo, qui lib. 5. ait Apocalypsim scriptam fuisse penè, inquit, sub nostro sæculo ad finem Domitiani imperij. Meritò autem hoc dicit Irenæus, inquit Ribera in Apoc. quoniam Domitianus quindecim annis, & mensibus quinque Imperium tenuit, & 14. est Apostolus relegatus, qui fuit ab ortu Seruatoris nonagesimus septimus, ab euersa Hierusalem vigesimus quintus; quia ergo exciso Templo, qui erat vnicus locus Sacrificiorum omnium antiquæ legis, cessauerat ratio cur Apostoli à communione vocabulorum illorum abstinerent, ideo S. Ioannes liberè illa vsurpauit, vt quæ iam non de Synagoga intelligi poterant, sed necessario de Ecclesia.

III. *Sacrificia Christiana vix nota Ethnicis.*

Neque verò quidquam contra hoc facit testimonium Ethnici Cæcilij apud Minutium Felicem; nam quod etiam aduertit Bellarminus, Christiani illis temporibus duplici de causa diligentissimè cauebant, ne vlli Ethnici interessent sacris nostris. *Primum*. quia non erant idonei ad tanta mysteria intuenda; *Deinde* ob metum persecutorum, propter quam causam etiam frequenter in Cryptis, & cauernis, vel certè in priuatis domibus furtim rem diuinam facere cogebantur; quare vulgo existimabantur Christiani planè Athei, quod nullis Diis palam sacrificare cernerentur. Cæterum non solum tempore Minutij Felicis, sed etiam multo ante habuisse Christianos Altaria, & sacrificia perspicuum est ex testimoniis Minutio antiquioribus, vnde S. Proclus vnus ex antiquis, & Orthodoxis Patribus, qui paulo post Chrysostomum fuit Episcopus Constantinopolitanus, in libello de Traditione Diuinæ Lithurgiæ dicit, Apostolos post Ascensionem Domini antequam diuiderentur in varias Regiones,

IV. *Consuetudo quotidiana sacrificij, ab initio Ecclesiæ.*

totos se ad quotidianum Sacrificium celebrandum colligere solitos, semper in memoriam habentes illud, *Hoc est Corpus meum;* quam quidem Apostolicam consuetudinem satis declarauit Ægeæ Proconsuli B. Apostolus Andreas illis verbis: *Ego omnipotenti Deo immaculatum Agnum quotidie sacrifico*, vt scribunt Presbyteri, & Diaconi Acaiæ in eius passione. Neque propterea hæc dicimus, quasi ex verbo Dei scripto, etiam noui Testamenti probare non possimus institutionem sacrosancti Ecclesiæ Sacrificij, id enim ex hoc primo Libro non obscurè constabit, sed ne Aduersarij tantum in eo confidant, quod vocabulum hoc *Sacrificium* in noui Testamenti Scriptura non inueniatur expressum.

Porrò quoniam propositum nobis in hoc opere potissimum est principia omnia doctrinæ, quæ ad hanc materiam pertinent, non solum ex Scripturis, & Patribus, sed ex Scholasticis etiam Doctoribus definire, opportunum consilio ducimus libros singulos in plures Quæstiones, alias Scripturales, alias Theologicas partiri. Sit igitur,



QVÆSTIO PRIMA.

An in Veteri Testamento fuerint Montes Propitiatorij pro peccatis.

I. *Proprietates Montium politicorum.*
II. *Sacrificium pro peccato institutum ad modum Montis.*
III. *In Veteri Testamento plures erant Montes Propitiatorij.*
IV. *An Sacrificia pro peccato habuerint promissionem de remissione.*
V. *Promissiones factæ Sacrificiis propitiatoriis.*
VI. *Sacrificia pro peccato erant verè propitiatoria.*
VII. *Ratio dubitandi in oppositum.*
VIII. *Non pro omnibus peccatis erant Sacrificia propitiatoria.*
IX. *Promissio remissionis peccatorum propria Testamenti noui.*
X. *Conciliantur Scripturæ.*
XI. *Promissiones factæ Sacrificiis pro peccato erant de remissione quoad pœnas temporales.*
XII. *Sacrificia valebant etiam ad expiationem maculæ legalis.*
XIII. *Sanguis Victimæ pro peccato habebat suam vim ex opere operato.*
XIV. *Oratio Ministri non erat de essentia illius Sacrificij.*



QVATVOR ferè sunt proprietates Montium, quos pecuniarios vocant; ad horum enim similitudinem, Montes, de quibus agimus dicti sunt. *Prima* est, vt sit summa quædam ingens pecuniæ, nisi enim sit pecuniarum aceruus, & cumulus non est Mons. *Secunda*, vt huiusmodi pecuniarum cumulus, sit certus, firmus, ratus, & ferè immobilis, I. *Proprietates Montium politicorum.*

hoc eſt, ex certis redditibus annuis perpetuo inſtauratus: Montes enim per Antiphraſim à mouendo, quod nunquam moueantur dicti ſunt. *Tertia*, vt ea ſumma ad plures, & eas ferè publicas vtilitates, & commoda congeſta, & deputata ſit. Sunt enim Montes publica beneficia, dum niues, vapores, nebulas, nubeſque recipiunt, & colligunt, eaſque in aquas reſoluunt, atque ita torrentium, & fluminum ſunt cauſa, & origo, quibus agri rigantur, & fœcundantur. *Quarta*, & potiſſima, & quæ magis videtur propria Montium Myſticorum, quàm naturalium, eſt, vt fructus ſint infallibiles iis, quorum beneficio, & commodo inſtitutus Mons eſt, ita vt, ſi ab his fiant, quæ Montis leges præſcribunt, & obicem non ponant, ſequatur certò effectus iuxtà Montis inſtitutionem, ad quam ſolum in fructibus diſtribuendis attenditur.

II. *Sacrificium pro peccato inſtitutum ad modum Montis.*

Ex his proprietatibus facile erit colligere Sacrificium illud Veteris legis, quod ex vſu Scripturæ dicebatur *Sacrificium pro peccato*, cuius finis præter Dei cultum, propitiatio erat irati Dei, & peccatorum remiſſio verè à Deo erectum, atque inſtitutum fuiſſe in modum Montis; nam (quod tres priores complectitur proprietates) erat ingens vis ſanguinis, omnis generis victimarum ad placationem Dei, & perpetuum vſum expiationis peccatorum legitimè deputata, & quidem (quæ tandem erat quarta proprietas) cum certa Dei promiſſione ipſi operi externo facta de tali expiatione, & remiſſione, in qua tota conſummatur eſſentia Montis propitiatorij.

III. *In Veteri Teſtamento plures erant Montes Propitiatorij.*

Immò quod eſt planè notandum, non vnus tantùm, & ſingularis, perſonis omnibus Propitiatorius Mons fuit in Veteri Teſtamento, ſed tot erant huiuſmodi Montes, quot ordines perſonarum, vt enim conſtat ex cap. 4. Leuitici, vbi ſermo eſt de peccato per culpabilem ignorantiam, ſiue Iuris, ſiue facti commiſſo. Quatuor ſtatuuntur iſtiuſmodi Montes. Primus pro peccato Summi Pontificis. Secundus pro peccato totius populi. Tertius pro peccato Principis, ſeu cuiuſcumque Capitis, & Primi, aut in Familia, aut Tribu, aut Exercitu. Quartus pro peccato plebeij. Quare quàm certum eſt in Veteri Teſtamento Sacrificia propitiatoria pro diuerſitate ordinum perſonarum fuiſſe, tàm certum videtur plures huiuſcemodi Montes extitiſſe.

IV. *An ſacrificia pro peccato habuerint promiſſionem de remiſſione.*

Et ſanè, qui concedunt Sacrificia illa habuiſſe adnexam Diuinam promiſſionem de expiatione aliqua peccatorum, & verè aliquam eorum remiſſionem ex vi inſtitutionis effeciſſe, vt ferè ſunt omnes Catholici, negare omnino non poſſunt illa per modum Montis erecta fuiſſe: At plerique Hæreticorum, qui vmbras timent Propitiatorij Montis Eccleſiæ, id planè negant, aiuntque Sacrificium pro peccato dictum quidem in Scriptura fuiſſe propitiatorium, non quod verè expiaret peccata, vel Deum placaret, ſed tantùm quod adumbraret, vel ſignificaret futurum aliquando ſacrificium Crucis, quod ſolum reipſa propitiatorium pro peccatis eſt.

V. *Promiſſiones facta ſacrificiis propitiatoriis.*

Sed verè promiſſiones, ſacrificiis illis adnexæ nimis expreſſæ ſunt in Scriptura. Vbi enim agitur de ſacrificio pro peccato populi Leuit. 4. exprimitur promiſſio illis verbis: *Propitius erit eis Dominus.* Rurſus vbi agitur de ſacrificio pro peccato Principis, deſcripto illius ritu, concluditur: Rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, *& dimittetur ei.* Hoc idem repetitur in deſcriptione Sacrificij pro peccato plebeij. Hoc idem cap. 5. v. 10. & ibidem ver. 16.

& iterum ver. 18. & cap. 6. ver. 7. & alibi. Neque ſolum in lege Moyſis, ſed etiam in lege Naturæ ſacrificia fuiſſe propitiatoria, & vim ad Deum placandum habuiſſe, manifeſtum eſt ex libro Iob, ibi enim cap. 1. legimus ſanctum Iob, qui in lege Naturæ viuebat, quotidie pro peccatis filiorum ſuorum ſacrificaſſe Deo, & cap. vltimo, Deum ipſum iuſſiſſe, vt amici Iob, ſacrificia offerrent pro peccato, quibus placari volebat iram ſuam.

Ad quæ clariſſima teſtimonia reſpiciens Bellarminus lib. 6. de Euchariſtia cap. 2. Si illa, inquit, ſacrificia tantùm ſignificabant futuram purgationem, non etiam aliquo modo purgabant, falſa erunt verba Scripturæ Leuit. 4. quæ ſæpè repetuntur: *Offerat Sacrificium, & orabit Sacerdos pro peccato eius, & dimittetur ei.* Et ſimiliter falſum eſſet quod legimus in Iob, Deum placari voluiſſe ſacrificiis. Erant igitur illa ſacrificia ex vi ſuæ inſtitutionis verè propitiatoria, & placatoria, & non ſolum figuræ, & vmbræ propitiationis ſacrificij Crucis. VI. *Sacrificia pro peccato erant verè propitiatoria.*

Ex altera vero parte Apoſt. Hebr. 10. expreſſe ait, quod *impoſſibile eſt ſanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata;* quod perinde eſt ac dicere, ſacrificia illa nequaquam valuiſſe ex vi ſuæ inſtitutionis ad remiſſionem peccatorum. Neque minus clarè Ierem. 11. *Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?* vocat carnes ſanctas, ait S. Hieron. victimas, & ſacrificia pro peccatis, quæ non poterant auferre peccata. Certè Ezechielis cap. 18. cum de remiſſione peccatorum agitur, nuſquam fit mentio ſacrificiorum; immò ex iiſdem locis Leuitici, ex quibus probatur ſacrificia illa habuiſſe annexam promiſſionē remiſſionis peccatorum, probatur eam vim remittendi peccata non habuiſſe; nam ex illis conſtat, non pro omnibus peccatis, & præſertim grauioribus inſtituta fuiſſe ſacrificia. Inſtituta quidem illa fuerunt pro peccatis ignorantiæ, præſertim contra cæremonias legis. Item pro peccatis circa damnum proximi in rebus externis, & pro periurio, etiam ex cupiditate habendi res alienas prolato, vt patet Leuit. 6. Cæterum pro blaſphemia, pro homicidio, pro adulterio, pro idololatria, & huiuſmodi grauioribus peccatis expiandis nullus inuenitur erectus Mons, nullum ſacrificium inſtitutum. Neque obſtat, inquit Bellarminus, cuius obſeruatio hæc eſt lib. 2. de Effec. Sacr. cap. 17. quod Leuit. cap. 6. dicitur; Sacrificio Arietis expiari omne id peccatum, quo peccare ſolent homines, nam loquitur ibi de omni peccato circa ablationem rei alienæ, non de omni peccato ſimpliciter, alioquin, inquit ille, fruſtrà capitibus ſuperioribus ponerentur varia ſacrificia pro variis peccatis. Hoc autem poſito ſic argumentor. VII. *Ratio dubitandi in oppoſitum.* VIII. *Non pro omnibus peccatis erant Sacrificia propitiatoria.*

Mons, exempli gratia, Periurij nullo modo valebat ad expiationem Blaſphemiæ, vel Homicidij; erat enim peculiare ſacrificium pro peccato Periurij in damnum proximi, vt diximus, nullum verò pro Blaſphemia; ergo neque valebat ad expiationem ipſius Periurij. Probo facile hanc conſequentiam, quia ex omnium Theologorum doctrina, Deus nunquam remittit vnum peccatum quin remittat omnia; præſertim ſi remiſſio fiat per infuſionem gratiæ, quæ oppoſitionem formaliter habet cum omnibus. IX.

Denique Sententia Catholica eſt, Sacramenta Veteris legis, inter quæ præcipuum erat ſacrificium pro peccato, non contuliſſe gratiam ex opere operato, id enim docent omnes Theologi in 4. diſt. 1. & definiuit Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum. Et præcipuum fundamentum eſt, quia non habue- *Promiſſio remiſſionis peccatorum propria Teſtamenti noui.*

runt adnexam promissionem remissionis peccatorum; cum enim dixisset Apost. Hebr. 8. Testamentum nouum, *melioribus repromissionibus sancitum est.* Explicans, quæ sunt istæ repromissiones meliores noui Testamenti, profert illud Hier. 31. *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius.*

Quomodo ergo concordabunt Scripturæ? quomodo inter se non pugnabunt? Quomodo erit simul verum dicere, Sacrificia pro peccato instituta in modum Montis propitiatorij fuisse, & vim pro peccatis propitiandi ex sua institutione

X. *Conciliantur Scriptura.*

non habuisse? habuisse certas promissiones de remissione peccatorum, & remissionem nullam peccatorum effecisse?

Inter duo hæc extrema, medius tutissimus ibis, si dicas cum Bellarmino, Sacrificia pro peccato habuisse annexam promissionem de remissione peccatorum,

XI. *Promissiones factæ sacrificiis pro peccato erant de remissione quoad pœnas temporales.*

non quoad culpam, & pœnam æternam, sed quoad pœnam aliquam temporalem; sic ille lib. 2. de Sacramentis cap. 17. & lib. 4. de Pœnitentia cap. 15. vbi ait: promisit Deus offerentibus ea sacrificia remissionem peccatorum; quæ promissio cum intelligi nequeat de remissione quoad culpam, & pœnam æternam, id restat vt intelligatur de remissione peccati quoad pœnam temporalem. Et rursus lib. 2. de Miss. cap. 2. Deum propitiabant quoad pœnas temporales, & alibi sæpius: quæ distinctio optimè fundatur in doctrina generali, quam affert S. Augustinus in Psalm. 72. vbi dicit promissiones Veteris Testamenti, & Noui esse diuersas, vt ipsa etiam Testamenta sunt diuersa; sicut autem Vetus Testamentum temporale erat, Nouum autem æternum, ita promissiones Testamenti Veteris de rebus temporalibus erant, Noui verò de æternis, & quia in peccato est duplicis reatus pœnæ videlicet æternæ, & temporalis, ideo promissio de remissione peccati quoad pœnam temporalem pertinet ad Vetus Testamentum, quoad pœnam verò æternam, quæ est per se connexa cum culpa lethali, ad Nouum spectat.

XII. *Sacrificia valebant etiam ad expiationem maculæ legalis.*

Accedit, Sacrificia illa non solum habuisse promissionem annexam de remissione culpæ quoad pœnam temporalem, sed etiam aliquam expiationem, & purgationem effecisse immunditiæ, seu maculæ legalis, & quidem in figura expiationis à peccatis, quæ fit per Christum, vt docet S. Thom. 1. 2. quæst. 103. art. 1. In veteri enim lege duplex, inquit, immunditia obseruabatur. Vna quidem spiritualis, quæ est immunditia culpæ, de qua nunc non loquimur. Alia verò temporalis, quæ tollebat idoneitatem ad cultum Diuinum; sicut leprosus dicebatur immundus, vel ille, qui tangebat aliquod morticinum, & sic immunditia nihil aliud erat, quàm irregularitas quædam. Ab hac igitur immunditia cæremoniæ veteris legis, inter quas præcipua erant Sacrificia pro peccato, habebant virtutem emundandi, quia huiusmodi cæremoniæ erant quædam remedia adhibita ex ordinatione legis ad tollendas prædictas immunditias ex Statuto legis inductas. Hæc S. Thomas, qui ad hoc probandum affert insignem illum locum Apostoli Hebr. 9. Si enim sanguis hircorum, aut taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum

XIII. *Sanguis Victi-*


Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Probat, inquit S. Doctor, Apostolus efficaciam Sanguinis Christi

per locum à minori, quia si sanguis brutorum animalium faciebat, quod minus est, Sanguis Christi poterit facere quod maius est. Quod argumentum, vt vim habeat præsupponit necessario Sanguinem illum animalium ex Diuina institutione aliquam vim sanctificandi, & expiandi habuisse, quocumque tandem modo illa sanctificatio, & expiatio explicetur. Quæ sententia sine dubio est omnium antiquorum, neque satis apparet quod contra illam objici possit, nisi fortasse quod Leuit. 4. vbi præscribuntur huiusmodi Sacrificia propitiatoria pro peccatis, præscribitur etiam, vt oret Sacerdos pro iis, pro quibus est sacrificium, vnde videtur sequi illam expiationem, seu remissionem modo superius explicato, non fuisse ex vi operis, seu ex opere operato, sed potius ex opere operantis Ministri. *ma pro peccato habebat suam vim ex opere operato.*

XIV. *Oratio Ministri non erat de essentia illius sacrificij.*

Sed respondetur (quod non inobseruatum omisit Bellarminus) orationem illam Sacerdotis non fuisse de essentia Sacrificij pro peccato, sed solum addi debuisse in vsu, seu administratione Sacramenti illius, siue ad facilius, siue ad vlterius impetrandum, dico Sacramenti illius, quia Sacrificia pro peccato erant etiam Sacramenta Testamenti Veteris, & respondebant Sacramento nostro Pœnitentiæ, vt S. Thomas docet 1. 2. quæst. 102. Quod autem illa Oratio non fuerit de essentia Sacrificij pro peccato patet, quia vt habemus in eodem cap. 4. Leuit. in Sacrificio pro peccato Sacerdotis nulla Oratio adhibebatur, sed solum in Sacrificio pro peccato aliorum de populo, quod manifestè ostendit effectum illius Sacrificij proprium non habuisse dependentiam neque ab Oratione, neque à conditione Ministri.

Maneat ergo quod initio propositum erat in Veteri videlicet Testamento, Sacrificia pro peccato in modum Montis instituta à Deo fuisse, atque adeo veros Propitiatorios Montes in Veteri Testamento extitisse.



QVÆSTIO SECVNDA.

An sit in Ecclesia Mons Propitiatorius pro peccatis.

I. *Primum fundamentum ex comparatione Noui, & Veteris Testamenti.*
II. *Deus, quæ semel instituit non omnino substulit, sed perfecit.*
III. *Antiquitas huiusmodi Montium.*
IV. *Alterum fundamentum ex figuris.*
V. *Omnia sacrificia antiqua, etiam cruenta, figura erant sacrificij Eucharistici.*
VI. *Sacrificium propitiatorium Crucis, non fuit datum in Montem Ecclesiæ.*
VII. *Montes cum Religione durant.*
VIII. *Sacrificium Crucis fuit simpliciter ante legem Euangelicam, quia ante eius solemnem promulgationem.*

IX. *Montes Religionis sunt accessibiles.*

X. *Sacrificium Crucis non est proprium Christianæ Religionis.*

XI. *Cur sacrificium nostrum dicatur Mons, domus Iacob, & non Abraham, aut Isaac.*

XII. *Solum tota domus Iacob repræsentauit Ecclesiam.*



QVOD in Ecclesia verus nunc Mons existat propitiatorius pro peccatis ad Hæreticorum perfidiam arguendam, & fidem excitandam Catholicorum, duplici argumento demonstrabimus.

I. *Primum fundamentum ex comparatione Noui, & Veteris Testamenti.*

Primum sumimus ex comparatione Noui, & Veteris Testament tali pacto. In Veteri Testamento fuerunt Montes Propitiatorij habentes annexam promissionem de remissione peccatorum; ergo etiam esse debent in nouo Testamento, & in Ecclesia. Antecedens constat ex paulò ante disputatis. Consequentia probatur ex illo principio, quod vrget Bellarminus lib. 5. de Eucharistia cap. 21. quia Christus non omnino substulit ea, quæ Deus in Veteri lege instituerat, nec enim contrarius erat Patri suo, aut sibi ipsi, sed aut perfecit, aut mutauit in meliora, vt patet in Præceptis, & Sacramentis; nam Præcepta non substulit, sed explicuit, Matth. 5. & consilia addidit, quæ ad Præceptorum perfectam obseruationem conducunt; pari ratione Sacramenta Circumcisionis, Agni Paschalis, & similia non substulit, sed mutauit in alia verè, & propriè dicta Sacramenta, &, vt Augustinus dicit Epist. 118. pauciora, faciliora, & præstantiora; ergo eodem modo Montes propitiatorios non debuit omnino tollere de medio, sed mutare.

II. *Deus, quæ semel instituit non omnino substulit, sed perfecit.*

III. *Antiquitas huiusmodi Montium.*

Addo, Montes huiusmodi propitiatorios non fuisse primum in lege Mosis institutos, sed ex lege naturæ ortum habuisse, vt patet in sacrificiis Iob pro peccatis suorum filiorum; ergo etiam si Christus abrogare voluisset omnia instituta legis Mosaïcæ, non tamen hos Montes omnino abrogare debuisset, cum præsertim causæ cur in omni lege fuerint Montes propitiatorij, omnes inueniantur etiam in nostra.

IV. *Alterum fundamentum ex figuris.*

Secundum Argumentum sumimus ex figuris hoc modo. Omnes Montes propitiatorij veteris Testamenti figurabant Montem propitiatorium Ecclesiæ; ergo est Mons propitiatorius in Ecclesia, qui successit omnibus illis. Antecedens Kemnitio aduersatur apud nostros Controuersistas; ipse enim, vt refertur, docebat sacrificia veteris Testamenti fuisse quidem figuras implendas in Nouo, sed impletas esse in vnico sacrificio Crucis, quod est solum propitiatorium pro peccatis. At nos hoc antecedens probamus primo ex generalibus propositionibus Patrum, quibus docent vnicum Ecclesiæ sacrificium successisse omnibus omnino sacrificiis veteris legis, atque adeo etiam illis, quæ erant in modum Montis erecta, & instituta pro remissione peccatorum. Secundo ex ratione, quia sacrificium Crucis, quamuis reuera fuerit propitiatorium, non tamen erectum, & institutum fuit ad modum Montis.

V. *Omnia sacrificia antiqua etiam cruenta figuræ erant sacrificij Eucharistici.*

Audiamus primo Patres, in vniuersum affirmantes figuras fuisse sacrificia illa Eucharistici sacrificij. Sanctus Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 20. Mensa, inquit, quam Sacerdos noui Testamenti exhibet de Corpore, & Sanguine suo est; *id est enim sacrificium, quod successit omnibus sacrificiis*, quæ immolabantur

tur in vmbra futuri. S. Leo ferm. 8. de Passione. Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, *Omnes* differentias hostiarum, *Vna* corporis, & sanguinis sui implet oblatio. S. Chrysostomus in Psal. 95. Omnia veterum sacrificia, noua superueniens gratia, *Vno* complectitur sacrificio.

Neque propterea nos affirmamus, aut affirmarunt Patres, sacrificia antiqua ita Typos fuisse sacrificij Eucharistici, vt simul non fuerint sacrificij Crucis, immò non potuerunt esse typi Eucharistiæ, quin etiam Passionis essent, cum Eucharistia ipsa repræsentatio, & commemoratio Passionis sit. Quod dicimus verò est, & addimus etiam prædictæ Patrum doctrinæ, sacrificia illa propitiatoria in quantum rationem Montis habebant, non fuisse, vt sic, typos sacrificij Crucis, quia (quæ erat ratio à nobis proposita secundo loco) sacrificium Crucis, quamuis reuera fuerit propitiatorium, non tamen erectum, & institutum fuit ad modum Montis, quod ex Bellarmini doctrina non obscurè probamus. VI. *Sacrificium propitiatorium Crucis, non fuit datum in Montem Ecclesiæ*

Primò, quia Montes sic instituti sunt Montes legis, & Religionis, idcircò cum ipsa Religione nati sunt, & tamdiu durant, quamdiu Religio, & lex durat, neque ante debent transferri, quàm transferatur lex, vt Apostolus docet Hebr. 7. At sacrificium Crucis semel peractum est, ac deinde desiit esse, neque mansit postea, nisi per effectum, & virtutem, immò in rigore loquendo nunquam fuit tempore Christianæ legis, & Religionis, ea enim post Christi mortem propriè cœpit, neque ante, sed ipso die Pentecostes, nimirum 50. post primum Pascha Christianorum, sicut lex vetus solemniter promulgata fuit in Monte Syna die 50. post primum Pascha Iudæorum; fuisse enim antiquam legis promulgationem figuram promulgationis Euangelij docent Patres communiter, & in primis Augustinus Epist. 119. Itaque primum, die Pentecostes completis per Ascensionem Mysteriis omnibus Redemptionis, promulgata lex noua est in illa concione, de qua fit mentio Act. 2. Et quidem solemniter, in Vrbe videlicet Regia Hierosolymorum, præsentibus omnibus hominibus omnium Nationum, à summo Præcone Euangelij, qui erat Apostolus Petrus, vnde continuò etiam cœpit vsus Sacramentorum, & Sacrificij. VII. *Montes cum Religione durant.* VIII. *Sacrificium Crucis fuit simpliciter ante legem Euangelicam quia ante eius solemnem promulgationem.*

Secundò, quia qui sic instituti sunt Montes Religionis, conspicui omnibus sunt, & visibiles, ad quos homines illius Religionis conueniant, & dicant: venite, & ascendamus ad Montem Domini. At sacrificium Crucis respectu Christianorum est inuisibile, cum sola fide, non oculis cernatur; vnde nec ad illud conueniri potest à populis. IX. *Montes Religionis sunt accessibiles.*

Tertiò, quia Mons hic, de quo loquimur, est Mons Domus, vt ait Isaias, hoc est proprius Ecclesiæ, seu Christianæ Religionis. At sacrificium Crucis non est sacrificium Domus; vnde extrà Ciuitatem, & extra Portam oblatum est in Cruce, tanquam in Ara, non Templi, sed Mundi, vt loquitur Sanctus Leo ferm. 8. de Passione. Ideo non est proprium Christianæ Religionis, sed commune omnibus veris Religionibus, quæ ab initio Mundi fuerunt; nam, & in lege Naturæ, & in lege Scripta, quotquot iusti fuerunt ob huius sacrificij participationem iusti fuerunt. Sicut autem præter sacrificium commune Crucis, quod vim habuit ab origine Mundi, fuerunt sacrificia propria propitiatoria comitantia legem quæque suam, siue Patriarchalem, siue Mosaïcam, ita præter sacrificium Crucis, quod oblatum quidem fuit, sed non institutum, & relictum, vt X. *Sacrificium Crucis non est proprium Christianæ Religionis.*

cruentè celebraretur, vt patet. Debuit Christiana Religio suum proprium habere propitiatorium, quod Mons Domus Dei Iacob appelletur.

XI. *Cur sacrificiũ nostrum dicatur Mons domus Iacob, & non Abraham, aut Isaac.*

Atque hinc obiter habes quam ob rem sacrificium proprium Ecclesiæ dicatur ab Isaia potius Mons Domus Iacob, quàm Domus Abrahæ, aut Domus Isaac. Cum sciamus Christum fuisse promissum non solum Iacob, sed etiam Abrahæ, & Isaac; ratio est illa planè, ob quam Angelus Luc. 1. non dixit, & regnabit in Domo Abrahæ, aut in Domo Isaac, sed regnabit in Domo Iacob in æternum, quia videlicet, vt rectè ponderauit Toletus in cap. 1. Luc. annot. 90. neque tota Domus Abraham, neque tota Domus Isaac, sed solum tota Domus Iacob

XII. *Solum tota Domus Iacob repræsentauit Ecclesiam.*

repræsentabat Ecclesiam. Abraham duplicem habuit posteritatem, vnam ex Isaac, in qua facta est promissio, & cui data est circumcisio, & lex, & prophetia, & sacrificium. Alteram ex Ismaël, quæ ab his bonis repulsa est. In illa autem significabatur Ecclesia, non in hac vt docet Paulus Galat. 4. Non sumus, inquit, filij Ancillæ, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit. Non ergo tota Domus Abrahæ Ecclesiam repræsentabat. Hoc idem in Isaac factum est; habuit enim duos filios, à quibus duo populi effluxerunt, Esaü, & Iacob, ille à bonis prædictis exclusus est, hic vero ea obtinuit iuxta illud, Iacob dilexi, Esaü odio habui; non igitur in tota Domo Isaac Ecclesia significabatur. Iacob verò duodecim habuit filios, & omnes hi, legem, & circumcisionem, & cætera acceperunt à Deo, & populus eius peculiaris facti sunt; idcirco tota Domus Iacob Ecclesiam repræsentabat. Ecce causa cur Christus in Domo Iacob regnaturus dicatur: peculiare enim eius Regnum significatur, quo in fidelibus, & in Ecclesia regnat, quæ non ex materialibus illis Tribubus conficitur, sed ex Tribubus secundum Spiritum, siue Iudæi, siue Gentiles secundum carnem sint: omnis enim Natio, & Gens, ac Populus credens, ac Christo adhærens, dicitur de Domo Iacob, iuxtà illud Rom. 9. Non omnes, qui ex Israël sunt, Israëlitæ sunt, sed qui secundum repromissionem; hinc habetur planè solutio dubitationis propositæ. Mons noster, est Mons Domus Iacob, quia est solius Ecclesiæ, quam sola tota Domus Iacob repræsentabat. Habet ergo Ecclesia Montem suum, Sacrificium propitiatorium pro peccatis commemoratiuum quidem communis sacrificij Crucis, sed tamen proprium, & peculiare.

QVÆSTIO TERTIA.

An Erectio Montis Propitiatorij habeatur ex Christi Testamento.

I. *Christus suum condidit Testamentum non in Cruce, sed in Cœna.*
II. *Erectio Montis ex verbis Testamenti.*
III. *Calix Sanguinis Christi ex ipsius Testamento relictus Ecclesiæ.*



POTISSIMVM Argumentum quo probamus esse in Ecclesia Montem Propitiatorium pro peccatis, sumimus ex verbis Testamenti, quod Christus Dominus, vt Caput, & Princeps Ecclesiae condidit, & conditum obsignauit in nocte Coenae, ex illo enim apparet erectio, & fundatio huius Montis.

Scio Autores aliquos opinatos fuisse Christum Dominum non condidisse Testamentum in Coena, sed in Cruce; sed contra hanc opinionem arguit Bellarminus lib. 5. de Euch. cap. 8. Quia, inquit, omnes conditiones Testamenti in Coenam quadrant, nullae in Crucem. I. *Christus suum condidit Testamentum non in Cruce, sed in Coena.*

Primum ait, qui testatur viuere debet vsque ad completum, & obsignatum Testamentum; Christus in Coena semper vixit, in Cruce mortuus est. Quare rectè B. Paulus Hebr. 9. non ait Christi morte Testamentum nouum factum fuisse, sed confirmatum; non enim Testamentum valet dum viuit, qui testatus est.

Secundo qui testatur sui Iuris esse debet. Christus in Coena sui Iuris erat; in Cruce non modò captus, & vinctus, sed etiam damnatus, & iam patibulo affixus erat.

Tertio, qui testatur semper aliquid mandat haeredibus, Christus in Coena, hoc est, inquit, praeceptum meum, vt diligatis inuicem, & rursum: Hoc facite. In Cruce nihil mandasse legitur.

Quarto, qui testatur, aliquid promittit, seu relinquit, idque nominatim exprimere solet, vt etiam personas, quibus relinquit. In Coena, Dominus expressit remissionem peccatorum, quae est promissio propria Testamenti Noui. Hierem. 31. Et expressit etiam haeredes, cum ait, pro vobis, & pro multis; in Cruce nihil eiusmodi, excepta promissione soli latroni facta.

Quinto, qui testatur, testes adhibet, & sicut Moyses non testes quoscumque, sed ipsum populum conuocauit, cum Testamentum Vetus nomine Dei sanciebat, sic etiam Christus testes, & non quoscumque, sed ipsam Ecclesiam conuocare debuit; id fecit in Cœna. Aderant enim omnes Apostoli, qui Patriarchæ fuerunt, & veri Patres totius Christiani populi. Ad Crucem nec aderant, nec facile conuocari potuissent.

Sexto, qui testatur, solet disertis verbis explicare Testamentum se facere. In Cruce testamentum Christus ne nominauit quidem; at in Cœna expressit nomen testamenti; & quidem illis ferè verbis, quibus olim Moyses, vt enim ille dixerat: Hic est sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus, ita ipse dixit: Hic est Sanguis meus noui Testamenti.

Septimo, qui testatur, Instrumentum publicum conficit, quod perpetuò vim habeat applicandæ hæreditatis, id Instrumentum Christus in Cœna confecit, dum Sacramentum instituit; in Cruce nihil omnino eiusmodi. Maneat igitur, concludit Bellarminus, ratum, & certum in Cœna Testamentum nouum conditum fuisse. Quæ Sententia sine dubio est Veterum Patrum, quos affert P. Suarez disput. 37. in 3. part. sect. 4. & communis Catholicorum, & quam Lutherani ipsi negare non possunt, quia præcipuum eorum argumentum contra sacrificium Missæ hoc est. Cœna Domini est Testamentum Christi; ergo non est Sacrificium; ex quo manifestè sequitur illos sentire Christum in vltima Cœna suum Testamentum condidisse.

II. *Erectio Montis ex verbis Testamenti.* Profetamus ergo verba Testamenti ex Euangelistis, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. quibus si addamus duo tantum, quæ à Christo quoque prolata fuisse ex Apostolica traditione docet Ecclesia, videlicet *Mysterium Fidei, & Æterni*, proferre licebit pro authentica formula erectionis, & fundationis huius Montis Sacrosancta verba consecrationis Calicis, ex omnibus illis collecta. *Hic est enim Calix Sanguinis mei, noui, & aterni Testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sic igitur argumentor.

Ex his verbis habemus Christum Dominum reliquisse Ecclesiæ Calicem sui sanguinis effundendum perpetuò in quotidiano Sacrificio vsque ad finem sæculi, idque in remissionem peccatorum; ergo habemus institutum à Christo Domino, & fundatum in Ecclesia Montem propitiatorium pro peccatis. Consequentia est manifesta ex notione Montis Propitiatorij; sed antecedens solida eget explicatione; nam quod Christus sui Sanguinis Calicem Ecclesiæ suæ legauerit, & ex Testamento reliquerit, vltro Lutherani concedunt, & quamuis negarent ipsi, heredes tamen ostendunt per suos Sacerdotes. Accipiens inquiunt, & hunc præclarum Calicem. Quid demonstrat pronomen illud *Hunc?* Numquid Christus eundem illum Calicem accepit in manus, quem nunc ex hereditate habet Ecclesia? Omnino eundem, inquit Odo Cameracensis Episcopus in Canon. quia vnus idemque est Calix Christi, & Ecclesiæ, *vnitate Sanguinis*, qui ibi continetur, sicut vnum est Altare vnitate Sacrificij, Itaque non est nunc cum Aduersariis controuersia, an sit in Ecclesia Calix Sanguinis Christi; immò ipsi maximè queruntur, & clamant; & vt ait Bellarm. nihil magis inuidiosum objiciunt, cum apud suos Romanam Ecclesiam accusant, quam quod ipsa contra expressum Dei mandatum priuauerit populum vsu Calicis, qui ex Testa-

III. *Calix Sanguinis Christi ex ipsius Testamento relictus Ecclesiæ.*

mento filiis omnibus legatus eſt. Sed controuerſia tota eſt in eo, an Calix hic relictus ſit cum poteſtate in Eccleſia illum perpetuò ſacrificaliter Deo offerendi in remiſſionem peccatorum. Hoc Hæretici omnes pertinaciter negant. Et ratio fundamentalis ipſorum ea videtur eſſe, quia promiſſio de remiſſione peccatorum pro aliis, quàm pro ſumentibus non eſt annexa Sanguini, & corpori, ſed illius *effuſioni*. Hic eſt Sanguis, qui pro multis *effundetur in remiſſionem peccatorum*, ſed effuſio Sanguinis, de qua in Cœna loquutus eſt Chriſtus, ſemel in Cruce facta eſt, ergo tantum ſacrificium Crucis, qua Sacrificium eſt, habuit annexam promiſſionem de remiſſione peccatorum: ergo tantum ſacrificium Crucis fuit verè propitiatorium pro peccatis.

IV. *Promiſſio de remiſſione facta effuſioni Sanguinis in Euchariſtia.*

Nos contra, vt vires hæreticæ perfidiæ elidamus, oſtendemus promiſſionem de remiſſione peccatorum non fuiſſe his verbis factam effuſioni Sanguinis in propria ſpecie, qualis futura erat in Altari Crucis, ſed effuſioni in aliena ſpecie, qualis perpetuo futura erat in Altari Eccleſiæ.

Probamus hoc, primo quia promiſſio non eſt ibi facta abſolutè effuſioni Sanguinis, ſed effuſioni Calicis, vt enim manifeſtum eſt ex Græco textu Luc. 22. Illud effundetur, non refertur ad Sanguinem, ſed ad Calicem; ait enim τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Itaque non dicit, hic eſt Calix cum Sanguine, qui Sanguis effunditur, ſed hic eſt Calix ſeu poculum, quod effunditur; effuſio autem Calicis non eſt Crucis, ſed propria Altaris Eccleſiæ.

Ad hoc Argumentum reſpondet Vaſquez diſput. 199. cap. 3. concedendo quidem verbum effundi, referendum eſſe ad Calicem eo quod relatiuum. Qui referat Calicem, non Sanguinem, vt ex textu Græco manifeſtè probatur. Verum quia Calici ſecundum ſe non conuenit effuſio, ſed ratione contenti in eo, perinde eſt ad Sanguinem, & ad Calicem referri, vt ſenſus ſit, qui Calix ratione Sanguinis, hoc eſt, qui Sanguis pro vobis effundetur in Cruce. Nam idem Sanguis quo tunc Chriſtus Apoſtolis propinabat, in Cruce effundendus erat. Sed verè ſi Euangeliſta noluiſſet ſignificare effuſionem Sanguinis, vt erat in Calice, ſed vt futura erat in Cruce tantùm, conjunxiſſet vocem effuſionis cum voce Sanguinis, quæ proxima erat, non verò cum voce Calicis, quæ erat longè remotior. Sic enim ad verbum vertas ex Græco. Hoc poculum eſt nouum Teſtamentum in meo Sanguine, *quod* pro vobis effundetur; vide relatiuum *quod* quemadmodum non ad proximiorem Sanguinem, ſed ad remotius poculum referatur.

V. *Cur potius, Hic Calix, quàm hic Sanguis.*

Quod verò Lucas non ſine myſterio ad Calicem potius quàm ad Sanguinem, effuſionem retulerit, patet, quia ſignificare voluit effuſionem in remiſſionem quotidianam peccatorum, ideo ſubjungitur, *Hoc facite*, & quia de præſenti illa effuſione, quæ tunc inſtituebatur, erat ſermo, maluit dicere, Calix, qui effunditur, quàm qui effundetur. Vnde

VI. *Sermo eſt de effuſionis genere, quod inſtituebatur.*

Argumentor ſecundo. Apud omnes tres Euangeliſtas Græcè eſt ἐκχυνόμενον, in præſenti, hoc eſt effunditur; ergo agitur de illo genere effuſionis, quod erat tunc, & inſtituebatur in Cœna, non verò de alio genere effuſionis, de quo dicendum non erat. *Hoc facite.*

Non potuit negare Kemnitius hanc lectionem eſſe in Græco textu, ſed ait; In Scriptura ſæpe accipi præſens pro futuro, atque hoc præſertim loco ita de-

bere accipi, satis constare ex ipso Canone Missæ, in quo legimus, effundetur. Sed occurrit Bellarminus, quia quamuis in Scriptura sæpè accipiatur præsens pro futuro, nemo tamen inficiabitur sæpius accipi præsens pro præsenti, quàm pro futuro: quod vero hoc loco nullo modo accipiatur pro præsenti, sed tantùm pro futuro, probandum esset Kemnitio. Interim nos dicimus rectè accipi, tum pro præsenti, quia in Originali textu legitur in præsenti, tum pro futuro, quia non solum in sacro Canone, sed in vulgata etiam editione Scripturæ legitur in futuro. Verum quia nulla lectio negari potest, aut debet.

VII. *Prædicitur perpetua effusio Sanguinis in Eucharistia.*

Hinc efficacius vrgeo hoc modo. De illo genere effusionis est sermo, cum dicitur *effundetur* de futuro, de quo est sermo cum dicitur effunditur de præsenti. Hoc per se patet, quia per temporis ampliationem non diuersificatur propria verbi significatio, & acceptio. Atqui cum dicitur de præsenti, sermo est de effusione vt in Calice, ergo cum dicitur effundetur de futuro sermo quoque est de eadem effusione, vt in Calice. Sensus igitur plenissimus erit. Hic est Calix Sanguinis mei qui pro vobis, & pro multis effunditur nunc de præsenti, idest offertur, & libatur Deo, & deinceps vsque ad Mundi consummationem effundetur, hoc est offeretur, & libabitur Deo in remissionem peccatorum. Itaque effusio Sanguinis in propria specie, quæ Sacrificium cruentum constituit, non pertinet propriè, & directè ad hæc verba, quæ verba sunt institutionis Sacrificij incruenti perpetuò duraturi in Ecclesia. Præsupponitur quidem ab illis genus alterum effusionis Sacrificij cruenti, quia effusio, seu libatio Sanguinis vt in Calice, & in specie aliena, est repræsentatio effusionis, & oblationis eiusdem Sanguinis in propria specie, vt in Cruce: cæterum immediata significatio huius vocis, siue accipiatur in præsenti, siue in futuro, non est effusionis, & oblationis cruentæ, sed incruentæ, de qua proximè, & directè hic sermo est.

VIII. *Effundi pro offerri, & libari.*

Video Authoribus quibusdam, etiam Catholicis duram esse visam interpretationem illam, qua pro effusione Calicis intelligimus sacrificalem oblationem, & libationem sanguinis factam Deo, sed deberent hi Authores aduertere eam explicationem non esse arbitrariam, sed maximè necessariam, eamque oriri ex admirabili proprietate Sermonis veritatis; quia verbum illud temporis præsentis *effunditur*, non significat effundi Apostolis ad bibendum, vt optimè aduertunt Doctores Catholici; neque enim ait Dominus *vobis* effunditur, sed *pro vobis*, pro Apostolis ergo, non Apostolis effundebatur, cui? profectò, Deo; at effundi Deo, est illi in Sacrificium offerri, atque libari. Est igitur hoc loco germana huius vocis *effunditur*, acceptio, pro libatur, id quod adhuc vlterius confirmatur, quia Calix ille non dabatur, aut effundebatur tunc, nisi Apostolis præsentibus, & tamen Dominus ait, *pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. Matth. 26. Sensus igitur est, ait Bellarminus, pro vobis, & pro multis datur, ac libatur Deo in Sacrificium propitiatorium pro peccatis, neque enim dabatur absentibus, sed *Deo*, pro absentibus offerebatur.

IX. *Sanguis Christi funditur perpetuò in remissionem.*

Quid quod Sapientissimi Patres præsentem locum hoc modo intellexerunt? afferam nunc vnum, aut alterum.

Sanctus Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 6. Si quotiescumque *effunditur* Sanguis, in remissionem peccatorum *funditur*, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur, qui semper pecco, semper debeo

habere medicinam. Vides Ambrosium non solum legere *effunditur*. sed etiam illud intelligere de effusione quotidiana, quæ continuò fit in Ecclesiæ sacrificio. Ad quem locum quid respondeat P. Vasquez vix habet, vide cap. 3. disput. 199. sub finem.

Sanctus Augustinus serm. 4. de Innocentibus, qui fuit de Sanctis 11. & in Appendice 73. agens de sepulchro consueto Martyrum sub Altari, quod propterea Græcè Martyrium, Latinè Confessio dicebatur, super illis verbis Apoc. 6. *Vidi subtus Altare animas interfectorum.* Quid reuerentius, inquit, quid honorabilius dici potest, quàm sub illa Ara requiescere, in qua Deo Sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est Sacerdos? Rectè sub Altari iustorum animæ requiescunt, quia super Altare Corpus Domini offertur, nec immeritò illic iusti vindictam Sanguinis postulant, *Vbi etiam pro peccatoribus, Christi Sanguis effunditur.* Quid clarius? Sentit ergo Augustinus fieri super Altari Sacramentalem, & Sacrificalem effusionem in remissionem peccatorum, quæ sanè verba P. Suarez disp. 79. in 3. par. fatetur optima esse, & adnotanda pro incruenta effusione, secundum quam, inquit, verba Consecrationis Calicis à multis Patribus, & Catholicis Doctoribus exponuntur. X. *In Altari funditur sanguis pro peccatoribus.*

Hos Patres sequuti sunt, quos vidi ex externis, Cornelius Iansenius cap. 131. & Melchior Canus lib. 12. de locis Theologicis, ex nostris verò Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Euchar. cap. 10. & lib. 1. de Missa cap. 12. & Io. Maldonatus in Comment. Matth. 26. probant quoque eandem Sententiam Henriquez lib. 8. de Euchar. lib. 19. Barradas lib. 3. de Instit. Eucharis. cap. 5. Ioan. Baptista Scortia lib. 1. cap. 3. Cornelius à Lapide in cap. 26. Matth. aliique ad marginem citati. XI. *Authores pro nostra Sẽtentia.*

Atque ego quidem, vt meum quoque iudicium feram, illud animaduerti, Authores Catholicos, diuisos inter se esse, & alios quidem sequutos sententiam de effusione cruenta futura in Cruce, alios de effusione incruenta præsenti in Cœna: At Hæretici quantum videre potui apud nostros Controuersistas, omnes omnino amplectuntur auidè sententiam de effusione cruenta in Cruce, nullus verò hanc de incruenta in Cœna, à qua maximopere abhorrent vniuersi; ingenuè fateor, suspectus mihi valde est tam vnanimis consensus Hæreticorum. XII. *Quæ Sententia magis faueat Hæreticis.*

P. Vasquez disput. 199. cap. 2. ait ex expositione de effusione cruenta in Cruce multo efficacius colligi posse veritatem Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia; nam cum nulla sit admittenda metaphora in voce Corporis, & Sanguinis, verba illa, *tradetur*, & *effundetur*, potius explicant maximam veritatem ipsiusmet Corporis Christi, & Sanguinis eius, quàm si ad Eucharistiam referantur; denotant enim idem ipsum Corpus Christi, quod tradendum erat in mortem, & non aliud, & eandem sanguinem, qui effundendus erat in Passione, & non alium esse sub ipsis speciebus. Ex quo iudicio P. Vasquez iubemur benè sperare, & æqui, bonique consulere, quod veritatis Catholicæ hostes se se ab effusione incruenta Cœnæ, ad cruentam Crucis proripuerint.

At Bellarminus assuetus timere Danaos, & dona ferentes, longè aliter sentit; nam lib. 1. de Eucharist. cap. 10. cum retulisset hanc nostram sententiam, quæ docet verba illa omnia: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effunditur*, dici de corpore, & sanguine, vt est in

Euchariſtia, non autem, vt fuit poſtea in Cruce, hæc ſubdit. Porrò hæc explicatio ſi recipiatur, planè euertit Hæreticorum Sententiam de corpore Domini tropicè intelligendo, neque enim corpus tropicè acceptum, id eſt panis datus eſt pro nobis, ſed datus eſt nobis; neque Vinum tropicè acceptum Sanguinem ſignificans, effuſum eſt in inſtitutione Cœnæ, ſed infuſum potius, neque id pro nobis, ſed nobis, neque in remiſſionem peccatorum, quod propriè conuenire vero ſanguini omnes fatentur. Hæc ille.

Non ergo ex noſtra Sententia minus efficaciter, immò multò efficacius colligimus veritatem Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, ſed quod omne fert punctum, non ſolum ex noſtra Sententia inferimus veritatem Sacramenti Corporis, & Sanguinis Domini, quam etiam Lutherani concedunt, ſed probamus veram oblationem ſacrificalem eiuſdem Corporis, & Sanguinis Domini, quam omnes perfidiſſimè negant. Quare Lutherus teſte Bellarmino in omnibus Libris, quos multos de hac ipſa quæſtione ſcripſit, id vnum agit, vt doceat in actione Cœnæ, ſeu Miſſæ nihil nos Deo offerre, ſed contra potius offerri nobis à Deo Sacramentum Euchariſtiæ in teſtimonium promiſſionis; ſimiliter ait Bellarminus, formula Caluini Sacramentorum miniſtrandorum pro Eccleſia Geneuenſi, & omnes aliæ diligentiſſimè cauent, ne vlla fiat mentio oblationis: id ipſum, inquit, docent omnes huius temporis Hæretici, qui vnanimiter negant Euchariſtiam Deo offerri poſſe, aut debere. Hoc ergo, quod tanti momenti eſt, ex noſtra Sententia probatur validè, ex oppoſita, nullo modo.

XIII. *Odium Hæreticorum in Sacrificium.*

XIV. *Ex noſtra Sententia probatur veritas Sacrificij, ex contraria non item.*

Fatetur hoc P. Vaſquez illo capite 2. in ſua nimirum ſententia peti non poſſe ex iis verbis argumentum ad probandum Euchariſtiam eſſe verum Sacrificium, ſed non eſt, inquit, opus, vt ex hoc loco Scripturæ, contra Hæreticos hoc probemus, cum alia nobis ſuppetant efficaciora argumenta, quibus contra eoſdem dimicare poſſimus, vt diſputatione, inquit, 221. cap. 3. videbimus. Sed eamus, vt videamus nunc hanc diſputationem 221. Ecce titulus Capitis tertij. Chriſtum in Miſſa verè, & propriè in Sacrificium offerri. Duplicem hic profert rationem, præterea nullam. Prior eſt, quia ſi Chriſtus in Euchariſtia non immolaretur, nulla in Eccleſia Dei eſſet oblatio, quæ verè, & propriè Sacrificium eſſet; quæ enim illa eſt? hoc autem eſt abſurdum, cum Sacrificium ſit Iuris naturalis, & nulla fuerit tam barbara Natio, quæ Sacrificia non habuerit. Hæc eſt prima ratio. Poſterior verò, inquit, ratio deſumpta eſt ex definitione formali Sacrificij, nam Sacrificium eſt nota exiſtens in rebus, qua profitemur Deum Authorem Vitæ, & mortis; per oblationem autem Chriſti in Euchariſtia profitemur Deum eſſe Authorem Vitæ, & mortis, ergo eſt verè, & propriè Sacrificium, quo autem pacto hoc profiteamur abſque vlla ipſius Chriſti occiſione, & mutatione, quæ in aliis Sacrificiis interuenit, diſput. 222. cap. 8. ex profeſſo oſtendemus. Hæc P. Vaſquez de ſuis rationibus, & argumentis in toto illo Capite.

XV. *Abſurdum ex contraria Sententia.*

Verum quæ argumenta ſunt hæc tantæ efficacitatis contra Hæreticos volentes nobiſcum dimicare cum Scripturis, & contendentes nominatim ex verbis inſtitutionis Cœnæ Domini nullum habere nos argumentum, quo veritatem noſtri Sacrificij comprobemus? Hoc minimum ſequitur ex ſententia P. Vaſquez, in tota Inſtitutione Euchariſtiæ, nullum eſſe verbum, quod incruentam oblationem ſignificet. Hoc fateri, intolerandum nimis Catholico ſit. Sed fortaſſe

P. Vaſquez

P. Vasquez aliquod habuit fundamentum ex Scriptura ipsa petitum, quo se cogi existimauit ab hac nostra explicatione recedere? omnino habuit, atque hoc loco illud examinare operæ precium est. Igitur disput. illa 199. cap.2. Quarta, inquit, ratio, omnium efficacissima est in hunc modum. Si verbum *effunaetur*, significaret effusionem Sanguinis in Eucharistia non in Cruce, non conueniret cum voce *Testamentum*. Constat autem Sanguinem Christi eatenus dici, Noui Testamenti quatenus effusus fuit in confirmationem illius, sicut etiam hac ratione sanguis Hircorum, & Vitulorum dictus fuit in Moyse Exod. 24. vt refert Apostolus Hebr. 9. Sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus, cui ipse Paulus opponit Sanguinem Christi, quia eo confirmatum fuit nouum Testamentum. Atqui nouum Testamentum non fuit confirmatum Sanguine Christi, provt ea nocte incruentè oblato in Eucharistia, sed provt effuso in Passione, quia morte Christi, & Passione eius consummata fuit nostra Redemptio; Sacrificium autem incruentum Eucharistiæ provt eo modo exhibitum, non fuit consummatio nostræ Redemptionis. Quia ergo Sanguis Christi eatenus dicitur noui Testamenti, quatenus in Passione reipsa effusus fuit; ideo verbum illud *effundetur*, effusionem Sanguinis factam in Cruce significat.

XVI. *Fundamētum P. Vasquez.*

XVII. *Figura Sanguinis Testamenti impleta fuit in nocte Cœnæ.*

Hæc P. Vasquez, cuius argumenti vis tota pendet ex illa quæstione, Vtrum figura effusionis, & aspersionis Sanguinis Veteris Testamenti, de qua Exod. 24. impleta fuerit in Institutione Eucharistiæ, An potius in sacrificio Crucis; si enim tota illa figura impleta fuit ante Passionem in Institutione Eucharistiæ, argumentum nullum erit, immò pro nostra sententia erit. Tractat hanc quæstionem duobus in locis Bellarminus lib.1. de Eucharistia cap.3. & lib. 5. cap.8. & vtrobique constantissimè asserit totam illam figuram fuisse impletam in Institutione Eucharistiæ; quod, inquit, nullo modo negari potest, nam in primis expresse Luc. cap. 22. & Paulus 1. Corinth. 11. dicunt; Hic Calix nouum Testamentum est in Sanguine meo. Matth. 26. & Marc. 14. Hic est Sanguis meus noui Testamenti. Deinde, inquit, Patres veteres apertè docent, Christum in vltima Cœna condidisse Testamentum nouum. Tertullianus lib. 4. in Marcionem. In Calicis mentione Testamentum constituit sanguine suo obsignatum. Idem expresse docent Chrysostomus, & Theophilactus in loco allegato Matth. & Pauli, nec non Ambrosius in Paulum, & Beda in Marcum.

Et sanè ad significandum, quod illa figura in Cœnæ Mysterio implebatur, videtur Dominus de industria vti voluisse iisdem ferè verbis, quibus vsus fuit Moyses. Hic est, inquit, Sanguis meus noui Testamenti Matth. 26. quo loco, vt etiam notat P. Suarez disput. 37. in 3. par. Omnes Expositores aduertunt, opposuisse, Christum Sanguinem suum sanguini hircorum, & vitulorum, quo antiquum testimonium sancitum est, dicente Moyse Exod. 24. *Hic est Sanguis Testamenti*, quem mandauit ad vos Deus. Sicut ergo Moyses dicens illa verba obsignauit Vetus Testamentum, ita Christus dicens: *Hic est Sanguis noui Testamenti*, nouum Testamentum obsignauit.

XVIII. *Veritas Sacrificij Eucharistici ex figura Sanguinis Testamenti.*

Et ne videatur Bellarminus perfunctoriè hanc figuræ impletionem asseruisse, in ea tanquam in vno è solidissimis fundamentis fundat Dogma Institutionis Eucharistiæ in Sacrificium, & argumentatur hoc modo. Sanguis Testamenti veteris apud Moysem erat sanguis Victimæ iam immolatæ, & verè ac propriè

ſacrificatæ, vt patet Exod. 24. ergo Sanguis Teſtamenti noui apud Chriſtum eſt Sanguis Victimæ immolatæ,& verè,ac propriè ſacrificatæ. Eſt autem Sanguis ille Sanguis Chriſti, vt ipſe dicit: *Hic eſt Sanguis meus.* Ergo ipſe fuit Victima in Cœna immolata,& ſacrificata. Neque reſponderi poteſt, pergit Bellarminus, Sanguinem Chriſti in Cœna fuiſſe Sanguinem Victimæ futuræ in Cruce; nam in Exodo prius immolata eſt Victima, deinde Sanguis aſperſus in populum illis verbis: *Hic eſt Sanguis,&c.* ergo etiam Chriſtus prius debuit ſe ipſe Victimam facere, & immolare, deinde de Sanguine dicere: *Hic eſt Sanguis.* Præterea nulla ratio patitur, vt prius Sanguis Victimæ hauriatur, deinde Victima immoletur; cum è contrario ex immolatione Sanguis ſequatur. His poſitis.

XIX. *Teſtamentum nouum fuit obſignatum Sanguine in Cœna, non in Cruce.*

Reſpondeo facile ad argumentum negando aſſumptum, quod ſcilicet, ſi verbum *effundetur* ſignificaret effuſionem Sanguinis in Euchariſtia, non in Cruce, non conueniret cum voce, *Teſtamentum*, immò ideo maximè conuenit cum voce *Teſtamentum*, quia ſignificat effuſionem Sanguinis, quæ fuit obſignatio Teſtamenti: obſignatio autem Teſtamenti non fuit effuſio Sanguinis in Cruce, ſed in Euchariſtia; tunc enim Teſtamentum fuit obſignatum, quando conditum perfectumque eſt, illud autem conditum, perfectumque eſſe in Cœna, & non in Cruce, ſatis oſtendunt ſeptem illæ conditiones Teſtamenti initio enumeratæ, quæ omnes congruunt Cœnæ, & nullæ Cruci. Neque dici poteſt conditum illud fuiſſe in Cœna, & obſignatum in Cruce; nam Veteres Patres expreſsè docent, obſignatum fuiſſe in Cœna; inter quos Tertullianus alludens ad verba Chriſti apud Lucam, & illa magis explicans, vt notat Pamelius annot. 668. in lib. 4. aduerſus Marcionem: Hic eſt, inquit, Calix nouum Teſtamentum obſignatum in Sanguine meo. Et iure debuit Teſtamentum obſignari coram legitimis teſtibus, quales erant in Cœna, & non ad Crucem, ad quam aderant inimici, non teſtes, excepto Ioanne, cum præterea tunc Dominus Iuris quodammodo alieni eſſet, eo quod vinctus erat in manibus Iudæorum; at verò in Cœna adhuc liber, legitimos teſtes adhibuit Apoſtolos ſuos, qui futuri erant Principes Eccleſiæ, & *Miniſtri Noui Teſtamenti* 2. Corinth. 3. quod miniſterium in eadem Cœna ſunt conſequuti, nam illis verbis; hoc facite in meam commemorationem, ordinati ſunt Sacerdotes, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei, & quaſi ipſius Teſtamenti executores.

Neque Pauli authoritas quidquam ſuffragatur, quia non dicit Paulus, Chriſti morte Teſtamentum nouum factum, & obſignatum fuiſſe, quod nec dicere poterat, quia teſtator debet viuere vſque ad completum, & obſignatum Teſtamentum, ſed dicit, Teſtamentum Chriſti morte confirmatum fuiſſe. *Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt,* hoc eſt mortuis teſtatoribus, ſeu poſt mortem teſtatorum, tum demum ratum, & confirmatum Teſtamentum eſt. Quare in rigore Teſtamentum Chriſti, neque in effuſione incruenta in Cœna, neque in effuſione cruenta in Cruce confirmatum eſt, ſed poſt mortem Chriſti teſtatoris, quia, vt ait Apoſtolus, Teſtamentum nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt: conditum verò fuit in Cœna, & ibi coram teſtibus, Chriſti Sanguine obſignatum, vt Patres affirmant.

Sed quid tandem eſt Sanguinem in Cœna fundi? Nam (quod objiciebat Kemnitius) ſi tunc in Cœna, & nunc in Miſſa Sanguis funditur, non eſſet Miſſa Sacrificium incruentum.

Respondeo, distinguenda hic esse diligenter duo. Alterum est, An tunc in Cœna, & nunc quotidie in Missa effusio fiat Sanguinis Christi. Alterum qua ratione id non sit contra rationem Sacrificij incruenti. Vnde cognosci potest quid sit, sanguinem in Altari fundi.

Ac primum quidem ad fidem pertinet, neque fas est Doctori Catholico, negare, effusionem Sanguinis in Missa fieri, quia ex duabus lectionibus, *funditur*, & *fundetur*, nulla potest negari, cum prior sit trium Euangelistarum, & Pauli, qui omnes scripserunt in præsenti, *effunditur*; posterior sit editionis Vulgatæ Luc. 22. & sacri Canonis Missæ, quem ab omni errore purum esse definiuit Tridentinum. Itaque illa lectio originalis textus Lucæ, *qui pro vobis effunditur*, est vera. Quod si fuit verum tunc dicere de præsenti, effunditur, est verum nunc idem dicere in quotidiano Missæ Sacrificio, ita vt si quis nunc, pro *effundetur*, in verbis consecratoriis, diceret *effunditur*, falsum non diceret, ratio est manifesta, quia vt constat ex principiis fidei, Sacrificium Missæ non differt specie à Sacrificio, quod Christus obtulit in Cœna, sed essentialiter cum illo conuenit in illis tribus, quæ sunt huic Sacrificio incruento essentialia, nimirum, materia oblationis, res principaliter oblata, & forma, seu actio, per quam fit oblatio. Quæ omnia continentur in illo verbo Christi, *hoc facite*, in quo, virtute comprehenditur totus ritus essentialis Sacrificij. Si ergo cum primo hoc Sacrificium fuit oblatum, & institutum, fuit verum dicere *funditur*, eadem veritate, & ratione erit verum hoc idem dicere nunc; quò spectasse videtur Tertullianus in Carmine tom. 4. lib. 5. aduersus Marcionem. XX. *Certum est effundi in Missa Sanguine Christi pro Ecclesia.*

Acceptum panem pariter, vitisque liquorem
Corpus, ait, sanguisque meus, qui funditur hic est
Pro vobis, fieri semper, quod postea iussit.


Atque hinc habes rationem, cur vtraque lectio tanquam verissima necessariò sit admittenda, quia vt alibi adnotaui cum Bellarmino, istæ lectiones non pugnant inter se, immò vna inducit alteram, quia posita institutione huius Sacrificij in eo prorsus sensu, quo dixit tunc funditur, poterat insuper expresse addere Christus, & effundetur vsque ad consummationem sæculi. Nam idem Sacrificium in Ecclesia quotidie repetitur, & renouatur. Maneat ergo ratum, fixumque, quod pertinet ad modum loquendi, Christi Sanguinem effundi in Missa quotidie in remissionem peccatorum. XXI. *Sanguine Christi nunc fundi non potest negari.*

Quod vero hoc non sit contra rationem Sacrificij incruenti (quæ erat altera pars distinctionis) est manifestum, quia non fuit fusus in Cœna Sanguis, neque nunc funditur in propria specie Sanguinis; hoc enim modo si funderetur, Sacrificium cruentum fieret; sed funditur sanguis in specie non Sanguinis, hoc est Vini. XXII. *Cur hæc fusio non facit Sacrificiũ cruentum.*

Sed quid tandem aliquando est, Sanguinem hoc modo fundi sub specie non propria, sed aliena? Hoc iam pridem postulabatur. Hoc distuli vt verbo concluderem Bellarmini, sed verè dixi pluries, & quidem satis amanti Sacras Scripturas, qua decet veritate intelligere. Fundi hoc modo Sanguinem, est Deo libari, & offerri, & quidem sacrificaliter, illud videlicet tandem in Dei honorem, & summum Latriæ cultum absumendo. Sic explicat Bellarminus lib. 5. de Euch. qui est primus de Missa cap. 12. Dicitur, inquit, sanguis in Cœna fundi, dum in XXIII. *Quid est Sanguinem fundi in Missa.*

ſpecie liquida in Calice collectus, offertur Deo, ac deinde in eadem ſpecie funditur in ora ſumentium.

Hæc explicatio iterum in memoriam reuocat figuram pacti, & fœderis, Exod. 24. Sanciti victimarum ſanguine, & epulo communi paciſcentium. Nam ſicut Moſes, & Aaron vice Dei cum populo ex victima fœderali comederunt, Moſes enim erat ibi quaſi fœcialis, & mediator Dei, & populi, ita fœdus nouum Deus iniit cum Apoſtolis repræſentantibus totam Eccleſiam, cuius fœcialis, ait Cornelius, & pater patratus eſt Chriſtus, quo fœdere Deus obligauit ſe daturum Eccleſiæ remiſſionem peccatorum, & in qua promiſſione eſt virtualiter promiſſio gratiæ, & adoptionis in filios, & hæredes ſub hac conditione ſi ſibi obediant. Hoc autem fœdus ſancitum fuit Sanguine victimæ iam immolatæ, & ſacrificatæ in nocte Cœnæ; ideo iuxtà legem fœderalem omnes paciſcentes, hoc eſt Chriſtus, & Eccleſia ex Victima immolata comederunt, & quia hoc fœdus, quod illa nocte primo initum eſt, quotidie repetitur, & inſtauratur in Altari, ideo ex hoc etiam capite Sacerdos, qui gerit corpus Eccleſiæ tenetur participare; vnde in Concilio Toletano legitur, modis omnibus tenendum eſt, vt quotieſcumque ſacrificans Corpus Chriſti in Altari immolat, toties perceptionis Corporis, & Sanguinis Chriſti participem ſe præbeat. Verum qua ratione in ſacrificio noui Teſtamenti ſit epulum paciſcentium, & qua ratione victima Sacrificalis ſit cibus Dei, oſtendimus alibi.



QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum in Inſtitutione huius Montis interceſſerit pactum & promiſſio de remiſſione peccatorum.

I. *In inſtitutione Montium Veteris Teſtamenti fuit incluſa promiſſio propitiationis.*
II. *Teſtamentum idem quod pactum.*
III. *Peccatum etiam veniale meretur de condigno pœnam ſanguinis, & mortis.*
IV. *Pactum propitiationis.*
V. *Origo Sacrificij pro peccato.*
VI. *Cur in veteri lege interdictus ſit eſus ſanguinis.*
VII. *Vſus ſanguinis.*
VIII. *Cur comedens ſanguinem Reus fiebat ſanguinis.*
IX. *Cur offerens ponebat manus ſuper caput Victimæ.*
X. *Cur Altare ſanguine aſpergebatur.*
XI. *Cur ſanguis inferebatur in interius Tabernaculum.*
XII. *Peccatum perſonæ publicæ quàm graue.*

XIII. *Sanguis expiatorius.*
XIV. *In, idem quod virtute.*
XV. *Piaculum quid.*
XVI. *Expenduntur verba Institutionis, & applicatur superiori doctrina.*
XVII. *Omne Testamentum est pactum.*
XVIII. *Pactum Propitiationis nunquam sublatum, sed mutatum.*
XIX. *Christus figuras omnes impleuit.*
XX. *Quod fuit antiquum pactum reconciliationis.*
XXI. *Conferuntur pacta, & Testamenta antiqua, & noua.*
XXII. *Promissio de remissione est inclusa in pacto Propitiationis.*



Ravissima est præsens disputatio, ex cuius negligentia Theologi, cæteroquin doctissimi parùm altè senserunt, & minus magnificè docuerunt de valore, & fructu Sacrosancti Missæ Sacrificij, & quidem non sine grandi jactura populi Christiani. Vbi enim certitudo Diuinarum promissionum non satis ostenditur, ibi spes, & omnis ardor industriæ elanguescat necesse est.

I. *In institutione Montium Veteris Testamenti fuit inclusa promissio propitiationis.*

Vt autem promissionem hanc in ipsis Institutionis verbis inclusam aperiamus, oportebit regrediendo ascendere ad Montes propitiatorios Veteris Testamenti, in illis enim Apostolo teste ad Hebr. 10. Deus exactissimè quamuis ruditer, & vmbraticè delineauit imaginem Sacrificij Propitiatorij, quod vnicum est, & singulare Noui Testamenti.

Igitur videamus qua ratione, & sub qua conditione Montes illi in sua Institutione, & ex vi illius, promissionem habuerint de propitiatione. Dixi, sub qua conditione, quia totum Vetus Testamentum celebratum à Deo fuit per modum pacti, seu fœderis, conditionem aliquam requirentis, quod præmittendum hoc loco est pro fundamento totius disputationis; & est sanè notandum, quod obseruauit Bellarminus in Psal. 131. ex Sancto Hieronymo in cap. Malach. nimirum Septuagintâ Interpretes Hebraïcam vocem Berith, quæ significat Pactum, siue fœdus semper vertisse per vocem Græcam διαθήκη, quæ Testamentum significat, fortasse autem, ait Bellarminus, Diuina Prouidentia voluit, vt in Ecclesia extarent duo ista vocabula, *Testamenti*, & *Pacti*; quoniam reuera pactum Dei cum populo non est simplex pactum de hereditate danda, & quod non habuit vim nisi intercedente morte Testatoris Christi, vt dicitur Hebr. 9. Et præterea Testamentum hoc non est simplex Testamentum, sed habet rationem pacti, cum requirat conditionem de obseruantia mandatorum, & perseuerantia in Fide. Vtrumque igitur, tàm Vetus, quàm Nouum, est Testamentum, & Pactum.

II. *Testamentum idem quod pactum.*

Iam verò potissima pars huius Testamenti, simul, & Pacti versatur circa formam, & modum propitiandi, & placandi Deum iratum ob præuaricationes istius fœderis. Adeo enim inconstans, infirma, & ad malum prona est voluntas nostra, vt nisi de reconciliationis remedio prouisum esset, parùm cætera omnia profuissent. Et quoniam vetus Testamentum, & pactum continebat promissiones de temporalibus bonis conferendis, & temporalibus malis auer-



tendis, cogitandum erat de modo Deum placandi in ordine ad illa temporalia.

III. *Peccatum etiã veniale meretur de condigno pœnam sanguinis & mortis.* Difficilis tamen erat talis modus, si natura rerum spectanda aliquo modo fuisset; etenim quæcumque præuaricatio mandatorum, quantumuis leuis, cum sit peccatum veniale, meretur de condigno amissionem vitæ temporalis, quæ fundamentum est cæterorum temporalium bonorum. Quærit Abulensis in cap. 22. Genes. qua Iustitia poterat Isaac occidi, & immolari, cum Sanctus, & innocens esset. Respondet: peccauerat Isaac peccato veniali, propter quod ad mortem homines obligantur. Notabilis est hæc doctrina, & ad timorem venialium peccatorum concipiendum valde efficax, propterea Deus non semel in Scripturis voluit illam constare, quasi ad contestandum Ius suum, de quo tamen plerumque remittit & misericordia. Vxor Loth venialiter tantum peccauerat, vt cum communiori docet Cornelius à Lapide in cap. 15. Genes. tum quia nimio metu perculsa, ne ipsam flamma corriperet respexit, tum quia non respicere leuis illi videbatur res, & materia, proinde non putabat hoc præcipi, & obligare sub mortali: & tamen improuisa morte, & quidem non injustè punita fuit, versa videlicet in statuam salis, quo exemplo, ait S. Prosper lib. 1. de Præd. cap. 16. *multi fatui condirentur.* Moyses venialiter peccauit ex incredulitate Num. 20. & tamen morte punitus in Deserto fuit. Propheta comedens cum alio Propheta in Bethel 3. Reg. 13. Veniale tantùm peccatum admiserat, & tamen inuenit eum Leo in via, & occidit. Itaque quilibet, vel exiguus peccator, Reus sanguinis est, & spectata rerum natura debuisset quilibet præuaricator, & transgessor Pacti sistere se Reum coram Deo, & sua vita, ac sanguine quoadusque fieri posset pœnam luere. Verùm hoc quàm durum humano generi, & quàm à Diuinis moribus alienum, qui non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.

IV. *Pactum propitiationis.* Initum est ergo Pactum Propitiationis sub hac conditione, vt transgressor sisteret se tanquam sanguinis Reum & dignum morte coram Deo, idque solemni quodam ritu, & ceremonia, quæ esset expressa quædam repræsentatio, & viua imago condignitatis pœnæ pro peccato in protestationem, quod Deus iustissimè exigere posset sanguinem nostrum, & peccatum quodcumque vindicare priuatione omnium temporalium.

V. *Origo sacrificij pro peccato.* Hinc ortum habuit Institutio Sacrificij pro peccato, quod peculiarissimo modo in sanguine positum est, lege generaliter lata, & per Mosem promulgata, quod *sine alicuius sanguinis effusione non fit remissio.*

Hæc est communis Patrum, & expositorum omnium doctrina. Ad quam probandam satis superque est locus egregius Leuit. 17. vbi Deus seuerissimè interdicit esum sanguinis, eo quod illum destinauerit, assignauerit, & acceptauerit in hunc tantum vsum placationis, & propitiationis pro peccato. Audiamus verba. *Homo quilibet de Domo Israël si comederit sanguinem obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est. Et ego dedi illum vobis, vt super Altare in eo expietis pro animabus vestris, & Sanguis pro anima Piaculo sit.* Ex hoc loco ait Oleaster, luce clarius constat, Victimam loco hominis immolari, & Dei pietate mortem, quam nos merueramus, in pecudem commutari. Et sanè hac commutatione posita, insurgit statim optima ratio, cur non licuerit homini tempore

veteris Testamenti, disponere de sanguine pecoris sui; ratio illa est, quia homo per peccatum factus est proprij sanguinis, ac mortis Reus atque adeo amisit Ius in sanguinem suum in ordine ad conseruationem vitæ suæ. Vita enim maximè conseruatur in sanguine, qui præ aliis humoribus calorem naturalem, & humidum radicale ministrat, ac fouet, atque spiritus vitales format, ac suggerit, vt sicut oleum alit ignem in lampade, ita ait Sanctus Augustinus, quæst. 57. sanguis alat vitam, quæ iuxtà phrasim Scripturæ vocatur anima. Amiserat ergo homo Ius ad vsum sanguinis sui; ergo facta commutatione vitæ pecoris sui pro vita sua, retento ex gratia sanguine suo, amiserat Ius ad vsum sanguinis pecoris sui. Vsus igitur sanguinis pecoris non erat Iuris hominis, sed Iuris Dei, qui nouo hoc, & peculiari titulo factus fuerat illius sanguinis Dominus. Ad ipsum ergo solum pertinebat de sanguine illo disponere. Propterea tanquam peculiaris Dominus ait. *Et ego dedi illum vobis*, nam vos Ius omne in illum lege substitutionis, & subrogationis amiseratis, at non dedi in omnem liberum vsum vobis, *sed vt super Altari meo in eo expietis pro animabus vestris.* Mira Dei liberalitas, qui sanguinem nostrum iustissimæ iræ suæ toties debitum, pecorum sanguine commutatum, iterum nobis ipsis illum reliquerit, & dederit in vsum maximè omnium nobis necessarium, hoc est in vsum Sacrificij, verè dixit Propheta Psal. 15. Deus meus es tu, quoniam bonorum non eges: neque solum pecore, ait Augustinus, lib. 10. de Ciuit. cap. 5. vel qualibet alia re corruptibili, atque terrena; sed ne ipsa quidem Iustitia hominis Deum egere credendum est, totumque, quod rectè colitur Deus, homini prodesse non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit, aut luci si viderit.

VI. Cur in veteri lege interdictus fit esus sanguinis.

VII. Vsus sanguinis.

Sed expendamus tantisper contextum Verborum. Homo quilibet de Domō Israël, si comederit *sanguinem*, in Hebræo, ait Lyranus, habetur, *omnem sanguinem*, ex quo, inquit, patet, quod esus sanguinis generaliter est prohibitus: *Obfirmabo faciem meam contra animam illius.* Magna comminatio, *obfirmabo*, hoc est firmiter, & absque retractatione priuabo illum vitâ: est Hebraïsmus, ait Oleaster, pro, vertam me iratum ad illum percutiendum, & occidendum; accipitur enim facies non nunquam pro ira, quoniam ira maximè in facie hominis relucet. Ierem. 21. *& ponam faciem meam contra Vrbem hanc.* Verùm, quod hic obseruo est, quod dicitur, si comederis sanguinem obfirmabo iram meam *contra animam illius, quia anima carnis in sanguine est*, seu vt habetur in Hebræo, anima carnis sanguis eius est. Dat causam cur contra animam, hoc est contra Vitam comedentis sanguinem, iratam faciem obfirmet, quia anima carnis sanguis eius est; non quod propria anima sit ipse sanguis, vt quidam Philosophi voluerunt, sed quod vita carnis causetur, sustentetur, & maximè declaretur per sanguinem, & ideo pro anima ipsa reputatur, vt si illum tollas, animam ipsam, & vitam tollas: hoc significat, anima carnis sanguis eius est. Ecce causam, ob quam contra animam, contra vitam insurgam comedentis sanguinem, illi ex gratia relictum tanquam suum, qui contra commutationis legem, vsurpauit sibi alienum, nam cum vita sit sanguis, qui non dat vitam, seu sanguinem alienum, necesse est dare proprium, & qui negat dare sanguinem pro sanguine, re ad antiquum Ius retracta, dabit sanguinem. Vide vt tota vindicta petit vitam hominis temporalem, quæ est in sanguine.

VIII. Cur comedens sanguinē Reus fiebat sanguinis.

IX. *Cur offerens ponebat manus super caput victima.*

Ad hanc doctrinam declarandam adhuc magis, & comprobandam, faciunt peculiares ritus, & cæremoniæ institutæ à Deo, & in pacto ipso firmatæ, spectantes ad propitiatoria Sacrificia pro peccatis. Et primo manuum impositio super caput Victimæ jugulandæ. Offerens, qui ad placandum sibi Dominum adduxerat Victimam ad ostium Tabernaculi, tenebatur, ponere manus super caput eius, antequam illa immolaretur; quod si offerens esset tota communitas, & omnis turba Israël; tunc vt expressè præcipitur Leuit. 4. ponebant Seniores populi manus super caput eius coram Domino: illi enim vniuersæ plebis vices gerebant. Huius autem Ritus causa illa erat, ait Oleaster in cap. 1. Leuit. quia sic pro peccato offerentes protestabantur se dignos, qui pro peccato suo jugularentur, Dei verò misericordia, pietate, & voluntate jugulationem suam in pecudis oblatæ jugulationem commutari; vnde infert ad mores quasi mente esse debebat quisquis offerret, vt arbitraretur se quidem dignum, cuius sanguis effunderetur, nisi Dominus Deus animalis sanguinem loco offerentis voluisset acceptare.

X. *Cur Altare sanguine aspergebatur.*

Secundò, Effusio, & aspersio sanguinis super Altare. Erat omnibus Sacrificiis hoc commune, vt sanguis super Altare funderetur. Sed causa cur in omnibus hoc fieret, illa erat, ait Abulensis in cap. 1. Leuit. lib. 9. quia omnia Sacrificia proficiebant ad aliquam expiationem peccatorum; declarat autem connexionem hanc aspersionis sanguinis ad Altare Dei cum expiatione peccatorum, quia, inquit, sanguis Victimæ ex acceptatione Dei fundebatur pro sanguine humano, & quia si Deus haberet hostem, cuius sanguis funderetur coram ipso, placaretur, ita sanguinem Victimæ, qui ad peccatorum nostrorum ablutionem proficiebat in Altari, quod loco Dei ponitur, aspergi decebat.

Quod autem Altare sustineret vicem Dei, probat ex cæremonia, qua vsus est Moses Exod. 24. *Tulit itaque Moses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras, partem autem residuam fudit super Altare:* cuius cæremoniæ ratio, non alia fuit, nisi quia pactum feriebatur inter Deum, & populum, inter quos iuxtà leges fœderis, sanguis erat diuidendus, eoque erant tàm Deus, quàm populus aspergendi; & quidem, quod pertinet ad populi aspersionem nulla erat difficultas, ideo dicitur de Moyse *ille verò sumptum sanguinem respersit in populum;* difficultas erat de Deo, qui cum sit incorporeus, sanguine aspergi non poterat, hinc eius vice *Altare Sacrificiorum*, altera sanguinis parte respersum est.

XI. *Cur sanguis inferebatur in interius Tabernaculum.*

Tertiò. Illatio sanguinis, & multiplex eiusdem aspersio intra ipsum Tabernaculum Dei, quando expiatio debebat fieri pro peccato maximo. Sic enim habemus Leuit. 4. cum agitur de Sacrificio pro peccato Pontificis. Hauriet quoque de sanguine Vituli inferens illum in Tabernaculum testimonij, cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra Velum Sanctuarij, ponetque de eodem sanguine super cornua Altaris Thymiamatis gratissimi Domino, quod est in Tabernaculo testimonij; omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim Altaris holocausti in introïtu Tabernaculi. Hæ erant solitæ cæremoniæ pro peccato maximo, inter peccata ignorantiæ, de quibus illo capite agitur. Peccatum ratione personæ censebatur maximum, quod erat Summi Sacerdotis, cuius vnicum peccatum æquipollebat in Sacrificio peccatis omnibus totius populi. Ideo quod est notandum non solum eiusdem

XII. *Peccatum personæ publicæ quàm graue.*

æstimationis

æſtimationis Victima aſſignatur pro peccato Sacerdotis, & pro peccato totius populi, ſed totidem ſanguinis aſperſiones, & eædem planè cæremoniæ fiebant vtrobique. Lege cap. 4. Leuit. inuenies verſ. 3. Si Sacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit, *offeret pro peccato ſuo vitulum*, verſ. verò 13. Si omnis turba Iſraël, *offeret pro peccato ſuo vitulum.* Rurſus in Sacrificio pro peccato Sacerdotis dicitur verſ. 6. cumque intinxerit digitum in ſanguine; *aſperget eo ſepties coram Domino contra velum Sanctuarij*; ſimiliter cum agitur de Sacrificio pro peccato omnis turbæ Iſraël, dicitur verſ. 17. *tincto digito aſpergens ſepties contra velum.* Quia enim Sacerdos, ait Oleaſter, eſt communis perſona, peccata illius ſunt virtualiter plura, ideo pluries, nempe ſepties ſanguis verſus Dominum mittebatur, vt plures expiaret, & hac cæremonia adumbrabatur, quod Deo venienti ad vindictam multorum, aut publicæ perſonæ, occurrebatur huiuſmodi ſanguine vindicati peccati, & detinebat ſanguinis huiuſmodi fuſio Deum, quem etiam peccatori placabat. Vnde monitos vult idem Oleaſter, qui publica munera adminiſtrant, vt conſiderent ſe plurima committere peccata, quoties contingit eos peccare, niſi enim ſepties, quoties delinquunt virtute peccarent, non eſſet opus ſanguinem hoſtiæ, qui ſanguinem eorum adumbrat, ſepties contra velum aſpergi, quia enim ſepties Dominus erat in eos peccatum vindicaturus, toties ei irato Victimæ ſanguine erat occurrendum, ideo non ſolum in Altari holocauſtorum, quod erat extrà Tabernaculum ſub Dio, ſed vlterius & proximius irato Deo erat cum ſanguine occurrendum, atque ideo cum ſanguine intrandum, & accedendum vſque ad Altare Thymiamatis, quod erat poſitum iuxtà Sancta-Sanctorum, vbi locus erat placationis, qui locus propterea dicebatur Propitiatorium, ſiue vt Septuaginta vertunt, Placatorium.

Atque hæc obſeruaſſe ſufficiat ad declarandum, quod præmittere neceſſarium duximus, videlicet, Montes propitiatorios Veteris Teſtamenti in ſua Inſtitutione promiſſionem habuiſſe de propitiatione ex vi inſtitutionis ipſius, & ex natura pacti ſeu fœderis poſita ſubſtitutione illa, & ſubrogatione ſanguinis pro ſanguine. Quod non obſcurè ſignificauit Deus ipſe in allatis verbis Leuit. 17. vbi agens de ſanguine ſubſtituto, ſeque ipſum declarans autorem talis ſubſtitutionis, & inſtitutionis, ait: *Et ego dedi illum vobis, vt ſuper Altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit.* Ex quibus verbis habemus duo valde notanda. XIII. *Sanguis expiatorius.*

Primum eſt, pactam fuiſſe, & vtrinque acceptatam ſubſtitutionem animæ pro anima, vitæ pro vita, ſanguinis pro ſanguine. Alterum eſt, ſanguinem ſubſtitutum accepiſſe à Deo vim, & virtutem expiandi, & propitiandi. Primum conſtat ex apertiſſimis illis verbis: dedi illum pro animabus veſtris, & rurſus: & ſanguis pro animæ piaculo ſit. Secundum ex illo alio verbo: dedi, vt in eo expietis. Illud *in eo*, idem valet, quod *virtute, & vi eius.* Sic alibi ſæpè in Scriptura Pſal. 43. *In te*, inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis, & Pſal. 17. quoniam *In te* eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum, ideſt virtute tua, virtute Dei mei; hoc etiam modo accipitur hîc, vt idem valeat *In eo* ſanguine expietis, quod *vi, & virtute* à me illi ſanguini impreſſa expietis. Quæ interpretatio clariſſimè confirmatur ex eo, quod ſequitur, & *Sanguis pro anima piaculo ſit.* Vbi enim XIV. *In, idem quod virtute.*

prius dixerat sanguinem pro anima, nunc quasi peculiarem illius virtutem ex-
XV. *Piaculum quid.* plicando, addit *pro piaculo animæ.* Piaculum in Sacra Scriptura quatuor significat, & omnia quatuor ait Abulensis congruunt hoc loco. Significat primo culpam, & hic ponitur sanguis pro animæ piaculo, hoc est ad eius expiandam culpam. 2. Significat remedium, & hic dicitur sanguis pro animæ piaculo hoc est salute, & remedio. 3. Significat maculam, & hic etiam ponitur pro animæ piaculo ad abstergendam scilicet maculam animæ. 4. Quod est maximè proprium, significat ablutionem, vel mundificationem; dicitur enim piaculum ab expiando, quod mundificare, vel abluere est; & in hoc potissimum sensu, ait Abulensis, ponitur sanguis pro piaculo animæ, hoc est pro illius emundatione, & expiatione.

XVI. *Expenduntur verba Institutionis, & applicatur superiori doctrina.* Iam verò, vt ex Institutione ipsa Montis Noui Testamenti promissionem illi annexam, de remissione peccatorum ostendamus, (huc enim omnia, quæ hactenus attulimus collinearunt) satis erit verba ipsa Institutionis expendere, modò illud pro certo habeamus, Montem nostrum propitiatorium omnibus veteribus successisse, & omnium illorum bona continere, quamuis hoc ipsum ex iisdem Institutionis verbis probari possit. Verba Institutionis apud Matthæum hæc sunt: Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Hic est sanguis meus. Habet emphasim magnam *illud meus*, quo verbo sine dubio, vt exponunt Patres, opposuit suum sanguini Victimarum, quasi diceret: ad hoc vsque tempus, loco sanguinis vestri debiti Deo, substitutus, & acceptatus à Deo fuit sanguis hircorum, & vitulorum, nunc eiusdem sanguinis vestri vice subrogatur sanguis meus, *qui pro vobis, & pro multis funditur, & effundetur.* Neque mira videri debet ista mutatio, mutatum enim est Testamentum, nouum fœdus, & pactum initum est. Hic est sanguis meus *Noui Testamenti.*

XVII. *Omne Testamentum est pactum.* Quod nouum Testamentum sit nouum pactum, ex eo probari potest, quod ex vsu Scripturæ, quamuis non omne pactum est Testamentum; omne tamen testamentum est quoddam pactum, & quidem maximum, atque firmissimum: in omni enim Testamento mutua inuoluitur obligatio, Testatoris, & heredis. Testatoris quidem ad dandam hereditatem, heredis verò ad voluntatem, & onera Testatoris subeunda. Immò quia in quolibet Testamento includitur pactum omnium firmissimum; hinc factum est, vt in Sacra Scriptura accipiatur Testamentum pro quouis pacto, & fœdere, vt patet Genes. 9. 13. Psalm. 45. 21. Psal. 88. 4. Psal. 29. 13. & 105. 45. Sed quidquid sit de acceptione generali, certum est hoc loco Testamentum significare fœdus, seu pactum Testamentarium, tum quia hæc est omnium Patrum expositio super hunc locum; tum quia hæc vox in suo originali vtrumque significat, tum quia Hier. 31. appellatur fœdus: Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Iuda *fœdus nouum*, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum; *sed hoc erit pactum*, quod feriam cum Domo Israël.

XVIII. *Pactum propitiationis nunquam sublatū sed mutatum.* Mutato ergo Testamento, mutatum est pactum propitiationis, & placationis pro peccatis. Non dixi sublatum, seu rescissum omnino est pactum, sed mutatum, vt enim superius obseruauimus cum Bellarmino, Christus non omnino sustulit ea, quæ Deus in Veteri lege instituerat, sed aut perfecit, aut mutauit

in meliora. Atque in eundem ſenſum dixit S. Thomas in 11. Corinth. Deum in melius mutaſſe Vetus Teſtamentum. Quia Deus, inquit, primo diſpoſitionem fecerat de æterna hereditate percipienda, ſed ſub figura temporalium bonorum, quod pertinet ad Vetus Teſtamentum, ſed poſtmodum fecit nouum Teſtamentum expreſsè promittens hereditatem æternam; quem loquendi modum retinuit Paulus Hebr. 8. *Melius ſortitus eſt miniſterium, quanto, & melioris Teſtamenti mediator eſt.*

Et ſanè Chriſtus auferre omnino non poterat fœdera, & pacta, quæ in veteri lege Deus inſtituerat, non ſolum ex illa ratione Bellarmini, quia Chriſtus non poterat eſſe contrarius Patri ſuo, aut ſibi ipſi; ſed quia illa figuræ erant melioris fœderis, & pacti noui Teſtamenti, figuras autem non ſuſtulit Chriſtus, niſi illas implendo, atque adeo aliquid excellentius eis ſubſtituendo, ad quod ſignificandum figuræ illæ præceſſerunt, vt docet Tertullianus contra Marcionem lib. 4. vbi percurrendo plurima Chriſti opera, oſtendit ipſum in omnibus illis dediſſe operam, vt Vetus Teſtamentum nulla ex parte deſtrueret, ſed impleret, quod ſanè non obſcurè ſignificant Euangeliſtæ, qui paſſim, cum deſcribunt Acta Chriſti, addunt; *Vt Scriptura impleretur.* XIX. *Chriſtus figuras omnes impleuit.*


Recolamus nunc antiquum Pactum propitiationis, & placationis, quod ſine dubio figura fuit Pacti huius noui, & agnoſcamus eius impletionem. Obligatio mutua illius pacti tota fundabatur in commutatione legitimè facta, & vtrinque acceptata, vitæ, & ſanguinis hominis cum vita, & ſanguine animalis eiuſdem hominis ad finem reconciliationis. Hinc oriebatur in homine obligatio offerendi legitimè Deo ſanguinem animalis ſui in agnitionem reatus ſanguinis ſui, & in Deo obligatio acceptandi in placationem, ſanguinem animalis hominis, tanquam ſanguinem proprium ipſius hominis; hoc totum ſatis explicatum eſt ex ipſis Dei inſtituentis verbis. *Et ego dedi illum vobis, vt ſuper Altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit.* XX. *Quod fuit antiquum pactũ reconciliationis.*

Da mihi nunc hoc antiquum pactum propitiationis non deſtructum, ſed impletum. Da mihi meliorem ſanguinem in illo brutorum ſanguine, tum promiſſum, tum figuratum: da mihi meliores repromiſſiones, nam Paulus Hebr. 8. ait, *Melioris teſtamenti* mediator eſt, quod in melioribus *repromiſſionibus* Sancitum eſt. Neque ſatis mihi ſunt repromiſſiones de remiſſione peccatorum quoad pœnam tantum temporalem; nam hæ non ſunt meliores repromiſſiones. Volo illas, quas idem Apoſtolus explicans, ſubdit, ibi ex Hierem. 31. *Propitius ero iniquitatibus eorum,* quæ ſunt propriæ noui pacti, & noui Teſtamenti. Denique oſtende mihi collatis verbis Leuitici, & Euangelij de meliori ſanguine, quod Deus dederit illum nobis, vt ſuper Altare in eo expiemus pro animabus noſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit.

Hic profero verba ipſa Inſtitutionis noui pacti Teſtamentarij, & qualia Euangeliſtarum princeps Matthæus refert. Adeſte filij repromiſſionis, adeſte peccatores, noſtra res agitur. Audite. *Hic eſt Sanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Conferamus Teſtamenta, & interſeramus verba Teſtatoris, qui fuit heri, & hodie, & fecit vtraque vnum. Hic eſt ſanguis meus, & ego dedi illum vobis, vt pro animabus veſtris, vt pro vobis, & pro multis, in eo expietis, in remiſſionem peccatorum: verè non XXI. *Conferuntur pacta, & Teſtamenta antiqua & noua.*

agnoſcere in verbis his antiquum Pactum propitiationis impletum, eſt in luce plusquam Meridiana cœcutire. Quod ſi agnoſcimus, quid egemus alienis teſtimoniis promiſſionis factæ Monti hereditatis noſtræ de remiſſione perpetua peccatorum, cum in natura ipſa contractus, & pacti propitiationis talis promiſſio eſſentialiter includatur. Rectè, inquit S. Hieronymus in Hier. 32. Teſtamentum appellatur pactum, quia in eo voluntas, atque adeo promiſſio eorum, qui pactum ineunt, continetur.

XXII. *Promiſſio de remiſſione eſt incluſa in Pacto propitiationis.*



QVÆSTIO QVINTA.

An & quomodo ſanguis noui, ſucceſſerit ſanguini Veteris Teſtamenti.

I. *Continuatio cum doctrina ſuperioris quæſtionis.*
II. *Chriſti ſanguis ſucceſſit ſanguini propitiatorio pro vita temporali.*
III. *Ratio legis de ſanguine non comedendo.*
IV. *An lex de ſanguine non edendo fuerit ob deteſtationem homicidij.*
V. *Lex de brutali ſanguine non edendo non eſt connexa cum lege de humano ſanguine non effundendo.*
VI. *An lex de ſanguine non edendo fuerit ob noxias ſanguinis proprietates.*
VII. *Deus in hac lege non reſpexit ad ſanguinis qualitates.*
VIII. *An lex de non edendo ſanguine fuerit ad preparandam legem Moſis.*
IX. *Diſtinctio de Animalibus mundis, & immundis quoad ſacrificia fuit ante Diluuium.*
X. *Vera ratio legis de ſanguine non edendo.*
XI. *Locus inſignis pro vera, & ſingulari cauſa talis legis.*
XII. *Proponitur iterum examinanda ratio de ſanguine non edendo.*
XIII. *His verbis includitur vera ratio, & cauſa precepti.*
XIV. *Explicatur ab Aduerſariis.*
XV. *Explicatio, vt minus precepto coherens impugnatur.*
XVI. *Explicatur Scriptura per Scripturam.*
XVII. *Confirmatio ex circumſtantiis.*
XVIII. *Quid eſt effundere ſanguinem hominis in homine.*
XIX. *Noſtra Sententia.*
XX. *Proponitur noua difficultas.*
XXI. *Chriſtus vbique in Sacra Scriptura.*
XXII. *Connexio cum ſuperiori Sententia.*
XXIII. *Anima quid.*
XXIV. *Solus ſanguis Chriſti eſt hominis redemptorius.*
XXV. *Vſuræ peccatorum.*

XXVI. *Peccata, Sanguis.*
XXVII. *Anima hominis ſemper requiſita de manu hominis.*



VONIAM tota vis præcedentis noſtri argumenti poſita eſt in natura contractus Propitiationis in Sanguine. *Et ſanguis pro anima piaculo ſit.* Conſentaneum eſt vt probemus Sanguinem Chriſti ſucceſſiſſe ſanguini illi piaculari, qui erat ſanguis Victimæ, & Hoſtiæ pro peccato, vt ſicut tunc ſanguis ille brutalis erat pro ſanguine hominis, qui proprij ſanguinis Reus erat, ita nunc pro ſanguine, & vita etiam temporali eiuſdem hominis, non alius ſit Sanguis, niſi Sanguis Chriſti. I.

Continuatio cum doctrina ſuperioris quæſtionis.

Hoc in primis probamus, quia nulla ratio patitur, vt dicamus hominem Reum ſanguinis proprij, ob peccatum etiam leue, habuiſſe ab initio Mundi ex Dei benignitate, aliquid pro vitæ, & ſanguinis ſui piaculo, quale erat ſanguis pecudis ſui, idque vſque ad mortem Chriſti; poſtmodum verò nihil prorſus pro huiuſmodi piaculo habere; niſi dixerimus, aut Deum magis propitium eſſe voluiſſe hominibus ante Aduentum Chriſti, quàm poſt Aduentum, & mortem ipſius; aut nos poſt Aduentum, & mortem Chriſti, neque peccata venialia committere, pro quibus etiam verè euadimus proprij ſanguinis, & mortis Rei. Neque ſatis eſt recurrere ad peractum iam Sacrificium Crucis, quod fuit ſingulare propitiatorium, quia ſicut illud non impedit, quominus ob quotidiana peccata fiamus verè ſanguinis proprij Rei, ita neque impedit quominus quotidianum aliquod piaculum habeamus: & confirmatur apertiſſimè, quia Sacrificium Crucis fuit Sacrificium omnium Sæculorum, & vim habuit propitiandi ab initio Mundi, & habebit vſque ad Mundi conſummationem, ac propterea ſi impediret ſanguinem animalium, quominus nunc quoque pro vitæ, & ſanguinis noſtri piaculo eſſe poſſet, impediret etiam ſanguinem animalium antiquorum. Quod ſi illum non impediuit, neque & hunc impedire deberet. Cum ergo pro vita temporali, & ſanguine hominis debito pro peccato, aliquid à Deo ſegregatum antiquitus ſit in piaculum, idque ſine injuria Sacrificij Crucis, & Agni occiſi ab origine Mundi. Dicendum omnino eſt, quod præter Sacrificium Crucis aliquid aliud antiquo ſanguini, qui pro humani ſanguinis piaculo erat, de facto ſucceſſerit. Hoc autem nihil aliud eſt, niſi Sanguis Chriſti, quatenus eſt Sanguis Victimæ, & Hoſtiæ pro peccato in Altari; is enim non ſolum habet vim propitiandi pro peccatis quoad culpam, & pœnam æternam, quam teſte Apoſtolo Hebr. 10. impoſſibile erat auferri ſanguine hircorum, & vitulorum, ſed etiam quoad pœnam temporalem mortis, & ſanguinis, pro qua auertenda, ex Dei Inſtitutione, & pacto commutationis cum homine inito, ſanguis ille valebat.

Quod verò Sanguis Chriſti ſucceſſerit ſanguini antiquorum animalium quoad hoc munus, ex eo probo, quia vſque ad inſtitutionem Sanguinis Chriſti nullus homo ex Iure Diuino poterat vti ſanguine ſuorum Animalium: inſtituto autem Sanguine Chriſti, ſtatim liberum omnibus hominibus fuit, vti ſuorum animalium ſanguine provt voluiſſent. Quod vſque adeo eſt verum, vt quia ne Iudæi abhorrerent à Gentibus, expediens erat Chriſtianos in eadem abſtinentia paulo diutius manere, oportuerit per nouum decretum latum à primo Concilio II.

Chriſti ſanguis ſucceſſit ſanguini propitiatorio pro vita temporali.

Apoſtolorum anno à Paſſione Chriſti 16. vetari eſum ſuffocati, & ſanguinis, quia verè præceptum illud antiquum datum à Deo olim toti Mundo, amplius non obligabat; id autem non aliunde factum eſſe dicendum eſt, niſi quia ſanguis brutorum animalium, qui manebat obſtrictus, & obligatus Deo pro ſanguine, & Vita hominis Domini ſui, per ſucceſſionem Sanguinis Chriſti, onus illud ſubeuntis, rediuit ad primum Ius Domini ſui.

III. *Ratio legis de ſanguine non comedendo.*

Hæc noſtra ratio præſupponit, non ob aliam cauſam fuiſſe à Deo prohibitum eſum, & vſum qualemcumque ſanguinis brutalis, niſi quia erat ſubſtitutus, & ſubrogatus pro ſanguine hominis, quia cauſa per ſucceſſionem Sanguinis Chriſti ceſſante, hoc ipſo ceſſauerit prohibitio. Planè hoc præſupponit, ſed non gratis. Probamus igitur, quia nulla aſſignatur probabilis alia ratio cur facta ſit à Deo ea prohibitio valitura tantùm vſque ad inſtitutionem Sanguinis Chriſti; neque enim lex de ſanguine non comedendo numerari debet inter illas, quæ præcisè quod eſſent leges Moſaïcæ, & Leuiticæ, per mortem Chriſti abrogatæ ſunt, quia hæc lex lata fuit tempore legis naturæ, neque vni populo, aut genti, ſed vniuerſo hominum generi. Statim enim poſt diluuium ſic Deus loquutus eſt Geneſ. 6. Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, *excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.*

IV. *An lex de ſanguine non edendo fuerit ob deteſtationem homicidij.*

Quæro iam, quæ fuit cauſa tam antiquæ, & tam vniuerſalis prohibitionis? Benedictus Pererius tom. 2. lib 4. in Geneſim, vbi ex profeſſo tractat hanc quæſtionem: tres omnino cauſas affert; & primam quidem, pro qua citat S. Chryſoſtomum Homil. 27. in Geneſim, & videtur eſſe communis, vt ſcilicet vehementius deterreretur homo ab homicidio, quod cum per ſe deteſtandum eſt, tum verò id temporis in tanta hominum paucitate, exitiale fuiſſet humano generi, quaſi ſignificaſſet Deus, ſi nolo vos concupiſcere eſum ſanguinis animalium, quantò minus ſitire humanum ſanguinem, & rabidam famem vindictæ, atrociter fundendo ſanguine hominis explere.

Video cauſam hanc ab autoribus afferri communiter ſed pariter animaduerti vnde factum ſit, vt in eam (re ſanè non multum examinata) coiuerint. Primò, quia non alia facile occurrebat, aut vniuerſalior, aut potior. Secundò, quia verba quædam proxima Sacræ Scripturæ, ſatis omnium Interpretum iudicio difficilia, verè occaſionem dant aliquam taliter opinandi.

Ego quidem in primis vltro concedo, valde opportunum fuiſſe ſub alterum, quaſi ſecundi Mundi exordium; & in illa etiam hominum paucitate deterrere Caïnitas ab homicidio, ſed aio, hoc à Deo præſtitum eo tempore fuiſſe, non per præceptum non comedendi carnem cum ſanguine, ſed per legem planè terribilem ſtatim latam. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Quibus verbis, vt docet Caietanus, Deus pœnam homicidij æterna lege ſanciuit, nunquam, neque per Euangelium abrogandam, poteſtatemque Sæcularem inſtituit, eique gladium in manum tradidit, pœnamque Talionis decreuit ſecundum meritum ſupplicium mortis, homicidæ à Deo, & à Iudicibus Dei vicem gerentibus inferendum. Hoc fuit, hominem ab humano effundendo ſanguine deterrere; illud de brutali ſanguine, aliò ſpectabat, & ad hanc legem non pertinebat; quod ſi

V. *Lex de brutali ſanguine non edendo non eſt connexa cum lege de humano ſanguine non effundendo.*

pertinuisset, & ad legis finem verè iuuisset, planè cum illa apud Christianos perdurasset; nam Christus non solum legem illam à Patre suo latam contra homicidium non abrogauit, sed illam allegauit, vt notant Interpretes in illud Matth. 26. Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Quid quod cum ibi de Brutis animalibus agitur, ne verbum quidem apparet, quod oleat Sanguinis effusionem, quæ fuit obseruatio Chrysostomi, aliò fortasse respicientis. Illud item considera, ait Chrysostom. Homil. illa 27. quàm diligenter præceptum sit, nam de homine, inquit, *ne effundas sanguinem*: de brutis autem non dixit, ne effundas, *sed ne comedas*: illic dicit, *ne effundas*, hic *ne comedas*. Hæc Chrysostomus. Quod si non temerè hoc dictum est, clarè perspicitur vetationem illam eius carnis cum sanguine, nihil ad sanguinis humani effusionem attinuisse. Addo non solum effusionem sanguinis brutalis illo præcepto non esse interdictam, sed potius iussam, & imperatam. Dicitur enim, excepto quod carnem cum sanguine, idest, *nisi prius effuso sanguine*, non comedetis, vt explicat Rupertus de Trinit. lib. 4. cap. 31. & communis.

Secundò, causa illius prohibitionis, quam affert Pererius, & de qua quoque meminit S. Chrysostomus, est quia brutorum sanguis est grauis, terrestris, melancholicus, & multorum ægritudinum causa, si comedatur. Hinc aiunt vetitum esse comedi. VI. *An lex de sanguine non edendo fuerit ob noxias sanguinis proprietates.*

Quid dicemus ad hanc rationem? Fateor ego quidem in assignatione cibi, quam Deus post octingentos & eo amplius annos, fecit Populo suo, tuendæ quoque valetudinis rationem habuisse. Ait enim Leuit. 11. *Omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus comedetis, quidquid autem ruminat quidem, & habet vngulam, sed non diuidit eam, sicut Camelus, & cætera non comedetis illud, & inter immunda reputabitis.* Super quem locum noster Cornelius ex Abulensi, duo, inquit, debebat habere animal, vt vesci licuerit Iudæis. Primo vngulam, eamque diuisam, & bisulcam; nam quæ non habent vngulam nimis humidæ sunt complexionis; quæ habent vngulam, sed eam non habent fissam, vti sunt Equi, Asini, Cameli, nimis sicci, & duri sunt temperamenti, & alimenti, nec corpori humano nutriendo conueniunt; quæ verò vngulam habent, eamque diuidunt, vti oues, boues, capræ, homini alendo congruunt, quia temperatæ sunt complexionis. Secundò debebat ruminare, nam quæ ruminant melioris sunt digestionis, ideoque, & melioris sunt complexionis. Negari ergo non debet id, quod ex toto illo capite 11. Leuitici, planè constat, habuisse Deum in illa assignatione cibi, præter mysteria, aliquam etiam rationem bonæ valetudinis populi sui, cuius hereditas in temporalibus maximè fuit. VII. Cæterum in generali illa, & toti Mundo indicta de sanguinis esu prohibitione, nihil ad naturales cibi proprietates respexisse, ex eo manifestum mihi est, quia negari non potest, inter carnes animantium, plurimas esse, quæ magis noxiæ sunt hominum temperamento, quàm sanguis alicuius optimi animalis. Quis neget carnes animalium, quæ natura sua, vel semper humi repunt, atque ita ex terra humiditatem viscosam, fœtidam, & noxiam imbibunt, vel quæ immundis cibis vescuntur, vel quæ feræ sunt, & rapaces, multò peioris esse, & nocentioris alimenti, quàm sanguis, seu ipsa caro ouina cum suo sanguine? Et tamen Deus, nulla prorsus facta exceptione, ait: *Omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum, quasi* *Deus in hac lege non respexit ad sanguinis qualitates.*

olera virentia tradidi vobis omnia. Quod si statim addit, *excepto quod carnem cum sanguine non comedetis*: manifestum est id ad altiorem causam, quàm ad noxias sanguinis qualitates referri debere.

VIII. *An lex de non edendo sanguine fuerit ad præparandam legem Mosis.*

Tertia, & quæ Pererio potior videtur ratio, illa est, vt talium, inquit, rerum obseruantia longo tempore ante legem præcultis, & quasi præparatis hominum animis, imponendum ipsis iugum legis, nec ægrè subirent, nec grauatè ferrent. Multa enim antiquitus fuere in vsu apud viros bonos, & religiosos Dei cultores, quæ postea per legem Mosis sancita, & seruanda Hebræis præscripta sunt: exempli causa, abstinentia ab esu sanguinis, distinctio mundorum, atque immundorum animalium, votorum nuncupatio, oblatio decimarum, suscitatio seminis fratris demortui sine liberis, adulterij pœna capitalis, atque alia quædam horum similia, quorum cultui, & obseruantiæ diu antea suetis hominibus, minus postea lex Mosis eadem præcipiens onerosa fuit.

Hæc ratio nihilo mihi præcedentibus probabilior visa est. Non quod falsum sit eorum, quæ lege Mosis sancita sunt, multa fuisse ante legem iam inde ab exordio Mundi in more, & vsu apud probos, & pios viros, hoc verum est, & quidem ex enumeratis, exempla satis probant. Sed quod Deus legem aliquam tulerit generalem, obseruandam, & custodiendam vbique gentium, & ab Vniuerso Orbe terrarum, eo potissimum consilio, vt progeniti ex Noë, per Sem, Abraham, & Iacob præpararentur, & disponerentur ad Mosaïcæ legis iugum æquo animo suscipiendum, & ferendum, id aliquo exemplo extrà controuersiam posito probandum esset Pererio.

At lex de animantibus mundis ad vsum Sacrificij, & generalis pro omnibus Dei cultoribus fuit, & ad præparationem, & dispositionem Mosaïcæ legis fuit?

Qui censent distinctionem mundorum, & immundorum animalium inductam esse in Genesi à Mose per figuram anticipationis, vti sunt Theodoretus quæst. 1. in Genes. Beda in Hexemeron, Tostatus super cap. 13. Genes. quæst. 132. facile se ab hac difficultate expediunt, Deus enim iuxtà horum sententiam nominatim indicauit Noë species animalium, ex quibus sumeret bina, & alias species, ex quibus sumeret septena; sed quia postea euenit, vt per Leuiticam legem à Deo latam, hæc censerentur, & appellarentur munda, illa verò immunda: idcirco Moses, qui Genesim post legem latam euulgauit, vt putarunt citati Autores, distinctionem illam animalium quo breuius, & dilucidius indicaret, noto Iudæis discrimine mundorum, & immundorum animalium, eam declarauit.

IX. *Distinctio de animalibus mundis, & immundis quoad Sacrificia fuit ante Diluuiũ.*

Verum mihi semper probabilius visum est, distinctionem illam mundorum, & immundorum animalium non quidem quoad esum, sed quoad Sacrificia fuisse ante legem Mosis aliquo generali Dei præcepto, aut lege hominibus imperatum, tum quia hoc sonant, & præsupponere videntur verba Dei ad Noë Genes. 7. *Ex omnibus*, inquit, *animantibus mundis tolles septem, & septena. De animantibus verò immundis duo, & duo*, tum quia hoc etiam suadent aliqua antiquissima ad Sacrificium spectantia, vti est ædificatio Altaris, de quibus licet prima mentio fiat Genes. 8. nulli tamen dubium est, ea fuisse in vsu ab initio Mundi. Altare enim, & Sacrificium relatiua sunt; quare valde mihi probabile est, primos Mundi Sacerdotes Cain, & Abel, qui teste S. Athanasio, didicerunt à Patre Adam, tanquam primo, & Summo in lege naturæ Pontifice, Religionem, & Ritum

& Ritum Sacrificandi, aliquid de Victimarum conditione accepisse, quod per modum legis, omnibus colentibus Deum indictum sit: neque enim existimo, Iobo, qui tempore legis naturæ viuebat, & quotidie pro filiis Sacrificium offerebat, licitum fuisse quacumque Victima ad arbitrium vti.

Admitto igitur, tanquam mihi longè probabilius, legem de animantibus mundis ad vsum Sacrificij non solum antiquissimam, sed generalem quoque pro omnibus Dei cultoribus vbique terrarum fuisse. Sed quod illa idcirco lata à Deo fuerit, vt homines disponerentur ad leges Mosaïcas, & Leuiticas Sacrificiorum, hoc non admitto. Quorsum ergo lata fuit? quorsum? Quia sicut designatio certi loci, qui est Altare, & deputatio certæ personæ, quæ est Sacerdos, ita distinctio certorum animantium, quæ essent Victimæ ad rationem supremi, solemnisque Dei cultus pertinebat. Quare etiam si futura nunquam lex Mosaïca fuisset adhuc quædam ad Sacrificium pertinentia non hominum arbitrio essent relicta, sed à Deo fuissent aliquo modo sancita, & instituta. Est verum quod notauit Sanctus Chrysostomus, Deum, quæ animalia ab initio secreuit, & seposuit sibi ad vsum Sacrificiorum, atque adeo ad cibum suum, ea postmodum tempore Mosis, quasi munda populo suo ad esum secreuisse, tamen non ideo animantia illa ad sua Sacrificia ab initio secreuit, quia secreturus eadem erat ad esum populo suo, cum potius ideo secreuit ad esum populo suo, quem tanquam filium habere disposuerat; quia illa sibi iam ad Altare, quod apud Malach. cap. 1. *Mensa Domini* dicitur, in panem, seu cibum suum, sic enim appellantur Sacrificij Victimæ Leuit. 21. vt alibi monuimus. *Panis Dei*, secreuerat, & reseruauerat. Sed de his pro loco satis.

Rejectis ergo tribus hisce rationibus, quæ communiter afferri solent, & quæ re vera ad tantam, & tam vniuersalem legem comprobandam satis infirmæ sunt, Restat vt nostra illa ratio, de qua in præcedenti quæstione disputatum est, tanquam vnica, & vera acceptetur, quod scilicet sanguis animalium, quorum dominium penes hominem erat, fuit ex contractu substitutus, & subrogatus in locum vitæ, & sanguinis ipsius hominis obnoxij ob sua peccata neci, & morti, in cuius commutationis agnitionem, & in professionem reatus sui, homo cæteroquin Dominus animalium, tenebatur ab eorum sanguinis vsu abstinere, tanquam ab aliquo, quod pro animæ, seu vitæ suo piaculo erat, & cuius consequenter omne prorsus dominium amiserat. X. *Vera ratio legis de sanguine non edendo.*

Ad quod fundamentum habemus in Scriptura, hanc tanquam vnicam, & singularem causam astruendi. Certè miratus sum quomodo plures Interpretes præterierint, locum expressum, perspicuum, & insignem, & qui non in Scripturæ angulo est. Ergo vbi Deus hanc generalem legem de non comedendo sanguine, renouat, & inculcat populo suo, reuelat illis, tanquam filiis suis totam causam præcepti sui. Sic enim habet in capite illo Leuitici 17. Et ego dedi illum vobis, vt super Altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. Idcirco *dixi filiis Israël, omnis anima ex vobis non comedet sanguinem.* Quid est illud, Idcircò? quæ poterat excogitari causalis particula, aut singularis magis, aut magis clara? Vidit hanc singularitatem causæ Hieronymus Oleaster, ideo paraphrasticè explicans illum locum, ait. Ratio *vnica*, quare non debetis sanguinem animalium comedere, est quia expiat, id est *soluit* pro animabus, seu XI. *Locus insignis pro vera, & singulari causa talis legis.*

E

vita vestra, quæ ob peccata morti obnoxia erat; nam mea misericordia, vita pro vita datur, vita pecudum pro humana, vt sanguis, qui est anima soluat, quod anima vestra solutura erat. Hæc Oleaste.

XII. *Proponitur iterum examinanda ratio de sanguine non edendo.*

Verum hinc ascendere iterum libet ad difficilem illum locum Geneseos 9. vbi post præceptum de sanguine non comedendo illis verbis: ***Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis***, statim additur, ***sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum***, quæ verba causam dederunt opinandi, præceptum istud de sanguine non comedendo pertinere ad homicidium; sed sanè immeritò, quia ibi sunt planè distincta duo præcepta negatiua, vnum de non edendo sanguine brutali, alterum de non fundendo sanguine humano, posterioribus illis verbis: ***quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.***

Benè est, sed quid tandem, ais, apposita illa verba significant, & quidem cum particula causali, sanguinem *enim* animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum?

Libenter dicam, quod sentio, sed priusquam vnum assumam ad veram expositionem indagandam pernecessarium, hoc etiam alterum statuamus, his nimirum verbis reddi rationem exceptionis, & præcepti facti de sanguine non comedendo; non temerè postulo, vt hoc statuamus, quia non defuerunt Interpretes magni nominis, qui non cognoscentes connexionem horum verborum cum illo præcepto, negarunt particulam illam *enim*, conjunctionem esse causalem, inter quos est Paulus Episcopus Burgensis in additionibus ad Postillam Lyrani, Matthias Thoringius, qui scripsit Replicas defensionis postillarum Lyrani aduersus Burgensem, Caietanus, Carthusianus, & post hos Benedictus Pererius lib. 14. in cap. 9. Genes. vbi fatetur valdè difficilem esse eius loci explicationem, & quæ hactenus Interpretes attulerunt eiusmodi esse, vt nec omnem penitus ex animo demant scrupulum, nec in his legentium mens acquiescat, tandem ipse in eam descendit sententiam, vt dicat hæc verba: ***Sanguinem enim, &c.*** non continere rationem præcepti de non edendo sanguine, sed alicuius alterius rei, quæ debet subintelligi, licet in Scriptura non sit expressa.

XIII. *His verbis includitur vera ratio, & causa præcepti.*

At verborum contextus Sacræ Scripturæ est ita apertus vt nisi velimus violentissimè verba contorquere, fateamur oportet, quod cæteri omnes non audent diffiteri, inclusam videlicet his verbis esse rationem præcepti de sanguine non comedendo. Quibus verbis clarioribus dicere hoc potuit Sacra Scriptura? Carnem cum sanguine non comedetis; sanguinem *enim* animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum. Ratio exceptionis subditur, ait Lyranus. Hæc est ratio cur Deus vetuerit sanguinis esum, ait noster Cornelius.

Hoc statuto, illud assumo, eam videlicet expositionem verborum horum, tanquam germanam, & genuinam esse admittendam, quæ habet connexionem, & consequentiam, & maximè congruit, & cohæret cum præcepto de sanguine non comedendo; illam verò tanquam minus propriam, & minus legitimam esse posthabendam, quæ nullam habet cohærentiam, & congruentiam cum tali præcepto. Hoc apertè sequitur ex principio iam statuto, quod scilicet illæ sententiæ; *carnem cum. &c. Sanguinem enim,* &c. ita comparantur inter se, vt posterior sit ratio prioris.

Afferantur nunc in medium Interpretum expositiones, & quia longum esset omnes, & singulas in aciem educere, instituamus Duellum; sit pro Aduersariorum omnium parte expositio iam facta communis, quam sequuntur super hunc locum Abulensis, Oleaster, Pererius, & cum Recentioribus reliquis Cornelius à Lapide, qui sensum eorum verborum: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum*, sic reddit: *puniam bestias, si illæ hominem occidant:* quod propterea Deus dixit, quia laturus erat legem, qua præcipiendum erat, vt animal, quod occideret hominem, etiam ipsum occideretur. Sic enim legitur Exodi 21. Si Bos cornu percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur; id quod à pari, & proportione, ait idem Cornelius in Exod. intelligendum est de Ariete Cornupeta, Equo calcitroso, omnique bestia, quæ hominem occidisset. Hanc expositionem Pererius, post aliquas examinatas vocat veriorem, Cornelius genuinam, atque planissimam. XIV. *Explicatur ab Aduersariis.*

Verum ego ea demissione, quæ nouissimum decet, hoc lectori tanquam Iudici disquirendum propono, qualis videlicet sit hæc ratio, quamvè consequentiam, vel connexionem habeat cum illo præcepto; quid facit ad non edendum sanguinem Animalis, hoc quod est, ferendam aliquando legem esse, vt si quod animal hominem occiderit, aut comederit, etiam ipsum occidatur? Contra potuissent homines respondere, quod brutum animal sanguinem hominis non comedat, hoc naturalis Iustitia postulat, vt loquitur Caietanus, quia homo non est naturale alimentum vllius bestiæ, cum alimentum sit imperfectius eo, quod alitur, vt pote quod ordinatur ad id, quod alitur, tanquam medium ad finem: at quod homo non comedat sanguinem animalis, hoc non ex naturali aliqua iniustitia, sed ex solo Legislatoris arbitrio, & extrinseca aliqua, rerum naturis ratione prouenire potest. Nulla ergo apparet connexio, & consequentia, quod si qua latet in verbis eruatur, & ostendatur. Et sanè si hæc, atque huic similes expositiones attentè considerentur, dabitur venia Autoribus superius citatis, qui negarunt conjunctionem illam, *enim*, esse causalem, quomodo enim vnum sit causa alterius, cum quo nullam habet connexionem? Adde quod sensus ille videtur nimis ad Iudaïcam litteram demissus, & restrictus, vt mirandum non sit antiquiores Patres ab illo se alienos præstitisse. XV. *Explicatio vt minus præcepto cohærens impugnatur.*

Sed quæ tandem est nostra expositio? Duo sunt loca insignia in Sacra Scriptura, vbi hoc præceptum fertur de animalium sanguine non comedendo. Vnus est Genesis 9. *Carnem cum sanguine non comedetis*, quibus verbis, vt docent Eusebius, Lyranus, Tostatus, Cornelius, Tirinus, & alij, prohibetur omnis esus, & vsus sanguinis, siue liquidus is sit, & potabilis, siue fartus, & coagulatus, vt est in farciminibus, siue adhuc in animali existat vt in morticinis, & suffocatis. Huius autem generalis prohibitionis subditur statim ratio, Sanguinem *enim*, animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum. XVI. *Explicatur Scriptura per Scripturam.*

Alter locus est Leuit. 17. Anima carnis in sanguine est, & ego dedi illum vobis, vt super Altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit, Idcircò dixi filiis Israël, omnis anima ex vobis non comedet sanguinem.

Prior locus explicari debet per posteriorem, ex Regula generali ab omnibus Sacris Interpretibus celebrata, vt cum id fieri potest, vna Scriptura per aliam

explicetur; hic autem non solum fieri potest, sed omnino debet; nam ex duabus coniunctionibus causalibus, *nam*, quæ est in priori loco, & *Idcircò*, quæ est in posteriori, certo scimus vtrobique reddi rationem eius præcepti. cum ergo in vtriusque loci verbis insit ratio, & in vno loco lateat, in altero pateat, debemus omnino per locum vbi illa patet, exponere alium, vbi eadem latet. Iam verò in posteriori loco ratio patens ea est, quia Deus ex sua benignitate non requisiuit pro peccato à nobis sanguinem nostrum, sed loco sanguinis nostri, seu animarum nostrarum complacuit sibi in placationem, acceptare sanguinem de manu bestiarum, vt in eo, inquit, expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. *Idcirco dixi omnis anima non comedet sanguinem.* Ecce ratio hic patens, eadem prorsus in priori loco latet; non comedetis bestiarum sanguinem, quia sanguinem animarum vestrarum parcam requirere de manu vestra, hoc est à vobis (est Hebraismus), non requiram, inquam, à vobis, qui corporalis vitæ, quæ est in sanguine debitores estis, sed requiram de manu vestrarum bestiarum, quarum sanguis soluat pro sanguine animarum vestrarum, seu vitæ vestræ; idcirco excepi, & dixi, sanguinem pro vobis in piaculum à me acceptatum non comedetis.

XVII. *Confirmatio ex circumstantiis.* Non fuit hic sensus obscurus iis, quibuscum Deus loquebatur, Noë scilicet, & filiis eius; nam quando Deus hæc dixit, erat adhuc ibi in conspectu, sanguis cunctarum bestiarum acceptatus à Deo pro sanguine animarum, Noë, & filiorum eius, non quod omnes essent immolatæ in illo Sacrificio, quod Noë obtulit Deo, statim atque ex Arca egressus est, ait enim Scriptura: *Et tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super Altare.* Sed quia in illis immolatis, vniuersum erat bestiarum genus, cuius sanguis pro hominum sanguine soluebatur; tunc Deus maximè confirmauit legem Sacrificij propitiatorij, vnde dicitur, *Odoratusque est Dominus odorem suauitatis*, Hebraicè, *odorem quietis*, quo significatur, ait Caietanus, & ex eo etiam Pererius, indignationem Diuinam, per quam diluuio destructus fuerat Orbis terrarum, Sacrificio illo fuisse placatam, & vt ita loquar, ait Pererius, quietatam. Vnde statim ait: Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines, quod perinde fuit, ac dicere; nequaquam vltra requiram sanguinem hominum de manu animarum suarum, sed pro vitæ ipsorum piaculo, requiram de manu bestiarum sub hac tamen conditione, vt ipsi in agnitionem reatus proprij à sanguine illarum in proprium vsum abstineant, & sic agnoscant à me illum datum vt super Altare in eo expient pro animabus suis.

XVIII. *Quid est effundere sanguinem hominis in homine.* Hinc rationem aliquam reddam cuiusdam modi loquendi, quo vsus est Deus ferens mox præceptum alterum de non effundendo sanguine humano; super quo loquendi modo, mirum in modum Interpretes altercantur, pro eo enim quod habet Latina lectio. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, sic est Hebraicè, si verbum de verbo reddas. Qui fuderit *sanguinem hominis in homine*, fundetur sanguis illius; quid est, inquiunt, fundere sanguinem hominis in homine.

Tostatus, illud *in homine*, interpretatur intra hominem, vt si aliquis, inquit, fuderit sanguinem humanum intra ipsum hominem, non effundendo foras, sicut cum aliquis suffocat alium, vel intoxicat eum, etiam in illo casu, ait Deus requi-

ram sanguinem. Verum vt omittam quid contra hanc explicationem objiciant alij, non video, quamobrem casus ille peculiari indigeat mentione.

Oleaster interpretatur sic, vt fundere sanguinem hominis in homine sit, hominem, cuius sanguis funditur proprij sanguinis effusione fœdare, vt qui fœdauerit hominem sanguine suo, occidendo ipsum, sanguis eius effundatur. Sed nec satis video, quæ tanta illa sit circumstantia, vt subintelligenda his verbis sit.

Cornelius à Lapide fatetur esse pleonasmum, vt non plus significet sanguis hominis in homine, quàm sanguis hominis. Proinde, inquit, noster Interpres tacuit, & omisit illud in homine. Verum hoc aliqua ratione injuriosum videtur tam multis Sacræ Scripturæ Expositoribus, qui in illo linguæ sanctæ vocabulo mysterium nonnullum agnoscunt.

Caietanus pro *in homine*, legit, & vertit, *in hominem*, hoc est, inquit ipse, in hominis injuriam, & contumeliam ad excludendam occisionem hominum à Iustis Iudicibus factam, tales enim non occidunt hominem in homine, idest, vt cum injuria, & contumelia afficiant, sed in vindictam criminum, & boni publici conseruationem. Verum hoc est discedere à proprietate vocis Hebraïcæ, pro vt communiter redditur, & explicatur.

Iterum Oleaster non acquiescens priori expositioni, sic interpungit. Qui fuderit sanguinem hominis, hic interjicit comma, & jungit, *in homine*, cum eo quod sequitur, *fundetur sanguis illius*, quia, inquit, statuit lex vt proximus sanguis idest occisi effunderet sanguinem homicidæ; quasi iusti doloris vindictam suscepturus, vt *in homine*, idem sit quod per *hominem*. Sed præterquam quod violenta nimis videtur huiusmodi interpretatio, illud etiam habet, quod præceptum generale latum tempore legis naturæ nimis restringat ad obseruantias legis Iudaïcæ.

Pererius, aliquorum interpretationes refert, & rejicit, ipse tamen non affert suam, in quo illum sequuntur recentiorum plerique.

Sentio disceptationem hanc non esse maximi momenti, sed quandoquidem illam Interpretes induxerunt; afferam sensum planissimum ad rem, de qua disputamus accommodatum. Sanguis hominis duplex est, alter est sanguis hominis in homine, atque hic est simpliciter sanguis humanus, vnde vulgatus Interpres fideliter vertit. Quicumque effuderit *humanum sanguinem*: alter est sanguis hominis, sed non in homine, sed potius pro homine, atque hic est sanguis, de quo paulo ante loquutus fuerat Deus: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum*, quia verè sanguis bestiarum, eo quod pro hominum piaculo esset, sanguis etiam hominis erat, loco humani sanguinis subrogatus, sed non erat sanguis hominis in homine. Prohibitio autem erat non de non effundendo sanguine hominis extrà hominem, puta sanguine animalium, nam de hoc non effundendo nulla erat prohibitio, sed tantùm de non comedendo. XIX. *Nostra Sententia.*

Verum contra explicationem principalem à nobis factam, grauis insurgit difficultas, quia si cum dicitur, sanguinem animarum vestrarum requiram, &c. sermo est de sanguine expiatorio Sacrificiorum, non vero de homicidio, non apparet quomodo cohæreant, quæ statim sequuntur verba. *Et de manu hominis de manu viri, & fratris eius requiram animam hominis.* XX. *Proponitur noua difficultas.*

XXI. *Christus ubique in Sacra Scriptura.*

Hæc difficultas oritur, quia in plerisque Sacræ Scripturæ locis præsertim in Genesi, Christus abditissimè latet, sed quanquam non vbique apparet, vbique tamen est, vnde vbique ipsum quærere nos oportet, significauit id satis Christus ipse, agens cum duobus discipulis, de quo testatur Luc. cap. 24. *Et incipiens à Moyse,* qui scripsit Genesim, *interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant,* ex quo colligimus, ait Maldonatus, totam Scripturam Sacram, etiamsi id nos minimè plerumque aduertamus, loqui Christum, vt cum in illa, etiam vbi minimè videtur esse, quærere discamus; Vbique est, sed alibi apparet, alibi latet, nos sæpè non inuenimus, quia aut non quærimus, aut quia Iudæorum more in extimis Scripturæ verbis, non in intimis sensibus, ac latebris quærimus. Talis omnino locus occurrit nobis in præsenti. In quo scrutari, & indagare incipienti, statim se Christus videndum exhibebit.

Et sanè extima ipsa verba non leuem eius ingerunt suspicionem: *de manu hominis, de manu viri, & fratris eius;* qui in Sacra Scriptura antonomasticè dicatur homo, & filius hominis, & eiusdem simul sit vir, & frater, præter Christum reperies neminem. Sed respondeamus directè ad propositam difficultatem.

XXII. *Connexio cum superiori Sententia.*

Dicimus sententiam horum verborum esse maximè cohærentem cum sententia superiorum, quamuis ab illa omnino distincta, & separata sit. Est quidem connexa, quia persistitur in promissione Sacrificij Redemptorij; est distincta, & separata, quia in superioribus illis verbis redditur ratio mysterij de abstinentia generali à sanguine comedendo, & præterea promittitur expiatio facienda per animalium sanguinem in Sacrificiis propitiatoriis pro peccato; in his non redditur vlla ratio, sed longè altior, & sublimior promissio fit Sacrificij redemptorij, & propitiatorij, in sanguine Christi, qui intelligitur sub nomine hominis viri, & fratris eius. Hoc ita esse patet, quia si ita dicamus omnes sententiæ summè cohærent, quod in Sacra Scriptura magnum est argumentum veritatis, si id non dicamus, omnia maximè discrepant, & dissentiunt, quod magnum est indicium falsitatis. Perpendamus verba. In priori sententia dicitur *Sanguinem animarum vestrarum*, in posteriori dicitur: *animam hominis:* duæ sunt significationes potissimæ, *Anima* in Sacris Litteris. Prior est vt *anima* accipiatur pro *Vita,* hinc est illud Ioan. 10. *Animam* suam ponit pro ouibus suis; & phrasis illa Hebraica Psal. 118. *Anima* mea in manibus meis semper, idest in extremo semper versor vitæ discrimine, semperque impendentem mihi mortem video. Posterior animæ significatio est pro anima rationali, vt cum dixit Dominus Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus *Animam* autem non possunt occidere. Indicium quando anima sumitur pro vita est, quando conjungitur cum sanguine: per sanguinem enim præcipuè vita, & consequenter anima conseruatur in corpore, & in eo viget, si quidem sanguis secundum Philosophos est sedes, ac vehiculum animæ, ac principale instrumentum, ex eo quippe pro varia ipsius temperie spiritus naturales vitales, & animales existunt. Cum verò anima ponitur absolutè, tunc accipi solet pro anima rationali, vel etiam pro ipso homine vt Ezech. 18. Anima, quæ peccauerit ipsa morietur, & cum ait Scriptura Genes. 46. septuaginta animas egressas de femore Iacob intrasse in Ægyptum.

XXIII. *Anima quid.*

Ergo iuxtà hanc doctrinam in priori sententia, vbi sanguis memoratur, Sermo est de Vita, pro qua animalium Sacrificium, ait se requisiturum Deus, sanguinem

animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum; in posteriori verò vbi agitur de anima rationali, & æterna, non dicitur: Animam hominis requiram de manu bestiarum, sed *de manu hominis*, quasi dicat, acceptabo quidem in pretium & redemptionem Vitæ temporalis vestræ sanguinem expiatorium bestiarum, sed in pretium, & redemptionem animæ vestræ immortalis, non alium requiram, & acceptabo sanguinem præter sanguinem hominis, sanguinem viri, & fratris hominis.

Hunc locum videtur respexisse S. Dauid Psal. 48. vbi ait: frater non redimit, redimet homo! non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ: expectas, ait S. Augustinus super Psal. 48. vt homo te redimat ab ita ventura, si te frater non redimet, homo redempturus est? quis est frater, qui si non redemerit, nullus homo redempturus est? Qui post Resurrectionem dixit: Vade dic fratribus meis; ergo si ipse non redimet, homo redempturus est? Aliquis homo redimet, si filius hominis non redemit? Si Christus non redimit, Adam redimet? Hæc Augustinus. Omnino solus frater hic dabit Deo placationem nostram, & pretium redemptionis animæ nostræ. Ab illo solo, de manu illius tantum requiret Deus animam nostram. Ex vsuris ait Propheta Psal. 71. & iniquitate redimet animas eorum. Homo, inquit Bellarminus super hunc Psalmum; per originale peccatum debitor factus est mortis æternæ, atque hoc est debitum capitale; sed dum huius debiti solutio differtur, iniquus exactor Diabolus exigit vsuras, impellens quotidie ad noua peccata, quæ sunt pœnæ primi peccati, & dum horum peccatorum pœna differtur, vsuræ transeunt in sortem principalem, ita quo diutius peccator viuit, eo magis debitum crescit. Sic sanguis sanguinem tangit, vt loquitur Hosæas cap. 4. vbi sanguinem vocat peccata iuxtà illud Psal. 50. libera me de sanguinibus, nimirum peccatores augent peccata peccatis, ait S. Hieronymus, & nouis vetera cumulant, sic montem peccatorum, quasi sanguinum faciunt: in Hebræo enim vt notat Ribera, quo maior copia significetur, est, non sanguis, sed *Sanguines*. Ad hunc sanguinum Montem destruendum, Montem alium placationis, & propitiationis erexit Christus, & fundauit in sanguine suo; ex quo perpetua solutio fieret pro nobis Deo in remissionem peccatorum. Atque huc respiciens Deus, dixit: Animam hominis requiram de manu hominis, quasi diceret: dixi me sanguinem hominis requisiturum de manu bestiarum, quia donec veniat, qui venturus est pro piaculo vitæ temporalis hominum, acceptabo in Sacrificium sanguinem bestiarum; at verò pro piaculo animæ immortalis, & pro remissione peccatorum, quoad culpam, & pœnam æternam, non alium acceptabo sanguinem, nisi sanguinem illius hominis, qui est Vir, & frater hominis. Animam hominis requiram de manu hominis. Ita planè Deus ante Aduentum Christi intuitu solius solutionis, & satisfactionis per Christum exhibendæ, dispensatoriè, & ex benignitate peccata condonabat, & iustitiam impertiebat, vt rectè explicat Less. lib. 12. de Misericordia: licet enim natura rerum postulasset, vt prius exhiberetur satisfactio pro culpa, & injuria in Deum commissa, quàm peccator reciperetur in gratiam: tamen Deus contraria ratione vsus in hac naturæ lege dispensauit, & propter satisfactionem Christi futuris temporibus exhibendam, peccatores fide, & spe ipsum apprehendentes, sibi reconciliabat, prius impertiens præmium, quàm oblatum esset meritum,

XXIV. *Solus sanguis Christi est hominis redemptorius.*

XXV. *Vsura peccatorum.*

XXVI. *Peccata, sanguis.*

XXVII. *Anima hominis semper requisita de manu hominis.*

prius condonans culpam, quàm rogata pro nobis esset venia, & prius laxans captiuum, quàm exhibitum, aut promissum esset Lytron. Atque hoc modo, etiam ante Aduentum Christi, nunquam animam hominis de manu alterius requisiuit præter quam de manu Christi; sed de his iterum.

XXVIII. *Successio sanguinis. Patrum doctrina.* Interim hoc teneatur, quidquid diximus de successione sanguinis Christi in locum sanguinis animalium, communem esse doctrinam Veterum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum. Satis hoc loco sit pro cunctis Græcis Chrysostomus, cuius insignis locus est ille Homil. 83. in Matth. sub initium. Quemadmodum Vetus testamentum, pecudes, & vitulos habebat, eodem modo nouum, Dominicum possidet sanguinem, & Homil. 24. in 1. ad Cor. pro brutorum cæde se ipsum offerendum præcepit, pro Latinis sit August. lib. 17. de Ciuit. cap. 20. vbi agens de Sacrificio noui Testamenti; id, inquit, est Sacrificium, quod successit omnibus Sacrificiis, quæ immolabantur in vmbra futuri. Tota vis est in illo verbo, successit de quo aliquid attingemus cum sermo redibit de huiusmodi Iure successionis.



QVÆSTIO SEXTA.

De Circumstantiis Institutionis huius Montis.

I. *Duo Testamenta, duo Baiuli.*
II. *Quando institutum fuit Sacrificium Agni.*
III. *Agnus Abel.*
IV. *Primum Sacrificium à Deo institutum, & traditum.*
V. *Agnus occisus loco primogeniti.*
VI. *Agnus Victima saltus.*
VII. *Pascha significat Agnum Paschalem.*
VIII. *Christus Agnus Paschalis.*
IX. *Pascha significat etiam diem immolationis Agni.*
X. *Dies 14. in quo immolabatur Pascha non erat dies festus.*
XI. *Pascha significat quoque totos Septem dies Azimorum.*
XII. *Item quascumque victimas oblatas illis diebus.*
XIII. *Institutio Sacrificij Paschalis facta Mense primo.*
XIV. *Duplex Mensis primus.*
XV. *Menses primi, qui.*
XVI. *Martius est Mensis primus.*
XVII. *Mundi Creatio in Mense Martio.*
XVIII. *Tabernaculum erectum in Mense Martio.*
XIX. *Celebratio Anniuersaria in 14. die Mensis huius.*
XX. *Sol creatus in Ariete.*

XXI. *Christus*



VT quæstionibus pluribus in hoc opere perstruendis fundamenta etiam historica iaciamus, opportunum admodum ducimus, circumstantias omnes Erectionis, & Institutionis huius Montis recensendo numerare; cumque id dupliciter fieri possit, vel illis ex Euangelico tantùm textu, quasi vltrò oblatis accipiendis, vel per collationem Veteris, cum nouo Testamento perscrutandis, & eruendis; nos, & ad Sacram eruditionem plenius, & ad contemplationem iucundius facturos existimamus, si tantæ
I. magnitudinis *palmitem vnum cum vua sua* à duobus portatum Testamentis exhibeamus, ad eum modum, quo Num. 13. Botrum illum terræ promissæ, *portauerunt in vecte duo viri*: etenim Auctore Augustino Serm. 100. de Tempore: duo Baiuli, sunt duo Testamenta. Præeunt Iudæi, sequuntur Christiani, & quidem Christianus dum sequitur, Botrum hunc ante conspectum suum gerit; Iudæus verò post dorsum, hic obsequium præbet, ille contemptum.

Duo Testamenta duo Baiuli.

Sed age, quæ nam figura præcessit in veteri Testamento, in qua circumstantiæ omnes Institutionis Sacrosancti Ecclesiæ Sacrificij cognoscuntur? Aio illam, & primam, & singularem fuisse, quæ accuratè describitur in lib. Exod. cap. 12.
II. de *Agni Sacrificio*, cuius institutio iuxtà Tabulam Chronologicam à nostro Cornelio præfixam suo Pentateucho, facta est Anno Mundi 2454. à Diluuio 797. à Natiuitate Abrahæ anno 505. à descensu Iacobi in Ægyptum 215. à morte Ioseph 144. ante ædificationem Salomonis anno 480. & ante Christum 1496. fuit quidem ante illud tempus, oblatum Deo Agni Sacrificium, immo primum Mundi Sacrificium acceptum, fuit Agni oblatio, & prima Victima, ad quam ante alias omnes respexit Deus, non alia nisi Agnus fuit, iuxtà illud Geneseos 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Neque præterea ne-
III. gari potest, primum illum Agnum ab Abel oblatum, figuram fuisse vnici Sacrificij populi Christiani; tum quia vniuersaliter constat ex Tridentino Sess. 22. cap. 1. omnia Sacrificia, non solum legis, sed etiam naturæ tempore, fuisse figuras Sacrificij Ecclesiæ; tum quia de Sacrificio Abel expresse hoc docuit Tertullianus lib. aduersus Iudæos cap. 5. vbi loquitur de Sacrificio Cain, & Abel. Et quidem, inquit, à primordio, maioris filij, idest Israël, terrena fuisse in Cain

Quando institutum fuit Sacrificium Agni.

Agnus Abel.

præostensa Sacrificia, & minoris filij Abel, ideſt populi noſtri Sacrificia diuersa demonſtrata oſtendimus. Sed quamuis negari non poteſt, oblationem illam Agni Geneſ. 4. fuiſſe figuram oblationis populi Chriſtiani, certum tamen eſt, non fuiſſe figuram Inſtitutionis huius oblationis; quia ita fuit illud Sacrificium Deo oblatum, vt non fuerit per legem Diuinam inſtitutum, & traditum; quare licet figurauerit noſtram oblationem, non tamen figurauit illius inſtitutionem. At vero Sacrificium Agni, de quo Exod. 12. non ſolum fuit ex Diuino præcepto oblatum, ſed Iure etiam Diuino inſtitutum in Sacrificium perpetuum populi ſui. Hoc autem patet ex eodem cap. 12. vbi poſt præceptum hoc Sacrificium dicitur: *Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi, & filiis tuis vſque in eternum, & cum dixerint vobis filij veſtri; qua eſt iſta Religio? dicetis eis, Victima tranſitus Domini eſt*, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſraël in Ægypto percutiens Ægyptios, & domus noſtras liberans. Ex quibus verbis conſtat non ſolum oblatio, verum etiam inſtitutio facta illius oblationis in Sacrificium perpetuum veræ Religionis, quod pariter commemoratiuum eſſet tranſitus Domini, atque adeo liberationis primogenitorum filiorum Iſraël, vt enim ait Oleaſter, Agnus ille Paſchalis præſeferebat populum Iſraël, qui cum Ægyptiis erat pœnas daturus, ſed loco eius Dominus Agnum occidi volebat, vnde ſanguis in poſtibus, ſignum erat, quod iam in ea Domo eſſet occiſus Agnus loco Primogeniti, & ideo Angelus ſaltabat ad aliam domum, hoc enim Hebraïcum verbum *Paſcha*, ſignificat, ait Oleaſter, *tranſire*, ſeu potius, *ſaltare*, quod ea nocte Dominus ſaltaret domus Iſraëlitarum, cum enim domus Iudæorum eſſent ſitæ inter domos Ægyptiorum, opus erat ſaltare ab vna domo Ægyptiorum ad aliam, relinquendo in medio domos Iudæorum, atque hoc ſignificat, ait iſte Autor, *Victima tranſitus Domini eſt*, hoc eſt, Victima hæc, ſeu ſanguis eius, eſt ſignum ſaltus Domini, nam cum Dominus videret ſanguinem, ſtatim in aliam domum ſaltabat, ideo voluit Deus in qualibet Iudæorum domo Agnum mactari, vt in qualibet domo eſſet aliquod occiſum, & non amplius occideretur primogenitus. Hæc Oleaſter, quæ planè cohærent cum iis, quæ diximus quæſt. 4. de ſanguine Victimæ ſubſtituto, & ſubrogato pro ſanguine, & vita peccatoris, cuius Victimæ ſanguini ſucceſſit Sanguis Chriſti in Eccleſiæ Domo, tanquam Agno noſtro Paſchali immolato. Sed quamuis *Paſcha*, ſi propriè vocabulum ſumamus, *tranſitum* tantùm ſignificat, quia tamen in memoriam huius tranſitus, ſolemnitas fiebat, & agnus immolabatur, cœpit paulatim hoc nomen alias in Scriptura ſignificationes habere, quas hoc loco præmittere neceſſarium ducimus ad rerum in præſenti quæſtione diſputandarum intelligentiam.

IV. *Primum Sacrificium à Deo inſtitutum, & traditum.*

V. *Agnus occiſus loco primogeniti.*

VI. *Agnus Victima ſaltus.*

Primo igitur, *Paſcha*, ſeu quod idem eſt, phaſe, ſignificat Agnum ipſum, qui in illo Sacrificio occidebatur, & immolabatur. Hæc ſignificatio expreſſa eſt apud Euangeliſtas; nam Matth. 26. dicitur: *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha*, & Luc. 22. *In qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Occidebatur enim, & comedebatur Agnus, qui illo nomine ſacrificabatur. Hinc Apoſtolus 1. Cor. 5. ait. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Hoc eſt, Agnus Paſchalis noſter, pro nobis immolatus eſt Chriſtus ipſe, ab omnibus illis Paſchalibus Agnis figuratus; neque verò ſine myſterio additum puto à Græcis *ὑπὲρ ὑμῶν pro nobis*. Paſcha noſtrum pro nobis immolatus eſt Chriſtus, quaſi diceret pro Iſraëlitis olim

VII. *Paſcha ſignificat Agnum Paſchalem.*

VIII. *Chriſtus Agnus Paſchalis.*

immolatus eſt Agnus filius Arietis, cuius ſanguis viſus ab Angelo exterminatore, in cauſa erat, vt illorum primogenitos, pro quibus Agnus occiſus fuerat, non occideret; at Agnus pro nobis immolatus, eſt Agnus Dei, cuius ſanguine tincti fideles, tuti ſunt, & immunes ab exterminatore Diabolo, qui illo viſo tranſibit in infideles.

IX. *Paſcha ſignificat etiam diem immolationis Agni.* Secundò. Paſcha ſignificat celebritatem diei, in quo immolabatur Agnus, ſeu celebrationem ipſam immolationis Agni legitimo tempore factam, in qua ſignificatione dicitur Num. 28. *Decima quarta die menſis, phaſe Domini eſt, & decima quinta ſolemnitas.* Et Luc. 22. *Appropinquabat dies Feſtus Azimorum, qui dicitur Paſcha.* Obſeruat autem noſter Ribera lib. 5. de Temp. cap. 3. aliud eſſe *Paſcha*, ſeu diem *Paſchæ*, aliud *Feſtum*, ſeu *diem Feſtum Paſchæ*, nam quod

X. *Dies 14. in quo immolabatur Paſcha, nõ erat dies Feſtus.* etiam docet Abulenſis in ſecunda parte Defenſorij cap. 8. Dies quartus-decimus menſis, quanquam eſſet Paſcha, tamen non erat dies Feſtus, quia non vacabatur à laboribus, ſed fiebant illa die opera ſeruilia, ſicut cæteris diebus, & nihil aliud erat, quod ſpecialiter pertineret ad iſtum diem, niſi quod immolabatur Agnus ante Solis occaſum, & comedebatur. Feſtum autem Azimorum, quod incipiebat die ſequenti, & durabat ſeptem diebus, habebat duos dies ſolemnes, in quibus ceſſabatur ab omni opere ſeruili, Exod. 12. ideo dies quartus decimus poterat vocari Paſcha propter Agnum Paſchalem, ſed non poterat propriè vocari Feſtum, Dies autem quintus-decimus poterat vocari dies Azimorum, & etiam dies Feſtus propter celebritatem eius. Hæc Abulenſis, & ex eo Ribera loco citato.

XI. *Paſcha ſignificat quoque totos Septem dies Azimorum.* Tertiò. *Paſcha,* ſignificat totam ſolemnitatem, quæ incipiebat à 14. Luna ad Veſperam, & continuabatur per ſeptem dies Azimorum, quamuis primus dies, qui erat 15. eſſet omnium celeberrimus, ſicut & vltimus, & hæc etiam ſignificatio eſt in Scriptura, tum Veteris, tum noui Teſtamenti; nam 3. Exod. 1. *Non eſt celebratum tale phaſe in Iſraël.* Et Act. 12. *Volens poſt Paſcha producere eum populo,* hoc eſt, poſt ſeptem dies Paſchales; ſiue poſt Octauam Paſchæ. Paſcha enim celebrabatur per ſeptem dies, qui dicebantur dies Azimorum, quod in iis, nullis panibus, niſi Azimis, ideſt fermento carentibus veſci Iudæis liceret.

XII. *Item quaſcumque victimas oblatas illis diebus.* Quartò. *Paſcha,* ſignificat etiam animalia, quæ offerebantur illis ſeptem diebus Azimorum, ſicut enim præter diem, quo immolabatur Agnus, etiam tempus continuum ſeptem dierum dicebatur Paſcha, ita præter Agnum illum primum immolatum ad veſperam 14. Lunæ, etiam animalia cætera, quæ toto illo tempore ſeptem dierum immolabantur in Templo, dicebantur Paſcha. Exemplum affert Toletus ex 2. Paralip. cap. 35. vbi habetur. *Principes Domus Dei dederunt Sacerdotibus ad faciendum Paſcha pecora commixtim duo millia ſexcenta, & boues trecentos.* Item ibidem dicitur: *dederunt Leuitis ad celebrandum Paſcha quinque millia pecorum, & boues quingentos.* Vbi obſeruat Toletus, in Hebræo eſſe in plurali, *dederunt in Paſchata;* vnde patet Paſcha ſignificare non tantùm Agnum Paſchalem, ſed & boues, cæteraſque Victimas, quæ in Paſchate Deo immolabantur; quamuis Agnus eſſet præcipuum phaſe, vel Paſcha, propter quod cætera ſic dicebantur. Sed ad quæſtionem propoſitam de circumſtantiis Inſtitutionis Sacroſancti Eccleſiæ Sacrificij propius accedamus.

An in eodem Menſe fuerit inſtitutum Sacrificium Agni, & Sacrificium Chriſti.

STATVENDVM primo loco eſt de menſe illius primæ Inſtitutionis Sacrificij Agni, tum de menſe eiuſdem anniuerſariæ celebrationis. Denique de menſe nouæ Chriſti Inſtitutionis. Ac primo quidem veterem illam inſtitutionem Agni Paſchalis factam fuiſſe primo totius Anni menſe eſt perſpicuum ex textu Exod. 12. *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.* Ex quo conſtat inſtitutionem illius Sacrificij celebratam primum eſſe, illo, quem Scriptura menſem primum appellat. Hinc communiter docent Interpretes, duos menſes fuiſſe apud Hebræos, qui primi vocarentur, ſicut & duplex annus erat, Sacer, & vulgaris. Annus Sacer initium habuit ab Inſtitutione Sacrificij Agni, quæ coincidit cum egreſſu filiorum Iſraël ex Ægypto; Annus verò vulgaris, ſeu communis eſt, quo vtebantur ad commercia antequam egrederentur ex Ægypto.

XIII. *Inſtitutio Sacrificij Paſchalis facta menſe primo.*

XIV. *Duplex menſis primus.*

At qui-nam erant huiuſmodi menſes primi? Dicam, quod iam extrà controuerſiam eſt, apud Sacræ Scripturæ peritos. Primus menſis Anni vulgaris, ſeu communis erat *Tiſri*, qui partim Septembri, partim Octobri noſtro reſpondet. Primus verò menſis anni Sacri reſpondet plerumque noſtro Martio, vel partim Martio, partim Aprili; Vnde Iudæi vſque hodie, ait Oleaſter duplex hoc anni initium habent, in rebus enim prophanis, vt ſunt contractus ciuiles, & alia huiuſmodi annum inchoant à propinquiori Nouilunio Æquinoctio Autumnali; pro Sacris vero auſpicantur annum à Lunatione, quæ vicinior eſt Æquinoctio Vernali. Sed audiamus Ioſephum lib. 1. Antiquit. cap. 4. Moſes autem Niſan menſem primum in ſuis Faſtis ordinauit, quod per hunc Hebræos ex Ægypto eduxiſſet. Eundem etiam omnium, quæ ad rem Diuinam pertinerent exordium fecit. Alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innouauit. Itaque ex hoc Dei præcepto cœpit diſtingui annus vulgaris, ſiue communis à Sacro, cuius anni Sacri primus menſis eſt Niſan, qui eſt Martius, quod ex eo etiam eſt certum, quia iuxtà vſum Scripturæ, menſis ſeptimus in quo fiebat Feſtum expiationis, congruit noſtro Septembri, quod fatentur omnes Hebræi teſte Lyrano: Si ergo ſeptimus eſt September neceſſario ſequitur, vt primus ſit Martius: à Martio enim September eſt ſeptimus; ſimili argumento probamus, primum diem creationis Mundi fuiſſe Dominicum, quia ſeptimus ab illo fuit Sabbatum vt patet Geneſ. 1.

XV. *Menſes primi qui.*

XVI. *Martius eſt menſis primus.*

Atque hæc eſt communis Patrum interpretatio, *Menſe primo*, vnde inſinuant Mundi creationem verno tempore factam, proferam vnum, aut alterum S. Ambroſ. lib. 1. in Exaeme. cap. 4. In hoc principio, inquit, menſium, quo Paſcha iuſſu Dei celebrabant Iudæi, Cœlum, & Terram fecit Deus, quod inde Mundi capi oportebat exordium, vbi erat opportuna omnibus verna tempeſtas:

XVII. *Mundi creatio in menſe Martio.*

& paulò poſt: ergo vt oſtenderet Scriptura Veris tempora in conſtitutione Mundi, ait: Menſis hic vobis initium menſium; primus eſt vobis in menſibus anni, *primum menſem, vernum tempus appellat*. Hæc Ambroſius. Eaſdem cauſas conjunxit Theodoretus in quæſt. 7. ſuper Exod. Cur prima die menſis primi, in quo Mundus conditus eſt, Deus iuſſit erigi Tabernaculum. Merito, inquit Dominus omnium, prima die primi menſis Tabernaculum erigi iuſſit, tum quod totius Mundi figuram referebat, tum vt populus ſe præpararet ad Feſtum Paſchæ, quod primum celebrare lex præcipiebat Iudæis.

XVIII. *Tabernaculũ erectum in mẽſe Martio.*

XIX. *Celebratio anniuerſaria in 14. die menſis huius.*

Igitur quod prima Paſchalis Sacrificij inſtitutio facta fuerit in menſe Martio, indubitata res eſt. Quod verò in eodem menſe Anniuerſaria eius fieret celebratio à filiis Iſraël, æquè indubitatum eſt ex Sacris Litteris. Cum enim Deus in Ægypto legem tuliſſet de perpetua Paſchæ celebratione Exod. 12. ſequente anno, eodem recurrente menſe, ipſemet monuit, vt iuxtà legem latam Annuerſaria celebratio perficeretur; ſic enim habemus in lib. Num. cap. 9. locutus eſt Dominus ad Moſen in deſerto Sinai, anno ſecundo poſtquam egreſſi ſunt de terra Ægypti *Menſe primo, dicens, faciant filij Iſraël phaſe in tempore ſuo quarta-decima die menſis huius*. Vides quemadmodum menſem legitimum annuæ ſolemnitatis phaſæ, declarat; quod etiam ex aliis eſt manifeſtum; vnde Ioſephus, cuius teſtimonium, tum graue, tum domeſticum eſt lib. 3. Antiquit. cap. 10. Menſe, inquit, Xanthico, qui noſtris Niſan vocatur, & annum exorditur, Luna quarta-decima, Sole Arietem obtinente, quandoquidem hoc menſe ab Ægyptiaca ſeruitute liberati ſumus, Sacrificium, quod tunc exeuntes feciſſe diximus, Paſcha nominatum, quotannis inſtaurare lege iubemur, celebramuſque id per ſodalitia nihil è victimis in ſequentem diem relinquentes, quæ eſt quinta-decima, & Azymorum Feſtiuitatis prima. Nota illud, *Sole Arietem obtinente*, hic nimirum eſt menſis legitimus, primus anni Sacri, & primus Mundi, quam ob cauſam meritò Aſtrologi ſignum Arietis initium eſſe, & caput cæterorum Zodiaci ſignorum, principatumque obtinere arbitrantur, quia nimirum Sol primo creatus in hoc ſigno fuit.

XX. *Sol creatus in Ariete.*

XXI. *Christus in eodem menſe ſuum inſtituit Sacrificium.*

Reliquum eſt nunc illud quærere, An in eodem primo menſe ſuum Chriſtus Sacrificium inſtituerit, ſed res eſt apertiſſima. Primo ex Chronotaxi annorum, & geſtorum Chriſti. Secundo ex Eccleſiæ traditione. Tertio ex legitimo tempore legalis illius Sacrificij, nam vt ait S. Chryſoſtomus Homil. de prodit. Iudæ, in ipſa menſa vtrumque Paſcha, & Typi, & veritatis celebratum eſt. Paſcha autem Typi in hoc celebrauit menſe; nam quod idem S. Chryſoſtomus ait Homil. 85. in Matth. Chriſtus vſque ad mortem ſeruauit legem Moſis, & Paſcha ſuo tempore legitimo celebrauit. Quarto, quia id expreſſiſſimè oſtendunt Euangeliſtæ, dum docent Dominum iuſſiſſe Diſcipulos, vt præpararent locum Inſtitutionis ſui Sacrificij, illo ipſo tempore, quo celebrandum ex lege erat Paſcha. Nam Luc. 22. dicitur: Venit autem *dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*. Vides tempus legitimum ſignatum; quid enim eſt, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, niſi quo tempore ſtatutum Dei præcepto erat, vt Agnus Paſchalis immolaretur. Marcus 14. die Azymorum *quando immolabant Paſcha*. Ecce iterum legitimi temporis circumſtantiam. Certiſſima ergo res eſt in eodem menſe Sacrificium Agni, & Sacrificium Chriſti inſtitutum fuiſſe.

XXII. *Christus immolauit Paſcha in legitimo menſe.*

Meritò autem ait Burgensis in cap. 12. Exodi: Martius eligitur vtrique Sacrificio instituendo, quasi mensis Sacrificalis. In hoc enim mense Sol ingreditur signum, quod appellatur Aries, qui parens est Agni, & qui ab Ara sic dictus est, eo quod Aris imponi ad Sacrificia soleret. Vnde Aries vnum erat ex Sacrificiis à Deo præceptis, quod maximè offerebatur pro peccatis: quæ obseruatio placuit etiam Toleto Scriptori graui in cap. 1. Luc. Annot. 38. Addo tamen, quod quamuis Christus in Sacra Scriptura per Arietem significetur, vt significatus præcipuè in illo fuit, quem Abraham inter vepres cornibus hærentem reperit, & obtulit holocaustum Deo. Genes. 22. Frequentius tamen significatur per Agnum. Quare Ioannes, cum indicare illum vellet Victimam Mundi, non dixit: Ecce Aries Dei, sed potius, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi; cuius rei, optima insinuatur ratio à Clemente Alexandrino lib. 1. pœdago. cap. 5. vt nimirum significetur filius esse, qui venerat Victima pro peccatis Mundi *Agnus enim filium notat*, propterea non ouem, quæ mater est Agni, non Arietem, qui ipsius Pater est, vocat, sed Agnum Dei, vt verè dicere possit Ecclesia *Agnus Dei Filius Patris*; & quia Cœlestis hic Agnus non solum consubstantialis est Patri, sed etiam consubstantialis est Matri. Merito etiam, & veluti pari Iure licebit nobis illum compellare Agnus Dei Filius Matris.

XXIII. *Martius mensis sacrificalis.*

XXIV. *Christus cur dictus Agnus.*

An in eadem 14. Luna Mensis primi institutum fuerit vtrumque Sacrificium. XXV.

CONTROVERSIA hæc apud Theologos non est leuis momenti, ex illa enim maximè pendet celebre illud de materia Eucharistiæ, sit-ne azymo pane, an fermentato Sacramentum conficiendum, nam vt rectè ait Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 7. præcipuum fundamentum, tum Latinorum, tum Græcorum est, factum Christi; Si enim Dominus Sacramentum instituit eodem die, quo institutum fuit Sacrificium Agni, hoc est in primo die Azimorum, certum erit azimo pane vsum fuisse in huiusmodi institutione; si alio tempore instituit, res non erit omnino certa. Statuamus ergo primo, quota Luna primi mensis instituta primùm fuit immolatio Agni: dico quota Luna, potius quàm quoto die, quia apud Hebræos, menses omnes numerabantur in nouilunio; vnde idem erat apud eos, prima Luna, secunda Luna, ac apud nos primus dies mensis, secundus dies mensis. Quamuis autem in Sacra Scriptura expressum sit immolationem illam peractam fuisse decima-quarta Luna, dubitatum tamen à non-nullis fuit, an intelligendũ id sit de 14. Luna inchoante, an potius de illa finiente; seu num de priore vespera Lunæ 14. an de posteriore, quæ erat initium 15. puta Festi Azimorum. Rationes dubitandi sunt huiusmodi. Prima est, quia inter immolationis vesperam, & noctem ipsam, qua Hebræi ex Ægypto egressi sunt, intercedere necessario debuit saltem 24. horarum spatium, tum ad spoliandos Ægyptios, dicit enim Scriptura Exod. 1. *Et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam, & spoliauerunt Ægyptios*, tum ad conueniendum

XXVI. *Controuersia de conficiendo in Azimo.*

XXVII. *Pascha, fieret-ne Luna inchoante, an exeunte.*

XXVIII. *Rationes tres dubitandi.*

ex tota terra Gessen, in qua erant dispersi, in Ramesses Vrbem, vnde profectio facta est, vt constat ex lib. Num. 33. Cum ergo Hebræi profecti fuerint Luna decima-quinta ante diluculum, si agni immolatio facta fuisset in posteriore vespera 14. eâdem ferè nocte fuisset immolatio, & profectio nullo relicto tempore tot hominum millibus, aut ad conueniendum, aut ad conuasandum.

Secunda est, quia Scriptura numerat dies Festos incipiendo à prima vespera, iuxtà illud Leuit. 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Ergo cum dicitur 14. Luna, intelligitur de priore vespera, quia tunc incipit celebritas Sacri diei.

Tertia, quia Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. ait: Illucescente verò 14. omnes ad exitum animati sacrificabant. Ex quo testimonio sequitur initio diei decimi-quarti, illo nimirum illucescente, hoc est priore vespera, non verò posteriore, Iudæos Agnum immolasse.

XXIX. *CelebratioPascha fiebat in posteriore vespera 14. Lunæ.*

Nihilominus dicendum est, illam Agni immolationem factam fuisse in posteriore vespera Lunæ 14. quæ erat pridie, siue initium 15. & Festi Azimorum.

Fundamentum est. Populus Israël liberatus est ex Ægypto ante exitum illiusmet noctis, in qua suum Pascha immolauit, & manducauit; ergo suum Pascha immolauit in posteriore vespera Lunæ 14. Consequentia est manifesta, quia populus Israël decimo-quinto die mensis ante lucem egressus est, vt legimus Num. 33. ergo si egressus est ante exitum illiusmet noctis, in qua Agnum immolauit, & manducauit, hunc profectò non manducauit in priore vespera 14. inter quam, & noctem liberationis, & egressus intercessit integer dies.

XXX. *Nox liberationis fuit nox ipsa percussionis.*

Antecedens probatur. Populus Israël liberatus est ex Ægypto in nocte ipsa transitus Domini, quando scilicet, vt ait Scriptura, *transiuit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans,* ergo populus Israël liberatus, & eductus est ex Ægypto nocte ipsa, in qua suum Pascha immolauit, & manducauit. Hæc consequentia perspicua est: quia negari non potest transitum Domini illa nocte Sacrificij factum esse, propterea dixit

XXXI. *Eadem fuit immolationis.*

Deus ver. 13. *Videbo sanguinem, & transibo vos,* propterea quoque dixit Moses imperata illa sanguinis aspersione, *nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane, transibit enim Dominus percutiens, &c.* Restat ergo probandum antecedens, quod in nocte ipsa transitus Domini liberatio facta sit: Illud autem apertè colligitur ex historiæ contextu lib. Exod. 12. vbi habetur. *Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, surrexitque Pharao nocte, vocatisque Moyse, & Aaron nocte ait, surgite, & egredimini, vrgebantque Ægyptij populum de terra exire velociter, dicentes, omnes moriemur. Nox ista obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti, hanc obseruare debent omnes filij Israël in generationibus suis.*

Vides quàm plena festinationis illa nox fuerit, certè tàm præceps, vt post profectionem de Ramesse in Socoth, legamus: *Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant, & fecerunt subcineritios panes azimos; neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptiis, nec vllam facere sinentibus moram.* Si ergo Ægyptij ita cogebant exire, vt nullam facere sinerent moram, satis superque habemus, noctem illam sacrificalem, quæ

respectu

respectu Ægyptiorum fuit percussionis, fuisse etiam Israëlitis exitus, & liberationis.

Neque quidquam obstat, mandatum illud Moysis Exod. 12. *Nullus vestrûm egrediatur ostium domus suæ vsque mane;* ex quo videbatur sequi non potuisse illam ipsam noctem, esse noctem egressionis; nam vt rectè noster Ribera ex Ruperto, & Caietano, quamuis audisset Moses nocte illa percutiendos esse primogenitos Ægyptiorum, quia tamen moram percussionis nesciebat, ideo mane expectari tunc quidem volebat, sed postquam vocatus est à Pharaone, & stragem primogenitorum iam factam cognoscit, ex domibus egredi omnes permisit, & vrgentibus Ægyptiis, ante lucem proficisci cœpit cum suis. Propterea tempus illius egressionis, Diuina Scriptura noctem appellat, vt Exod. 12. *Nox ista* est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti, & Deuter. 16. Quia in isto mense eduxit vos Deus de Ægypto *Nocte*, nam totum tenebrarum tempus, *Nox* Hebræis dicitur, iuxtà illud Genes. 1. appellauitque lucem diem, & *tenebras noctem*. Cæterum egressionis, & profectionis tempus ex Ægypto diurnum fuisse; Scriptura etiam non rarò commemorat, quia quamuis noctu ad exitum se comparauerint, & verè exire cœperint, mane tamen adhuc exire ab omnibus visi sunt; vnde dicitur Numer. 33. Profecti igitur de Ramesse mense primo *quinta-decima die mensis primi*, altera die à phase, filij Israël in manu excelsa, *videntibus cunctis Ægyptiis*, & sepelientibus primogenitos; neque mirandum est profectionem tanti exercitus nocturnam pariter, atque diuturnam dici, immò merito miraculi instar habetur, quod intra vnicum diem tot hominum millia non confusè, sed ordine per turmas disposito, quasi instructo agmine egressi sint, quod videtur Diuina Scriptura obseruasse, dum ait Exod. 12. *Eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti.* Erat autem exercitus, & populus Hebræorum, computu à viris eruditis facto, capitum plusquam decies, & quinquies centenorum millium, nam Scriptura de viris bellatoribus agens, ait vers. 37. profectique sunt filij Israël de Ramesse in Socoth sexcenta ferè millia peditum virorum absque paruulis, cui numero si addas non solum paruulos, & adolescentes, qui nondum vigesimum annum attingebant; ab eo enim anno, & super, solebant Hebræi suos conscribere ad militiam, & præterea milites, ac senes decrepitos, qui omnes simul solent alteram, & insuper dimidiam populi partem efficere; habebis facile decies, & quinquies illa centena millia capitum Hebræorum. Dixi Hebræorum, nihil definiendo de reliqua hominum multitudine, de qua dicitur ver. 38. *Sed & vulgus promiscuum innumerabile, ascendit cum eis, oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis.* Quæ omnia vna eademque die ante lucem inchoata, de terra Ægypti egressa sunt. Maneat ergo, Hebræos profectos fuisse Luna xv. quæ proximè immolationem Agni consequuta est; hanc autem esse celebratam Luna xiv. exeunte, quod ita perspicuè significat Sacra Scriptura, vt nemo dubitare posse videatur: ait enim Num. 33. *profecti quinta-decima die mensis primi altera die à phase;* quid est, *Altera die à phase?* Respondeant Interpretes Septuaginta; Ea die, sic vertunt hunc locum L X X, *ea die, qua Pascha immolationem sequebatur.* Posteriori ergo vespera Lunæ 14. immolarunt, illa enim est, quam mane diei 15. consecutum est.

XXXII. *Egressio ex Ægypto fuerit ne noctu, an interdiu.*

XXXIII. *Multitudo Hebræorũ exeuntiũ ex Ægypto.*

XXXIV. *Quoto die mensis primi fuit immolatio, & liberatio Israël.*

XXXV. *Respondetur ad rationes dubitandi.*

Sed ad rationes dubitandi superius allatas breuiter respondeamus. Ad primam de longiore tempore necessario interponendo inter immolationem, & profectionem ad spoliandos Ægyptios, & conuasandum dicimus cum S. Augustino quæst. 45. in Exod. expoliationem illam factam esse ante diem decimum-quartum; hoc iam, inquit Augustinus, factum fuerat ante mortes primogenitorum, sed nunc per recapitulationem repetitur; ac meo quidem iudicio non obscure colligitur ab enarratione ipsa Sacri Textus, in quo dicitur: *Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis, & spoliauerunt eos.* Vides causam cur Ægyptij tam facile pretiosa quæque sua commodarent, non referri ad metum, atque terrorem ob stragem primogenitorum, sed ad gratiam, quam Deus dedit populo coràm Ægyptiis, quorum corda inflexit Deus ad tenerum quemdam amorem Hebræorum, quo factum est, vt libenter sua eis commodauerint, immò obtulerint, incitantes eos, vt peterent confidenter quidquid vellent, vt ex Hebraico textu colligit Caietanus.

XXXVI. *Expoliatio Ægyptiorum facta fuit ante 14. Lunam immolationis.*

Ad illud autem, quod additur fieri non potuisse, vt tot hominum millia in terra Gessen dispersa nocte illa conuenirent in Ramesses Vrbem.

XXXVII. *Conuentus totius populi in Ramesses.*

Respondet noster Cornelius in cap. 12. Exod. vers. 42. nocte ipsa post cædem primogenitorum ad omnes Hebræos missos fuisse nuntios, vt egrederentur, quo tempore ipsi suppellectilem iam paratam, & collectam conuasantes, compararunt se ad exitum, ita vt sub diluculum ad Ramesses Ciuitatem omnes, vti edictum erat, conuenirent, iam enim ante, vt ait Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 5. præmonuerat eos Moses, vt essent parati ad exitum, vnde ipsi ex tota Ægypto sub diem 14. congregarunt se circa Vrbem Ramesses, ibique per turmas, & sodalitia, à præfectis, & patribus-familias distributi, indéque signo dato statim ordinata acie profecti sunt. Habuerunt ergo (concludit Cornelius) abundè temporis, vt eadem die, qua Agnum immolarunt, & sua conuasarent, & in Ramesses conuenirent, & inde egrederentur, vt frustra ideo nonnulli permoti sint ad ponendam Agni immolationem 13. Luna ad vesperam, siue inchoante Vespera 14. Lunæ.

XXXVIII. *Cur in sola Pascha sit mentio Vespera.*

Ad secundam dubitationem ortam à Festis Hebræorum celebrandis à Vespera in vesperam, responsum iam est superius Num. 10. ex Abulensi, Toleto, & Ribera, qui præterea obseruat, in aliis diebus Festis mentionem Vesperæ non fieri, in Pascha autem fieri; *immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam*; cuius rei ratio illa est, quia totus dies 14. professus erat, & eius tantum extremum, Sacrum erat, quia tunc Agnus immolabatur; quare Pascha non duas vesperas habebat, vt Festi dies, sed eam, quæ diem decimum-quartum claudebat, vnde dicitur Leuit. 23. *Hæ sunt ergo Feriæ Domini Sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis mense primo, quarta-decima die mensis ad vesperam phase Domini est, & quinta-decima die mensis huius solemnitas Azimorum Domini est.* Quo in loco obseruare licet duo valde notanda ad rem præsentem; primum est. Diem Azimorum, solemnitatem vocari, diem verò decimum-quartum non item, quia ille erat verè solemnis, & Festus, hic verò simpliciter non erat solemnis, nec Festus, sed tantùm secundum extremam partem. Alterum notandum, est ex illo. *Quarta-decima die ad vesperam, phase Domini est*; quod perinde fuit, ac dicere tempus celebritatis, & sanctitatis

XXXIX. *Pascha nō erat dies Festus.*

huius diei, est sola vespera, præter hanc, nihil habet ampliùs, quàm cæteri dies.

Ad tertiam, ductam ab authoritate Iosephi dicentis Hebræos Sacrificasse illucescente decimo-quarto die, dicimus illud *illucescente*, interpretandum esse quantum ad solemnitatem Paschæ spectat; tunc enim incipiebat solemnitas, de qua ipse loquebatur. Quod autem hoc sit hoc modo intelligendum patet, quia idem Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 10. sequentem lucem à vespera immolationis Agni 15. diem esse dixit, quod falsum esset, nisi posteriore vespera, & 14. exeunte Agnus mactaretur. Adde, quod noster Ribera ex Græco textu ostendit manifeste Iosephi Interpretem, vitiosè locum vertisse; sed quidquid sit de huius singularis loci ambiguitate, certè de Iosephi mente ex aliis clarioribus locis dubitari non potest.

XL. *Iosephus rectè sensit de tempore huius immolationis.*

Aggrediamur iam partem alteram huius quæstionis examinare, Vtrum in eadem 14. Luna mensis primi Christus Dominus Sacrosanctum Ecclesiæ Sacrificium instituerit. Celebris est Græcorum opinio, qui affirmant Christum Dominum Sacrificium hoc instituisse die 13. seu Luna 13. mensis primi, sequenti autem die post Christi mortem ad occasum Solis cœpisse tempus Paschale Iudæorum, & fermenti abiectionem, ita Euthymius in Comment. cap. 26. Matth. & post eum Nicephorus lib. 1. Histor. cap. 28.

XLI. *Altera pars controuersiæ, an Christus eadem Luna 14. celebrauerit.*

Fundamentum præcipuum huius opinionis, quantum colligere potui ex antiquis authoribus, illud esse videtur, quod Christus Dominus sublatus in Crucem fuit, non decima-quinta, sed decima-quarta Luna, seu die mensis primi; ergo, inquiunt, Sacrificium Ecclesiæ instituit non 14. sed 13. Luna, seu die. Consequentia ab omnibus admittitur, quia Christus Dominus Sacrificium instituit, & reliquit Ecclesiæ suæ pridie quàm in Cruce moreretur. Antecedens autem probant quoad vtramque partem; & primo quod Christus Dominus non fuit Cruci suffixus 15. die, quæ erat primus dies Festus, & solemnis Azimorum, probare contendunt ex pluribus testimoniis ab Euangelio ipso petitis. Primo ex Matth. 26. *Dicebant autem, non in die Festo*; ergo crucifixionis dies non fuit Festus. Secundo ex Mar. 15. & Luc. 23. *Ioseph mercatus est sindonem, mulieres parauerunt aromata.* Iudæi egerunt causam criminalem, quæ sanè in die Festo licita non erant. Tertio ex Ioan. 13. *Ante diem Festum Paschæ*, ergo saltem pridie quàm inciperet dies Festus, qui incipiebat à vespera 14. Quarto ex Ioan. 18. *Ipsi non introierunt in Pretorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*; ergo non erat dies ipse Paschæ, quia nondum Pascha manducauerant. Quinto ex Ioan. 19. *Erat autem Parasceue Paschæ*, si erat Parasceue Paschæ quando Crucifixus est Christus, ergo non erat dies ipse Paschæ; his ferè locis contendunt Christum non fuisse Crucifixum 15. die, quæ erat dies Festus. Quod verò Crucifixus fuerit die 14. ex eo maximè ostendunt, quia immolatio Agni Paschalis figura insignis fuit Passionis Christi, sed Agnus immolabatur die 14. ergo, & Dominus pati, & mori debuit die 14. præuenit ergo Christus vno die tempus legitimum immolationis Agni, vt eius mors in ipsum diem legitimum Agni immolationis incideret, & sic verus Agnus eodem die, quo Typicus occideretur, & veritas suæ figuræ responderet. Ex hac Sententia ortus est error de Eucharistia conficienda non in Azimo sed in fermentato, quia dies Azimorum incipiebat à vespera 14. Lunæ, Christus autem Eucharistiam instituit 13. ante

XLII. *Explicatur Græcorum sententia.*

XLIII. *Fundamentum ex Scripturis.*

XLIV. *Error conficiendi in fermentato vnde ortus.*

tempus Azimorum; nam quamuis Christus Agnum Paschalem cum Azimis manducauerit iuxtà legem, tamen prima illa Cœna legali finita, rediit ad panem communem, quo in Cœna vsuali, & communi vesci ea nocte licebat, quia non erat 14. in qua incipiebat vsus Azimorum pro omni cœna, & pro omni conuiuio; nam duplex præceptum distinctum de Azimo inuenitur; vnum vt Agnus Paschalis cum azimis comedatur, & hoc præceptum seruauit Christus; alterum, vt septem totis diebus sola Azima ederentur in quacumque cœna, & conuiuio, & hoc secundum in Sententia Græcorum, non seruauit Christus, quia nondum venerat tempus, quo illud obligare inciperet; ideo in Cœna communi illius noctis reuersus ad panem communem, hoc est fermentatum, in illo Sacrificium suum instituit. Hæc est Sententia Græcorum.

XLV. *Christus instituit suum Sacrificium 14. mensis, qua erat prima Azimorum.*

At nos cum S. Thoma, & communi Theologorum in 4. dist. 11. absurdissimum arbitrantes Christum Dominum ante constitutum à lege diem, suum Pascha immolasse, dicimus non in 13. sed in 14. die illud celebrasse, quando secundum legem abjiciebatur fermentum ab omni cœna, propterea quod à Vespera illa 14. inchoabatur dies Azimorum. Itaque in eadem 14. Luna, in qua prima Agni institutio facta est, Exod. 12. factam omnino esse affirmamus Institutionem Sacrosancti Ecclesiæ Sacrificij.

XLVI. *Christus Crucifixus est Luna quinta-decima*

Vt autem Aduersariorum fundamentum funditus euertamus, contrariis planè principiis inhærentes argumentamur hoc modo. Christus Dominus sublatus in Crucem fuit non 14. sed 15. die, seu Luna mensis primi; ergo Sacrificium Ecclesiæ instituit non 13. sed 14. Luna, seu die eiusdem mensis primi. Consequentia vtrinque admittitur, quia inter Aduersarios, & nos planè conuenit, diem Passionis Domini fuisse postridie quàm ipse Ecclesiæ Sacrificium institueret.

Antecedens, in quo tota vis est, probatur primo authoritate Theologorum, inter quos eorum Princeps S. Thomas 3. part. quæst. 46. art. 9. vbi quærit, Vtrum Christus fuerit conuenienti tempore passus, in responsione ad primum. Constat, inquit, *Quinta-decima* Luna Christum esse passum; super quem locum Caietanus expendens authoritates Euangelistarum allatas à S. Thoma, sic ait. Verba illorum non possunt exponi ad litteram nisi intelligendo diem illam Veneris, in qua Christus passus est, fuisse Lunam *Quintam-decimam*; eandem Sententiam docuerat S. Thomas in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. & lib. 4. contra Gentes cap. 69. & in 1. Opusc. quod est contra errores Græcorum, & in Euang. Ioan. cap. 13.

Secundo probatur authoritate Sanctorum Patrum. S. Ambrosius lib. 10. Epist. 83. Sequenti autem die Crucifixus est, Luna *Quinta-decima*. Venerabilis Beda in lib. de Temp. ratione cap. 45. *Quod Dominus decima-quinta Luna Crucem ascenderit nulli licet dubitare Catholico*; & ne longum faciamus, omnes Patres quotquot docent Christum occisum fuisse ipso die solemni, ac maximè Festo Iudæorum, vt sunt Tertull. lib. contra Iudæos, Orig. Homil. 23. in Num. Clemens Rom. lib. 5. Constit. cap. 14. Epiphanius hæres. 70. Cyrill. Hierosl. Catech. 13. Chrysost. Homil. 86. in Matth. August. Tract. 10. in Ioan. & alij; omnes docent pariter illum passum fuisse Luna *Quinta-decima*, quia manifestum ex lege est, non nisi Lunam 15. fuisse solemnem Festum Iudæorum, hoc est primum Azimorum.

Hinc sumimus potissimam rationem ad probandum illud nostrum antecedens hoc modo. Dies, quo Crucifixus est Dominus, fuit dies Festus, & solemnis Iudæorum; ergo non fuit decimus-quartus, sed decimus-quintus. Consequentia patet ex prænotatis, quia licet decima-quarta dicatur Pascha, nunquam tamen dicitur dies Festus Paschæ, sed dies decima-quinta dicebatur dies Festus, & solemnis, immò solemnitas ipsa Paschæ iuxtà illud Num. 28. *Decima-quarta phase est, decima-quinta solemnitas.* At antecedens quamuis testimoniis Patrum, quos citauimus confirmatum satis videatur, probamus illud præterea testimoniis omnium Euangelistarum, qui diem illum Festum appellant: nam Matth. 27. dicitur: *Per diem autem solemnem.* Marci 15. *Per diem autem Festum.* Luc. 23. necesse autem habebat dimittere eis *per diem Festum, vnum.* Ecce tres Euangelistæ, diem, quo Pilatus volebat Christum dimittere, qui fuit eius Passionis, appellant diem solemnem, & Festum; & quod sermo esset de die Festo Paschali, declarat satis quartus Euangelista. Nam Ioan. 18. Pilatus ait. Est autem *consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha, vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum?* XLVII. *Dies mortis Christi, fuit solemnis, & Festus Iudæorum*

Confirmat hanc interpretationem non leuiter, quod eodem ipso mane, quo hæc dixit Pilatus, dixerunt ad illum Iudæi: *nobis non licet interficere quemquam*, quod, vt rectè Bellarminus lib. 4. de Euch. significat non licuisse id eis ob Festum, quod illo die agebatur, vt exponunt in suis Commentariis super Ioannem Chrysostomus Homil. 82. Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 6. Aug. Tract. 114. & ex his recentiores Interpretes communiter, nam alioqui licuisse eis alio tempore blasphemos occidere; patet ex Act. 7. & 24. & quando illis ob defectum potestatis, & facultatis alio etiam tempore non licuisset, certè in præsenti casu huius defectus causam prætexere non poterant, nam potestatem fecerat illis Pilatus dicens: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum*; quid autem aliud fuit hoc dicere, ait Toletus, quàm consentio, placet, facultatem concedo, vt vos pœnas legis vestræ exequamini, & condemnetis; secundum autem legem eorum mori Christum debere, ipsi fassi sunt illis verbis: *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit*, diceret igitur Pilatus: iam vobis concessi, vt secundum legem vestram iudicaretis, inepta est responsio vestra, nobis non licet interficere, idest non habemus facultatem interficiendi. Hoc argumentum, inquit Toletus, manifestè probat, non posse hæc verba de tali facultate exponi, nempe non habemus facultatem, nam Pilatus iam eis concesserat, vt secundum legem iudicarent, sicut olim facere solebant. Ea igitur, ait ipse, expositio legitima videtur, vt qua ratione non ingressi sunt Prætorium ne contaminarentur, eadem etiam sibi non licere dicant, interficere quemquam, etiam consentiente Pilato, quia scilicet Iudæis non licebat in diebus Festis Azimorum vllum interficere, quod Herodem Agrippam Iudaïsmi studiosissimum seruasse legimus Act. 12. Nam cum apprehenderit Petrum, noluit producere eum populo, quia dies Paschales erant; neque verò facilè poterat Iudæis respondere Pilatus, si vobis non licet nunc, poteritis post Pascha secundum legem vestram illum interficere, nam huic responsioni ipsi tacitè occurrerunt, dum Christum in die solemni ad Prætorium adduxerunt, eo facto significantes nulla interposita mora continuò eum puniire oportere, & de medio XLVIII. *Iudæis non licuit quemquã interficere in die Festo.*

tollere, esse-que maximum, in septem dierum, quamdiu Pascha patebat, moræ periculum, quod re-vera sibi persuaserant videntes Christi magnam virtutem, propter quam Traditor consuluerat Marc. 15. *tenete eum, & ducite cautè.*

XLIX. *Traditio de morte Christi in quinta-decima.*

Retinenda igitur est communis Ecclesiæ Sententia, quam S. Ioan. Chrysostomus Homil. 86. in Matth. ait Apostolos docuisse, videlicet in die ipso Paschæ celeberrimo, quem primum appellabant Azimorum, atque adeo ipso quintodecimo mensis die consummatum in Cruce Sacrificium fuisse humanæ Redemptionis. Quæ etiam antiquissima fuit Iudæorum traditio, quam refert Eugubinus in Annotationibus cap. 12. Exodi, scilicet. *Decima-quinta die mensis Nisan redimendum fore Israël in diebus Messiæ* neque difficilis erat illa opinatio cogitantibus illa 15. die mensis Nisan Israël redemptum olim fuisse à seruitute Ægypti, quæ redemptio vmbra fuit luculentissima Redemptionis Mundi, sed de hoc iterum infra.

Nunc ad testimonia ex Euangeliis petita, quibus contendebatur probare diem Passionis, Festum non fuisse, respondeamus. Ad primum ergo Matth. 26. *dicebant autem non in die Festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* Respondet Bellarminus, fuisse illam quorundam sententiam in eo Concilio, sed non obtinuisse, prævaluit enim eorum Sententia, qui iudicarunt non esse negligendam occasionem Christum necandi quocumque tempore, quæ responsio satis mihi

L. *Iudas in causa fuit vt Christus in die Festo caperetur.*

apta videtur esse, ex illo præsertim capite, quod cum Principes consilium agitarent de modo capiendi Christum, adfuit illis Iudas, modum suggessit, ac se eum in manus illorum tutò daturum, pacto 30. argenteorum pretio, spopondit. Quæ omnia non obscurè significat idem Euangelista: *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis: quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? at illi constituerunt ei triginta argenteos, & exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet.* Obserua illud: *Tunc*, quod non solum refertur ad factum prænarratum Magdalenæ, sed etiam,

LI. *Ieiunium diei quo vendita fuit caro Christi.*

& maximè ad Concilium Sacerdotum, de quibus paulo ante dixerat Euangelista: *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi. Tunc*, hoc est mane Feriæ-quartæ Maioris hebdomadæ vti habet communis Ecclesiæ sensus, ait noster Cornelius: ob hoc enim Iudæorum Concilium, & Christi venditionem hac die factam à Iuda, veteres Christiani solebant eadem Feria quarta, siue die Mercurij ieiunare, quod testatur S. August. Epist. 86. ad Casulanum, vbi ait: Cur autem quarta, & sexta Feria maximè ieiunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod considerato Euangelio, ipsa quarta Sabbati, quam vulgo quartam Feriam vocant Concilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi, quin & Græci, addit Cornelius, Poloni, Hollandi permulti eadem de causa die Mercurij etiam-num esu carnium abstinent, eo quod illa die vendita sit caro Christi. Non est igitur mirum, si contra aliquos negantes in die Festo capiendum esse Christum, prævaluit Sententia affirmantium, vel si tunc non prævaluit, non est mirum ad proditionem oblatam Iudæ omnes mutasse consilium; non enim ob religionem Festi, sed ob metum incerti exitus, vt obseruat S. Hieronymus, dicebant, non in die Festo; quare metu hoc magna ex parte à Iuda liberati, oblatam mox opportunitatem auidè arripuerunt.

Ad secundum ex Marco, & Luca de Sindone empta, & aromatibus paratis

ad sepulturam, dicimus non illicita hæc fuisse in die Festo, ad eum modum, quo non illicita erat ipsa sepultura, vt patet ex Tobia 2. qui cum esset dies Festus, & annuntiatum esset ei, cadauer iacere in foro, surrexit, & sepeliuit etiam in Festo: opera enim pietatis, & charitatis, & quæ maximè differri non oportebat, non censebantur prohibita, neque inter opera seruilia computabantur. Huiusmodi autem erant, quæ pertinebant ad sepulturam Christi imminente, & illucescente iam Sabbato, in quo maior quies præcipiebatur, quàm in vllo alio Festo, propterea in Sabbato, neque ignis accendi poterat, neque cibi præparari, quæ licita erant in aliis Festis, etiam in Paschate, vt patet Exod. 12. Quod si licitum erat mortuos sepelire, licitum consequenter erat etiam aromata parare, & Sindonem emere ad sepulturam; vnde Ioseph, & Nicodemus Ioan. 19. Pilato id permittente. *Acceperunt Corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* LII. *Curare funus licebat in die Festo.*

Quod autem attinet ad Iudæos, qui criminalem causam egerunt, non est multum laborandum, nam ipsi prætexentes Dei honorem, & legis defensionem non timuerunt hæc in Festo facere, immò in hoc se maxime religiosos putabant, quod hominem, vt ipsi jactabant, blasphemum, & læsæ Diuinæ Majestatis Reum accusarent, nam Exod. 22. dicitur: *Maleficos non patieris viuere*, & Numer. 15. cum essent filij Israël in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in Sabbato, obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & eodem die, quo nec cibos parare fas erat, recluserunt eum in carcerem, lapidibusque extrà Castra obruerunt, Domino ipso iubente; immò Christum ipsum lapidare, & comprehendere aliàs voluerunt Iudæi in Festo Encæniorum, quod erat etiam solemnissimum, & in nouissimo die Tabernaculorum, vt constat ex Ioan. 7. & 10. causa enim præsumptæ Religionis vrgebat. Adde, Iudæos non tulisse ipsos Sententiam mortis, sed Pilatum, neque ipsos flagellis illum accepisse, & in Crucem egisse, sed milites Romanos, quos certè Religio diei Festi non mouebat. LIII. *Quomodo egerunt causam criminalem.*

Ad tertium ex Ioan. 13. *Ante diem Festum Paschæ*, dicimus, hoc dictum esse in nocte 14. Lunæ, in qua iam incœperat dies legalis, atque adeo dies Festus Paschæ, sed tamen dicitur ante diem Festum Paschæ, quia loquitur Ioannes de die naturali, quo Sol oriens nouum diem à nocte secernit iuxtà communem consuetudinem loquendi, etiam Sacræ Scripturæ, quæ vt diximus, lucem appellat diem, & tenebras noctem, ad quem modum, ait Bellarminus, & nos solemus in Vespera Sabbati Sancti dicere: Cras erit Festum Paschæ, licet etiam cœperit Festum celebrari in Officio Ecclesiastico. Vnde retorquetur Argumentum contra Aduersarios. Hoc dictum fuit, pridie Passionis, vt manifestum est ex textu ipso Ioannis; ergo dies Passionis erat dies Festus. LIV. *Duplex dies, legalis & naturalis.*

Ad quartum ex Ioan. 18. *Ipsi non introierunt in Prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.* Respondemus ex doctrina allata superius Num. 12. Pascha vocari hoc loco, non Agnum Paschalem, qui solum 14. die ad vesperam immolabatur, sed Victimas quascumque oblatas septem illis diebus Azimorum, qui dies dicebantur Paschales; quod autem ex Paschalibus illis Victimis, comedendæ aliquæ essent à Sacerdotibus rectè ostendit Bellarminus ex Ioseph. lib. 13. Antiq. cap. 13. qui refert illud Numer. 28. de immolatione duorum Vitulorum, Arietis, & Hirci, & septem Agnorum, quæ fiebat LV. *Victimæ Paschales comedendæ à Sacerdotibus.*

ſingulis diebus Paſchæ, dicit, Vitulos, Arietem, & Agnos holocauſta fuiſſe, ſed hircum fuiſſe Sacrificium pro peccato, & ex eo quotidie *parari ſolitum epulum Sacerdotibus*. Illa igitur Victima Paſchalis, ait Bellarminus, quæ comedenda à Sacerdotibus erat, eſt illud Paſcha, de quo loquitur S. Ioan. cum ait, *ipſi*, nimirum Pontifices, *non introierunt, vt non contaminarentur*, ſed *vt manducarent Paſcha*; nam non licuiſſe Sacerdotibus niſi purificatis edere Sacrificia patet Leuit. 22.

LVI. *Solum Sabbatum habebat Paraſceue.* Ad quintum, ex Ioan. 19. *Erat autem Paraſceue Paſchæ.* Reſpondeo, *illud Paraſceue Paſchæ* non ſignificare Paraſceuem ad Paſcha, ſed Paraſceuem in Paſchate occurrentem, vel potius Paraſceuem Sabbati Paſchalis, & ratio eſt manifeſta, quia apud Hebræos Paraſceue non erat niſi propter Sabbatum; vnde in tota Scriptura ait Toletus, nullius Feſti dicitur Paraſceue, niſi Sabbati, quia in ſolo Sabbato non licebat præparare, quæ ad eſum neceſſaria erant, quamobrem Feria ſexta præparabantur, & idcircò ſola Feria ſexta Paraſceue dicta eſt. In die autem Azimorum primo, non erat talis prohibitio, immò expreſſa conceſſio, nam Exod. 12. de ſolemnioribus dicitur: *nihil operis facietis in eis exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent.*

LVII. *Cur dictum Paraſceue Paſchæ.* Non erat igitur Paraſceue ipſius Paſchæ, quaſi præparatorius ad Paſcha, ſed quia erat vnus ex diebus illis Paſchæ, & ſimul præparatorius Sabbati; quod ſatis apertè ſignificant Euangeliſtæ, Marcus cap. 15. *Et cum iam*, inquit, *ſerò eſſet factum, quia erat paraſceue, quod eſt ante Sabbatum venit Ioſeph, &c.* non dicit Paraſceue ante Paſcha, ſed ante Sabbatum, & Ioan. 19. *propter Paraſceuem*, inquit, *Iudæorum, vt remanerent in Cruce corpora Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati:* vbi vides ait Bellarminus paraſceuem fuiſſe non ad Paſcha, ſed ad Sabbatum, quod illo anno celebrius erat, & magnum dicebatur, quia incidebat intra hebdomadam Paſchalem, quæ tota ſolemnis erat, licet primus, & vltimus dies ſolemniores eſſent.

His expeditis reliquum eſſet reſpondere ad argumentum illud, quo inferebatur, Paſſionem Chriſti peractam fuiſſe 14. die, quia Agnus Paſchalis, qui ſuit figura patientis Chriſti, immolabatur 14. die: ſed ad hoc opportunius reſpondebimus ſub finem huius quæſtionis.

LVIII.

An Inſtitutio vtriuſque Sacrificij inciderit in Feriam quintam.

SCITVM eſt illud dictum Auguſtini in lib. quæſt. Veteris, & noui Teſtamenti. Omnia propriis locis, & temporibus geſſit Saluator, nimirum, vt ait S. Thomas 3. par. quæſt. 46. art. 9. eius voluntas regebatur Diuina Sapientia, quæ omnia conuenienter, & ſuauiter diſponit, vt dicitur Sap. 7. Atque id quidem ſicubi in aliis rebus aduertere licet, certè in circumſtantiis Inſtitutionis huius Sacrificij eſt planè ſtupendum. Vidimus in eodem menſe primo, vidimus non ſolum in eodem menſe, ſed etiam in eadem 14. Luna, ſeu die eiuſdem menſis inſtitutum fuiſſe Sacrificium Agni, & Sacrificium Chriſti. Verum quia fieri poterat,

poterat, vt quo anno Christus suum instituit Sacrificium, dies 14. incideret in Feriam diuersam ab ea, in qua ante annos 1496. fuit institutum Sacrificium Agni; ideo quærimus hoc loco, an vtraque immolatio in eandem Feriam inciderit, puta in Feriam quintam. Dicimus autem vtramque in quintam, hoc est in diem Iouis incidisse.

LIX. *Cristus Crucifixus fuit die Veneris.*

Et primo, vt hic à notioribus exordiamur, quod Christus Dominus Sacrosanctum Ecclesiæ Sacrificium instituerit Feria quinta, id non solum ex Ecclesiæ traditione, sed ex Euangelistis ipsis probamus hoc argumento. Christus Dominus passus est Feria sexta, siue die Veneris, ergo suum Sacrificium instituit Feria quinta seu die Iouis. Probatur Antecedens apertissimè ex Euangelistis, qui disertissimè dicunt, diem Passionis, & mortis Christi fuisse Parasceuem, nam Matthæus 27. agens de die consequente ad Passionem Christi, ait: *Altera autem die, quæ est post Parasceuem.* Marcus 15. & cum iam sero factum esset, quia *Parasceue erat*, quod est ante Sabbatum, venit Ioseph. Lucas 23. *dies erat Parasceues*, & Sabbatum illucescebat. Ioan. 19. Iudæi ergo, quoniam *Parasceue erat*, vt non remanerent in Cruce corpora Sabbato. Ex his locis huiusmodi conficitur argumentum. Inter omnes hebdomadæ dies, solus dies Veneris erat dies Parasceues, siue præparatorius, vt constat ex dictis Num. 56. eo quod in solo Sabbato non licebat præparare, quæ ad esum necessaria erant; ergo si Christus passus est in die Parasceues, passus est in die Veneris.

LX. *Eucharistia instituta Feria quinta pridie Passionis.*

Quod verò ex hoc sequitur Eucharistiæ Institutionem celebratam esse die Iouis, manifestum est ex Apostolo 1. ad Corinth. 11. vbi expresse ait factam: *In qua nocte tradebatur*, seu quod idem est: *pridie quam pateretur*, vt habemus in Sacro Canone, quem *ab omni errore purum* definiuit Tridentinum Sess. 22. cap. 4.

Hinc S. Syluester, vt constat ex eius Actis, agens de Feria quinta: *In hac etiam*, inquit, *die Sacrificium Sacri Corporis Domini, & Sanguinis ab ipso Domino sumpsit exordium.* S. Ambrosius Epist. 86. *& celebrauit Pascha hebdomada, in qua fuit 14. Luna, Feria quinta.* S. Augustinus Epist. 86. prope finem, ait, Christum suum Pascha cum discipulis manducasse in vespera, quæ, inquit, *finis est eius diei, quam vocamus quintam Sabbati, deinde traditus est ea nocte, qua iam ad sextam Sabbati, qui dies Passionis eius manifestus est, pertinebat.*

LXI. *Altera pars controuersiæ.*

Iam vero, vt ad alteram controuersiæ partem descendamus ostendemus argumento consimili, primam Paschalis Agni immolationem celebratam esse quinta Sabbati, eo quem vocamus diem Iouis, sic igitur argumentamur. Dies egressus Hebræorum ex Ægypto fuit dies Veneris, ergo dies primæ immolationis Agni, fuit dies Iouis. Consequentia ex disputatis quæstiuncula præcedente est manifesta, quia dies egressus ex Ægypto fuit 15. Luna mensis primi, dies autem immolationis Agni fuit 14. Luna eiusdem mensis, puta dies immediatè, & proximè antecedens egressum, seu potius nox ipsa egressus. Tota difficultas est in probando antecedente; illud autem probamus hoc modo. Dies trigesimus-primus ab egressu Hebræorum ex Ægypto, fuit dies Solis, qui postea propter Domini Resurrectionem appellatus est dies Dominicus, qui dicebatur Hebræis vna, seu prima Sabbati, dies, inquam 31. ab egressu fuit dies Dominicus; ergo

LXII. *Dies liberationis ab Ægypto fuit dies Veneris.*

dies ipse egressus ex Ægypto fuit dies Veneris, seu sexta Sabbati. Consequentia patet retrò ascendenti, & computanti. Antecedens probatur. Dies trigesimus-primus ab egressu fuit ille, quo cœpit pluere Manna in Deserto, ergo dies trigesimus-primus ab egressu fuit dies Dominicus. Consequentia hæc nititur testimoniis veterum Patrum, Ambrosij in 1. Cor. 10. Augustini Serm. 251. de Tempore, Synodi Cæsaréensis Palestinæ, quam congregauit Theophilus Episcopus ex mandato Victoris Papæ, cuius meminit Beda in Epist. de celebratione Paschatis, seu de Æquinoctio verno, & aliorum, qui docent diem, quo primum pluit Manna in Deserto, fuisse Dominicum, siue primum diem hebdomadæ; vnde Exod. 16. ver. 5. dixit: *Die autem sexto parent quod inferant*: super quem locum noster Cornelius, hinc colligunt, inquit, Patres diem, quo cœpit pluere Manna, fuisse Dominicum: ab hac enim die, sexta est Parasceue, siue dies Veneris, in qua iubentur Hebræi parare, & colligere duplum in quietem Sabbati. Dies igitur, quo primum pluit Manna fuit Dominicus; quare omnes Sacri Doctores quotquot colligunt præconia, & insignia diei Dominici, in primis hoc numerant, quod eo die primum de Cœlo pluit Manna in Deserto.

LXIII. *Manna cœpit pluere die Dominico.*

LXIV. *Die 31. ab egressu ex Ægypto.*

Quod verò Manna cœperit pluere die trigesimo-primo (hoc enim erat proximum antecedens) probo ex eodem cap. 16. Exodi, vbi dicitur: filios Israël peruenisse in Desertum Sin, pridie quàm inciperet Manna pluere. *Quinto-decimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti*, puta trigesimo die ab egressu: egressi enim sunt decimo-quinto die mensis primi; decimo verò quinto die mensis secundi venerunt in Sin. Pro quo notant Interpretes, Hebræos vsos fuisse mensibus Lunaribus, qui constant 29. diebus, & 12. insuper horis, quæ 12. horæ in alternis mensibus junguntur, vt integer dies confletur; quare si primo mensi dentur 29. dies, sequenti dantur 30. Iam si primus mensis Nisan habebat 29. dies; ergo à 15. die ad 29. & vltimum sunt 15. dies; his adde dies 15. mensis secundi, & præcisè peruenies ad diem tricesimum, quo Hebræi peruenerunt in Sin pridie illius diei, quo cœpit pluere Manna, vt patet ex versu 8. & 12. eiusdem capitis 16.

Cum ergo probatum sit, diem, quo Hebræi egressi sunt de Ægypto fuisse diem Veneris, quod affirmant etiam Seder-Olan cap. 5. Genebrardus ibidem, Eugubinus, Andreas Masius, & ex nostris Cornelius à Lapide, & Iacobus Tirinus sequuti Chronographos; apertè sequitur, quod hoc loco nobis propositum erat, Hebræos primum hoc suum Sacrificium typicum obtulisse pridie quam egrederentur puta die Iouis, perinde ac Christus suum Sacrificium Eucharisticum die Iouis pridie quàm pateretur celebrauit. Atque hac ratione mirandum in modum eadem nocte, quod ait S. Cyprianus Sermone de Cœna Domini. *Cœna disposita inter Sacramentales epulas obuiauerunt sibi instituta antiqua, & noua.*

An vtriusque Sacrificij celebratio facta sit eadem hora vespertina. LXV.

QVOD vtriusque Sacrificij institutio celebrata sit tempore vespertino, notius ex Diuinis Litteris est, quam vt pluribus oporteat comprobare; nam & de Sacrificio Paschalis Agni lata est lex Exod. 12. ***Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.*** De Sacrificio verò Christi expressè scripsit Apostolus 1. Cor. 11. ***In qua nocte tradebatur;*** sed difficultas est de hora præcisa celebrationis vtriusque Mysterij, ea autem oritur tum ex verbis legis, tum ex ipsa rei natura. Et quidem ex verbis legis, quia pro ad vesperam, in Hebræo est ***Ben Arbaim***, idest ***inter duas vesperas***, vnde orta lis est inter Interpretes, quid nam intelligendum sit per has duas vesperas. Ex natura vero rei oritur quoque difficultas: quia cum Agni mysterium includat duo, immolationem scilicet, & comestionem, necessario distinguendum erat tempus immolationis à tempore comestionis, quia quo tempore Agnus immolabatur, comedi profectò non poterat, cum debuisset antea iuxtà legis præscriptum, & ritum præparari.

Statuamus igitur primo legitimam horam vtriusque partis Sacrificij Paschalis; inde enim facile erit nobis ad horam nostri Sacrificij deuenire. Et primo certum est, vesperam, si propriè sumatur, esse tempus illud diei, quod est post occasum Solis, & ante principium noctis. Infero proprietatem huius significationis ab vsu ipso Scripturæ. Nam cum Leuit. 23. ver. 32. præcipitur: ***à vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra;*** sensus est, ab vno Solis occasu, vsque ad alterum Solis occasum, cum scilicet apparere incipit Stella, quæ vesper, vesperugo, & hesperus dicitur: ab hac enim Stella tempus hoc vesperæ nomen accepit, vt ait Isidor. lib. 5. Etymol. cap. 3. Ideo Iudæi tam solliciti erant, vt ante Solis occasum, crucifixorum corpora tollerentur, reddit rationem Euangelista Ioannes 19. ***Quoniam Parasceue erat, vt non remanerent in Cruce corpora Sabbato***, quia scilicet à Solis occasu incipiebat Sabbati solemnitas; vnde si depositio differretur, toto Sabbato corpora mansura fuissent contra præceptum legis, non enim in Sabbato deponi poterant corpora, quod opus inter seruilia recensebatur. LXVI. *Vespera quid propriè.*

Verum præter hanc vesperam rigorosè acceptam, quæ incipiebat in ipso Solis occasu, vulgaris, & communis vsus, alteram veluti laxiorem inuexit, quæ scilicet esset, cum Sol ad occasum ipsum declinaret, ac vergeret; hinc factus est locus tempori vespertino, inter duas scilicet vesperas intercepto, de quo dictum est: Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ***inter duas vesperas***, seu vt Chaldæus vertit, ***inter duos Soles***, scilicet inter Solem declinantem, & occidentem; quod etiam Latina Ecclesia seruat, ait Toletus, nam tempus horarum post Nonam vocat Vesperæ, & ab eo nuncupat horas vespertinas, tempus etiam Completorij appellat vesperem, largire, inquit, clarum vespere. LXVII. *Quid est inter duas Vesperas.*

LXVIII. *Tempus immolationis, & tempus esus Agni.* Ex his cognoscere licet legitimum tempus occisionis, & immolationis Agni, & tempus item legitimum eius comestionis. Tempus immolationis duas ferè horas continebat ante Solis occasum, vnde Iosephus lib. 16. Antiq. cap. 10. docuit, Iudæos immolare solere Paschales hostias ab hora nona vsque ad vndecimam, tempus verò comestionis duas itidem horas continebat post Solis occasum, vt sumitur ex eodem Iosepho lib. 7. de Bello Iudaico cap. 17. Quare sicut immolatio Agni incipere poterat ab initio primæ vesperæ post horam nonam, ita eius comestio poterat inchoari ab initio secundæ vesperæ post occasum Solis. Hoc totum confirmari potest ex ipso cap. 12. Exodi; quamuis primore aspectu oppositum præseferre videatur; nam ibi cum agitur de Agni immolatione, dicitur: immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël *ad vesperam*; cum verò agitur de eiusdem esu dicitur: *quarta-decima die ad vesperam comedetis Azima*, vbi aduertit Toletus in cap. 13. Ioan. annot. 4. quod quamuis in eodem loco Latinè, & Græcè sit eadem vox, *ad vesperam, tamen*, apud Hebræos est varia; nam Agnus immolandus dicitur ad vesperam, hoc est inter duas vesperas,

LXIX. *Immolatio Agni diurna, comestio nocturna.* vt suprà diximus; est enim ibi nomen duale, vt comedendus dicitur ad vesperam absolutè, & in singulari, & non inter duas vesperas, incipiente videlicet nocturno tempore, vnde expressè ibi dicitur: *edent carnes nocte illa*, & probatur adhuc vlterius efficaciter, quia verè Agnus immolabatur in 14. Lunæ, quæ finem habet ad Solis occasum; at verò non comedebatur nisi ingrediente 15. quæ non ingrediebatur nisi post Solis occasum decimæ-quartæ, & ratio est apertissima, quia in tantum Agnus comedebatur cum Azimis, in quantum tempus comestionis illius erat intra diem primam legalem Azimorum, quæ vt sæpius dictum est, inchoabat post Solis occasum decimæ-quartæ, vbi fiebat initium decimæ-quintæ Lunæ: ergo tempus legitimum occisionis, & præparationis Agni erat adhuc diurnum, illius verò Cœnæ planè nocturnum, propterea præcipitur nocte comedendus, at immolandus inter duas vesperas modo explicato.

LXX. *Christus non interfuit iugulationi Agni.* Ex his collige primo, Christum Dominum Agni immolationi non interfuisse, sed tantùm illius Cœnæ. Ratio est, quia Christus Dominus non ascendit in Cœnaculum ante vesperam, vt significat Euangelista Marc. 14. *Vespere autem facto venit cum duodecim*, igitur post Agnum occisum venit, & præparatum; neque obstat, quod Agnum Paterfamilias immolabat, vnde videtur consequens, vt existimauit Sebastianus Barradas tom. 4. lib. 1. cap. 16. quod Christus, qui illius Apostolicæ familiæ Pater erat, deberet ipse Agnum immolare; nam officium immolandi, seu iugulandi poterat Paterfamilias aliis de eadem familia demandare, tanquam suis Ministris, quod Christum Dominum præstitisse apertè enarrat Luc. 22. *Venit autem dies Azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Ioannem dicens, euntes parate nobis Pascha, vt manducemus.* Vide Petrum tanquam suæ familiæ Vicarium, missum ad immolandum: Quid enim est, *parate nobis Pascha*, vt *manducemus*, nisi legalem Agnum iuxtà Paschalem ritum conficite ad manducandum? neque mirum est munus immolandi delegari à Patrefamilias consueuisse, seruato sibi interuentu ad eius Cœnam, nam vt rectè ait Cornelius à Lapide in Matth. 26. Sacrificium Agni Paschalis magis in eius comestione, quàm immolatione consistebat, vnde Discipuli aiunt: *vbi vis paremus tibi comedere Pascha*; immò Christus ipse, non ait:

parate nobis Pascha, vt immolemus, sed, *vt manducemus*; hinc, inquit Cornelius, mactari, immolari, excoriari, & assari poterat à quopiam è familia, quem Paterfamilias designasset, vti Petrus, & Ioannes hic missi à Christo Agnum mactarunt, immolarunt, assarunt, pararuntque panes Azimos, cum quibus comedendus à tota familia erat. Atque in hunc fortasse sensum dixit Philo, iubente lege tota gens sacrificat, quisque se gerit pro Sacerdote in quantum scilicet cuilibet de familia, Sacrum hoc ministerium, per vnum illum diem, demandari poterat.

Collige secundo, Christum Dominum, & si non interfuit immolationi Agni, tamen hora legitima, eius oblationi, & consummationi adfuisse, quod exprimere voluit Luc. 22. *Et cum facta esset hora*, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Dico non solum illius Sacrificij consummationi, quæ in manducatione maximè consistebat, sed etiam oblationi interfuisse, immò illam per se effecisse, vt enim piè notat noster Cornelius, Christus veniens domum, vidensque Agnum iuxtà morem assari, & in eo quasi in viua sui imagine intuitus suam Crucifixionem, in qua ipse simili modo distendendus, clauis affigendus, & igne, tum doloris, tum magis amoris postero die assandus erat in Cruce, in Agno illo, tanquam in sui Typo se ipsum magno intimi ardoris sensu Deo Patri obtulit in holocaustum, & victimam pro peccatis totius Mundi; quod ideo dixit, quia B. Iustinus in Dialogo cum Triphone refert, Agnum Paschalem in figuram Crucis solitum esse assari, affixum duobus lignis, recto, & transuerso in modum Crucis expansis, nam veru vnum, ait B. Iustinus ab infimis partibus ad caput vsque adactum perfigitur; & aliud rursus secundum scapulas, *ad quod suspenduntur manus Agni*, quem locum referens Franciscus Lucas: nescio, inquit, quid vulnerum perpetuo gerant Agni in mediis pedum velis, non absimili modo, quo Saluator noster ex Cruce reseruat in manibus, & pedibus fixuras clauorum. Itaque quoad oblationem Sacrificalem pertinet, præcedentem Sacrificij cuiuscumque consummationem, certissimum mihi est, illam à Christo, qui Pater suæ erat familiæ Apostolorum, præstitam esse.

LXXI. *Adfuit, & præfuit oblationi.*

LXXII. *Agnus assabatur Crucifixus.*

Collige tertio, Institutionem Sacrosancti Ecclesiæ Sacrificij factam esse inter fines legitimi temporis Cœnæ, seu consummationis Sacrificij Agni Paschalis, videlicet, sub horam noctis primam, vel secundam, id patet ex tota serie gestorum Christi in illa nocte, quæ nullo modo permittit, vt Sacrosancti Sacrificij institutio producta sit vltra alteram noctis horam, nam post illud institutum, Christus prolixum valde habuit Sermonem, quem Ioannes recenset quatuor ipsis capitibus 14. 15. 16. 17. eo autem absoluto, exiit in Montem Oliuarum, vbi orauit etiam prolixè, necdum media nox erat, antequam comprehensio sequuta est, vt communis fert opinio, & gesta ipsa in eius noctis reliquo ab Euangelistis enarrata demonstrant. Hinc Patres tanquam vnius eiusdemque temporis rem vtramque celebrationem conjunxerunt. S. Hieronymus in cap. 26. Matth. Postquam, inquit, typicum Pascha fuerat impletum, & Agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum. S. Chrysostomus Homil. 83. in Matth. Veritatem figuræ adjunxit. S. Leo Serm. 7. de Pass. Vetus Testamentum consumebat, & nouum Pascha condebat; denique Tridentinum Sess. 22. cap. 1. Celebrato veteri

LXXIII. *Christus instituit suum Sacrificium ad horam Agni.*

Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat, nouum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc Mundo ad Patrem, &c.

LXXIV. *Tota Christi Passio intra diem legalem Agni.*

Collige quarto, Christi Passionem inchoatam, immò consummatam etiam fuisse intra eandem diem legalem, in qua consummatum fuit Sacrificium Agni, idque iuxtà figuram Exod. 12. de die legali, quæ sumebat initium à Sacrificali Agni consummatione, & de qua dictum fuerat: *Dies prima erit sancta, atque solemnis, & obseruabitis Azima,* statim subditur: *In eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti.* Dixi intra eandem legalem diem vtrumque Sacrificium consummatum fuisse, quia Sacrificium Agni expletum fuit 15. Luna inchoante, post Solis occasum, Sacrificium verò Christi consummatum fuit eadem 15. Luna exeunte post horam Nonam ante Solis occasum, vbi obseruare licet, quod sicut liberatio, & egressio Populi Israël de Ægypto inchoata est in nocte, & consummata in luce *quinta-decima die mensis primi, altera die phase videntibus cunctis Ægyptiis* vt dicitur Num. 33. ita Sacrificium cruentum Passionis, & mortis Christi, licet consummatum fuerit luce palam, & in meridie, *videntibus cunctis,* inchoatum tamen fuit in nocte ipsa, quod adnotasse videtur Venerabilis Beda tom. 2. cap. 23. in Marcum. Licet, inquit, Christus, qui est Pascha nostrum sit crucifixus sequenti die hoc est *quinta-decima* Luna, attamen nocte, qua Agnus immolabatur, à Iudæis tentus, ac ligatus, *ipsius immolationis hoc est passionis suæ sacrauit exordium.*

LXXV. *Respondetur ad rationem Græcorum.*

Vnde patet ad argumentum Græcorum in hunc postremum locum rejectum; ex illo enim hoc tantùm conficiebatur; quod sicut Agni Sacrificium figura fuit Passionis Domini, ita debuit eodem die passio peragi, quo Sacrificium illud consummatum fuit; at ita omnino factum est, nam vespera illa Cœnæ diei 14. post Solis occasum ad diem sequentem pertinebat, vt dies ille festiuus erat, merito autem addit Toletus; Christus Dominus tempus figuræ protraxit, significans figuram finem habituram, veritatem autem supra figuram ipsam permansuram, & duraturam, nouamque legem venturam, nempe Euangelium, cuius Festum, & Agnus immolabatur non in die Iudaico, sed nouo, vt ergo impleret illud, incœpit tunc suam Passionem, sed non consummauit propter hanc noui mysterij significationem.

Sed ad hoc argumentum iterum infra, vbi probabimus Sacrificium Agni fuisse principaliter figuram Sacrificij incruenti Ecclesiæ, Passionis verò minus principaliter, vt mirandum non sit, si Institutio Sacrificij nostri peracta sit eodem die, & eadem hora, qua Agnus secundum legem in Dei honorem consummabatur, Christi autem Passio eodem die, licet non eadem hora peracta fuit.



QVÆSTIO SEPTIMA.

De reliquis circumſtantiis huius Inſtitutionis.



ISSERVIMVS paulò fusius de circumstantiis temporis, nunc in eadem comparatione vtriusque Sacrificij, tum Agni, tum Christi persistentes, quæ reliqua sunt breuius perstringemus. Erit autem perutilis hæc disputatio, quia ex illa validum sumetur argumentum contra Kemnitium, aliosque Hæreticos, qui libenter adhæserunt opinioni Græcorum, affirmantium, immolationem Agni Paschalis figuram fuisse non Eucharistici Sacrificij, sed Sacrificij Crucis, quanquam longè diuerso animo Græci, & Hæretici id fecerunt; nam Græci in illam partem inclinarunt ad tuendam illam suam sententiam de celebratione Eucharistiæ in fermentato. Sic enim arguunt. Immolatio Agni Paschalis figura fuit Sacrificij Crucis; sed Agnus immolabatur die 14. ergo & Dominus debuit Crucifigi die 14. ergo Eucharisticam Cœnam instituit die 13. in qua non dum cœperat tempus, & vsus necessarius Azimorum.

I. *An Agnus Paschalis fuerit principaliter figura Eucharistiæ.*

Azimorum. Hæretici verò idem assumptum arripiunt, sed alio intendentes, videlicet ad euertendum Sacrificium Ecclesiæ, quod fatentibus ipsis probaretur egregiè ab institutione Agni Paschalis, si figura illa ad Eucharistiam pertineret; neque enim negare possunt celebrationem Agni Paschalis Sacrificium propriè dictum fuisse, id enim euincunt voces, Victimæ, oblationis, Sacrificij, immolationis, & huiusmodi, quæ cum in Scripturis absolutè dicuntur, verum, ac propriè dictum Sacrificium significant; constat autem voces has in Scriptura, tum veteris, tum noui Testamenti, absolutè attribui celebrationi Agni Paschalis. Nam Exod. 12. dicitur: *Victima transitus Domini est*; & Num. 9. Si quis mundus est, & non fecit *phase* exterminabitur anima illa de populis suis, quia *Sacrificium Domino non obtulit* tempore suo. Similiter in nouo Testamento, Marc. 14. Et primo die Azimorum quando *Pascha immolabant*. Et 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, vbi præsupponitur Paschæ immolationem fuisse Sacrificium. Quia ergo Hæretici negare non possunt celebrationem Agni, verum Sacrificium fuisse, idcirco contendunt illam figuram non pertinere ad Eucharistiam, illo potissimum argumento, quia non respondet figura figurato, cum immolatio Agni Paschalis cruenta fuerit, Eucharistia sit incruenta.

II. *Agnus Paschalis fuit verum Sacrificium.*

III. *Figura Agni magis pertinuit ad Eucharistiam, quàm ad Crucem.*

Contra hos nos ostendemus figuram Agni Paschalis principaliter, & immediatè pertinere ad Eucharistiam, minus verò principaliter, & quasi mediatè spectare ad Passionem Domini, idque præstabimus perspicuè, & efficaciter afferendo in medium circumstantias vtriusque celebrationis.

De Circumstantia Horæ.

IV. *Eadem hora Agni & Eucharistiæ.*

Ex dictis quæstione præcedenti planè constat, Sacrificalem Agni manducationem fuisse nocturnam iuxtà id, quod præcipitur Exod. 12. *Et edent carnes nocte illa assas igni.* Hinc incipit apparere celebrationem Agni magis pertinere ad celebrationem Eucharistiæ, quàm ad immolationem Crucis: Deus enim, qui tempus tempori, & horam horæ tam aptè conjungit, non conjunxit immolationem Crucis celebrationi Agni Paschalis, subjunxit autem illi continuò celebrationem Eucharistiæ, quo ostenderet hanc nouam illius veteris esse impletiuam, quod communiter Patres obseruant. Hinc dixit S. Leo Serm. de Passione, vt vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur. Vides vt celebrationem Agni appellat vmbram, & imaginem, Eucharistiæ verò illius vmbræ corpus, & illius imaginis veritatem; ideo autem tempus vnius, successisse, ait, tempori alterius, vt hostiæ in hostiam transitus appareret.

V. *Crucifixio paulo ante Meridiem.*

Fuit itaque institutio veritatis, vt institutio sui typi planè nocturna & omnino, vt ait Apostolus: *in qua nocte tradebatur*, at immolatio Crucis facta est in Meridie; immò paulò ante Meridiem, ideo dixit Euangel Marc. 15. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Vocat Euangelista horam Crucifixionis, horam tertiam, non quidem diei, sic enim facta fuisset Crucifixio tres fermè

horas ante Meridiem, sed horam tertiam Orationis, & templi, quæ durabat vsque ad sextam diei. Nam, quod est maximè aduertendum ad intelligentiam sacræ Scripturæ, apud Hebræos non solum distinctio erat inter annum communem, & Sacrum, quorum fecimus mentionem quæstione præcedenti, verum etiam inter horam communem, & Sacram. Ac hora quidem communis dicebatur *Hora diei*, vt Act. 2. *Cum sit hora diei tertia*, nimirum ab ortu Solis, ab illo enim vsque ad occasum numerabant Iudæi diem, quem duodecim horis diuidebant iuxtà illud Ioan. 11. *Nonne duodecim sunt horæ diei*. Sic etiam Act. 10. *Vidit quasi hora diei nona Angelum*. At verò hora Sacra ad distinctionem horæ diei dicebatur hora Orationis iuxtà exercitium Sacrorum in Templo; sic Act. 3. habemus: *Petrus autem, & Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam.* Et Act. 10. *Ascendit Petrus vt oraret circa horam sextam.* Hoc autem erat discrimen inter horam diei, seu communem, & horam orationis, & exercitij Sacrorum in Templo, quod horæ diei erant duodecim quemadmodum etiam & noctis, & singulæ suum nomen à numero accipiebant; at verò horæ Orationis quatuor tantùm erant, singulæque tres diei horas continebant, durabantque singulæ vsque ad principium sequentis; hinc horæ Sacræ erant, *Prima* ab ortu Solis, quæ durabat vsque ad tertiam diei. *Tertia* quæ pertingebat ad sextam pariter diei, seu Meridiem. *Sext[a]* quæ producebatur vsque ad Nonam diei; denique *Nona* vsque ad occasum, & finem diei. Porrò Euangelistæ, vt rectè Toletus in cap. 19. Ioan. annot. 8. mortem Domini describentes, tanquam Sacram rem, & Mysterium diuinum, horis templo deputatis descripserunt, quæ etiam illo tempore erant receptæ apud omnes Christianos, vt hodieque Ecclesia illas retinet, horis autem Iudæorum, nempe quibus dies in duodecim partes, & in totidem nox diuidebatur non omnes vtebantur, quare Marcus, quod erat communius sequutus, dixit: *erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, quia hora paulo ante sextam est adhuc tertia iuxtà templi computationem.

VI. Duplex hora, communis & sacra.

VII. Hebræis horæ sacræ erant quatuor.

VIII. Quibus horis vsi sunt Euangelistæ.

IX. Video diuisionem positam inter horam diei, & horam orationis, & Templi, aliquibus visum iri superfluam, quia communiter recentiores existimant diem Hebræis diuisum fuisse in quatuor tantum partes, singulas ternas nostras horas complectentes, sicut diuidebatur nox in quatuor vigilias, seu custodias, quarum singulæ tres quoque nostrates horas continebant. Quæ partitio videtur sumi posse ex Euangelio Matth. 20. vbi dicitur, Paterfamilias exiisse primo mane, & hora tertia, sexta, & nona, conducere operarios in vineam suam.

IX. An dies Hebræis esset diuisus in quatuor tantùm partes.

Verum hæc sententia quatenus contendit diem diuisum Hebræis fuisse in horas quatuor, nostris triplo longiores, videtur manifestè repugnare Sacræ Scripturæ; si enim Hebræis quatuor tantum fuissent horæ diei, non dixisset Christus Dominus Ioan. 11. *Nonne duodecim sunt horæ diei*, sed potius; nonne quatuor sunt horæ diei? quemadmodum quia quatuor tantùm erant vigiliæ, seu custodiæ noctis singulæ ternas horas complectentes, non potuisset dicere Christus Dominus, nonne duodecim sunt vigiliæ noctis? Præterea si quatuor tantum erant horæ diei, ita vt hora sexta, exempli gratia, contineret dimidium totius temporis pomeridiani, seu tres primas nostrates horas à meridie, cur dicitur Ioan. 5. *heri hora septima reliquit eum febris?* Ecce præter primam, tertiam, sextam, & nonam datur iam alia hora diei. Similiter si nona hora diei contineret reliquum dimi-

X. Hora diei Hebræis erant duodecim.

dium temporis pomeridiani vſque ad occaſum Solis, in quo ſenſu dicitur in Scriptura, hora decima, & hora vndecima? Nam hora decima habetur Ioan. 1. *Apud eum manſerunt de illo, hora enim erat quaſi decima;* hora verò vndecima habetur Matth. 20. *Iterum autem exiit circa ſextam, & nonam horam, circà vndecimam verò exiit, &c.* Ex hoc autem loco ſic argumentor. In ea ſignificatione accipitur hora, quando dicitur ſexta, ſeu nona, & quando dicitur decima, & vndecima, hoc per ſe patet; ſed decima, & vndecima ſignificant duodecimam partem diei, vt eſt manifeſtum; ergo hora nona, & eadem eſt ratio de reliquis, ſignificat duodecimam partem diei; ergo dies non erat diuiſus in quatuor horas diei, ſed in duodecim.

Neque quidquam Aduerſariis fauet diuiſio noctis in quatuor partes, immò inde nouum contra ipſos deſumitur argumentum; nam quamuis vigiliæ noctis eſſent quatuor, horæ tamen noctis, erant non quatuor, ſed duodecim, vt enim ait Toletus, vir Scripturarum peritus, hora nunquam reperitur niſi pro duodecima parte, vel diei, vel noctis; quare quatuor illæ partes non dicebantur, nec erant horæ noctis; & quia noctis horæ non erant, ideo non appellabantur prima, tertia, ſexta, nona hora; ſed prima, ſecunda tertia, & quarta vigilia, quo fit, vt ſi quatuor partes diei, dicebantur horæ diei, tunc, non tertia, ſexta, & nona, ſed ſecunda, tertia, & quarta appellandæ fuiſſent, quia voces illæ tertia, ſexta, nona, ſicut etiam decima, & vndecima relatæ ad horas diei ſignificant duodecimam tantùm partem diei, non verò quartam, vt ſignificant vigiliæ noctis. Propter hæc ſequuti ſumus cum Toleto ſupra factam diſtinctionem inter horas diei, quæ erant duodecim, & horas Sacrorum, quæ erant quatuor; quemadmodum in re militari, diſtinctio erat inter horas noctis, quæ pariter duodecim erant, & inter horas Caſtrorum, quæ erant quatuor tantùm, & dicebantur vigiliæ, eo quod poſt ternas quaſque horas noctis, vigiles mutarentur.

XI. *Vigiliæ noctis quatuor, at horæ duodecim.*

XII. *Horæ Sacrorum vt horæ Caſtrorum.*

Neque verò hæc otiosè à nobis hoc loco dicta ſunt, nam Aduerſarij non concedunt figuram Agni ſaltem quoad hanc circumſtantiam horæ immolationis, ad Sacrificium Crucis non pertinere, immò tuentur mordicus, Chriſtum Dominum immolatum fuiſſe ad Veſperam, quando Agnus à lege immolari iubebatur; at nos ex explicatione modò facta oſtendimus eos falli manifeſtiſſimè, quia cùm agitur de tempore celebrationis Agni; vel ſermo eſt de tempore iugulationis, & immolationis, vel de tempore comeſtionis, quæ erat illius Sacrificij veluti conſummatio; ſi de hac conſummatione ſit ſermo, certum eſt illius tempus fuiſſe poſt Solis occaſum, quo tempore Chriſtus Dominus de Cruce iam depoſitus erat; ſi verò loquamur de Agni iugulatione, & immolatione, hæc nunquam inchoari poterat ante Meridiem, ſeu ante horam ſextam; Edictum enim in lege fuit Exod. 12. *Immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam*, ſeu vt habent Hebræa, *inter duas veſperas.* Nullus autem Interpretum ſomniauit tempus inter duas veſperas, intelligi poſſe Antemeridianum: fuerunt quidem duæ extremæ ſententiæ de tempore inter duas veſperas, quarum alteram nimis rigidam ſequuntur aliqui cum Oleaſtro, videlicet, primam veſperam eſſe Solis occaſum, ſecundam eſſe initium noctis, ſiue tenebrarum, vt tempus inter duas veſperas ſit, crepuſculum veſpertinum. Alteram ſententiam nimis laxam ſequuntur Hebræi apud Lyranum in Exod. Veſpera, inquit, ſecundum Doctores

XIII. *Chriſti crucifixio nullomodo coincidit cum celebratione Agni.*

XIV. *Tempus inter duas veſperas.*

Hebræos, provt hic accipitur, incipit à ſeptima decimæ quartæ diei, ideſt ab hora prima à Meridie, quia ex tunc Sol incipit tendere ad occaſum, & ab illa hora vſque ad principium noctis poteſt immolari phaſe ſecundum eos; in qua poſteriori ſententia totum ferè tempus pomeridianum dicitur inter duas veſperas; at ſententia, quæ doceat tempus inter duas veſperas incipere extrà, & ante omnem veſperam, ineptior eſt, quàm vt adſtipulatores habere potuerit; Itaque nullus fuit vnquam Interpres, qui dixerit tempus legitimum confeſſionis, & jugulationis Agni, eiuſque immolationis inchoaſſe ante Meridiem.

XV. *Crucifixio cum tribus verbis ante horam ſextam.* At nos probamus ex Euangeliſtis Chriſtum ſublatum in Crucis Aram fuiſſe, eiuſque Sacrificium inchoatum ante horam ſextam, cum adhuc eſſet hora tertia, atque adeo ante Meridiem; nam Marcus expreſsè dicit: *erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, & poſtea ſubjungit, *& facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt vſque ad horam nonam.* Cum ergo deliquium Solis, poſt Crucifixionem cœperit hora ſexta, vt tres Euangeliſtæ docent, non ſolum infertur Chriſtum Crucifixum ante horam ſextam, atque adeo intra horam tertiam ante Meridiem, ſed etiam ante horam ſextam & meridiem oraſſe in Cruce pro inimicis, Latroni Paradiſum promiſiſſe, & Matrem Diſcipulo commendaſſe; nam ex communi omnium Interpretum, verba Domini tria, dicta ſunt in Cruce ante initium tenebrarum, & antequam facta eſſet hora ſexta, ſicut quatuor verba poſtrema dicta ſunt poſt tenebras, ac per hoc poſt horam nonam vt ſcribit S. Matthæus 27.

Cum ergo hora immolationis Agni nullomodo congruat horæ Crucifixionis, congruat verò mirificè horæ Inſtitutionis Euchariſtiæ, negari omnino non poteſt figuram Agni, quoad hanc horæ circumſtantiam principalius, & immediatius ad Euchariſtiæ, quàm ad Crucis myſterium pertinere, quia tamen hoc genus argumentorum non ex vna, aut altera tantum circumſtantia, ſed à pluribus, & ferè omnibus aptè reſpondentibus plenum ſuum accipit robur, ideo ad reliquas examinandas accedimus.

XVI.

De Circumſtantia Loci.

LOCVS primæ celebrationis Agni in terra Ægypti non alius fuit niſi Ædes ipſæ, ſeu domus Hebræorum; hoc patet ex toto cap. 12. Exod. nam verſ. 7. dicitur: *Et ſument de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domuum, in quibus comedent illum.* Super quem locum notat

XVII. *In domibus Agni fuerunt omnes, & ſoli de populo Dei.* Abulenſis, Hebræos, qui in domibus Ægyptiorum habitabant, omnes Hebræorum domos illa nocte pernoctatum conueniſſe, ſi qui verò Ægyptij primogeniti erant tunc in domibus Hebræorum, omnes ante noctem foras emiſſos fuiſſe, alioquin, vel non omnes primogeniti Ægyptij fuiſſent percuſſi, vel aliqui fuiſſent percuſſi in domibus ſanguine Agni tinctis, quorum vtrumque repugnat verbis Sacræ Scripturæ, nam de primogenitis Ægyptiorum dicitur: *factum eſt autem in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat vſque ad primogenitum captiuæ, quæ*

erat in carcere. De domibus verò Hebræorum, in quibus Agni celebratio facienda erat, hoc habemus ex verbis Moysis ver. 22. *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane; transibit enim Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* Nota illud, Transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domus vestras.

Manifestum igitur est, primam illam Agni celebrationem peractam esse in Ædibus, & Domibus Hebræorum, quod verò mirabile videtur, illud est, cum Ciuitas immolationis Agni tempore habitationis in Iudæa, esset Hierusalem, vbi Templum Domini erat, & Altare omnium Sacrificiorum, adhuc tamen Sacrificium Agni non immolabatur in Altari holocaustorum, quod erat sub Dio in Atrio Sacerdotum, sed sub tectis, & domibus familiarum, vt celebratum primo fuerat in terra Ægypti, ideo Sacrificium hoc non offerebatur à solis Sacerdotibus Aaronicis, sed ab omnibus Patribusfamilias, qui pro illo singulari die, & ministerio habebantur Sacerdotes, vt enim ait Philo de Vita Moysis, cum hoc Sacrificium Agni fuerit institutum antequam familia Aaron determinaretur ad Sacerdotium, ideo quantum ad hoc Sacrificium, mansit antiquum priuilegium, vt omnes Patresfamilias Sacerdotio fungerentur, vt in lege Patriarchali factum fuerat. XVIII. *Agnus Paschalis Sacrificium domus.*

Neque contra hanc loci circumstantiam quidquam facit quod tempore peregrinationis celebratum hoc Sacrificium sit in Deserto Sinai, anno secundo egressionis ex Ægypto, vt habetur Numer. 9. & rursus in ingressu in Iudæam post transitum Iordanis, celebratum pariter fuerit in Campestribus Ierico, vt habetur Iosue 5. nam Castra exercitus Hebræorum, erant quasi Vrbs quædam mobilis, & ambulans cum suo Tabernaculo, & Templo, & quæ propterea suas habebant portas, ad quas allusit Apostolus ad Hebr. 13. cum ait: *Horum corpora cremantur extrà Castra.* Quare non solum, cum primo institutum est Sacrificium Paschale (quod ad intentum est satis) verum etiam quandocumque deinceps immolatum est, semper intrà portam hoc factum est. XIX. *Semper immolatus intrà Portam.*

Iam verò si de Sacrificio Crucis loquamur, certum est illud immolatum, & consummatum fuisse extrà domum, & extrà Ciuitatem, illarum victimarum instar, de quibus legitur Leuit. 16. *Quorum sanguis illatus est in Sanctuarium, asportabunt foras castra;* nam illius ritus causam dat Apostolus ad Hebr. 13. *Propter quod, & IESVS, vt sanctificaret per suum sanguinem populum extrà portam passus est.* Obserua illud propter quod, redditur enim causa litteralis ait Sanctus Thomas. Cur corpora illa Victimarum asportabantur foras Castra, quia scilicet Christus per omnes hostias veteris legis figuratus, extra castra, idest extra portam Vrbis Hierusalem (castra enim, vt diximus portas suas habebant) igne Passionis in Ara Crucis crematus est. Neque omisit Euangelista hanc loci circumstantiam obseruare; ait enim Ioan. 19. *Prope Ciuitatem erat locus vbi crucifixus est IESVS*, non enim intrà Ciuitatem Caluariæ mons erat, quando Crucifixus est Christus, sed extrà Portam propè Ciuitatem Hierusalem. XX. *Christus in Cruce oblatus extrà Portam.*

At verò Sacerdos noster CHRISTVS IESVS, Ecclesiæ suæ incruentum Sacrificium instituturus, quærentibus Discipulis de loco, Luc. 22. *Ecce*, inquit, XXI. *Christus in Eucharistia*

immolatus intra Portam. *introeuntibus vobis in Ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum, in domum, in quam intrat, & dicetis Patrifamilias domus: dicit tibi Magister, vbi est diuersorium vbi Pascha cum discipulis meis manducem, & ipse ostendet vobis Cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.*

XXII. *Cur alterum Christi Sacrificium intra Domum, alterum etiam extra Ciuitatem.* Causa cur Alterum Sacrificium extrà Portam Hierusalem sit oblatum, alterum intra domum sit institutum. Illa affertur à Patribus, quia Sacrificium Crucis fuit Sacrificium humanæ Redemptionis, omnis temporis, & omnium personarum; at Sacrificium Altaris, est Sacrificium Christianæ tantùm Religionis, atque adeo Sacrificium familiæ Christi, & Domus, quæ est Ecclesia, de qua dictum est Luc. 1. & regnabit in Domo Iacob in æternum. Ideo Iustinianus in lib. de Triumphali Christi Agone cap. 1. Ecclesia, inquit, spiritale Cœnaculum est. An non grandis, quæ per totum terrarum Orbem diffunditur? Stratum est Cœnaculum donis Cœlestibus, & spiritualibus Sacramentis. Contra verò, ait S. Chrysostomus in Homil. de Cruce, & Latrone: Ne putares pro gente tantum Iudaica oblatum Christum ideo foras muros, & S. August. Serm. 130. propterea extra Ciuitatem, & extra muros immolatur, vt intelligas, quoniam communis est Hostia pro genere humano oblata. Hoc est etiam quod ait S. Leo Serm. 9. de Passione: Hæc intra septa Ciuitatis ob meritum sui sceleris diruendæ, sed foris, & extra castra crucifixus est Christus, vt veterum Victimarum cessante mysterio, noua Hostia, nouo imponeretur Altari, & Crux Christi non Templi esset Ara, sed Mundi. Neque prætermittendum puto, quod quemadmodum iuxtà veterem legem per domos, & familias Agnus immolabatur, &

XXIII. *Olim Christus Pascha nostrũ immolabatur per domos.* manducabatur, ita post institutionem noui Agni Paschalis crescente numero Domesticorum fidei, cœpit in Ecclesia per domos, & familias Agnus Cœlestis sub exteriori specie panis offerri, & manducari iuxtà illud Actor. 2. *Et frangentes circa domos panem*, hoc est domatim, & per singulas domos, quia, vt ibi inquit noster Cornelius, multiplicato numero fidelium per varias domos eos distribuere, in iisque Eucharistiam celebrare oportebat, atque inde ortæ, ac distinctæ Paroeciæ, quibus singulis suus præest Pastor, quasi Paterfamilias. Vnde dixit S. Gaudentius Tract. 2. in Exod. In vmbra illius legalis Paschæ, non vnus Agnus occidebatur, sed plures; singuli enim occidebantur per domos, nam sufficere vnus non poterat vniuersis. At in hac veritate, qua sumus, idem per singu-

XXIV. *Christus vnus, & omnis Agnus.* las Ecclesiarum domos in mysterio panis, ac vini reficit immolatus. Hæc Agni caro, hic sanguis est. Neque temerè factum putes, quod cum dictum fuerit ad Vniuersum Cœtum filiorum Israël Exod. 12. *Tollat vnusquisque Agnum per familias, & domos suas*; hoc est quælibet domus Agnum suum. Deinde in singulari dicatur: *immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël*, quasi non quælibet domus, suum; at dicitur singulariter, ait Vgo Cardinalis in hunc locum, quia omnes illi Agni figurabant vnum, cuius carnes, vt aiebat B. Apostolus Andreas, postquam omnis populus credentium manducauerit, adhuc tamen integer perseuerat, & viuus.

Ex quibus manifestum iam est, figuram Agni Paschalis quoad loci circumstantiam, non ad immolationem Crucis, sed ad Eucharistiæ celebrationem pertinere, sed pergamus ad reliquas.

De Circumstantia Personarum. XXV.

QVALES esse oporteat participantes de Agni Sacrificio dictum habemus à Domino ad Moysen, & Aaron Exod. 12. vers. 43. *Hæc Religio phase, omnis alienigena non comedet ex eo;* omnis autem seruus emptitius *circumcidetur, & sic comedet*, Aduena, & mercenarius non edent ex eo. Et mox: *Omnis Cœtus filiorum Israël faciet illud*, quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire Coloniam, & facere phase Domini, *circumcidetur prius*, omne masculinum eius, *& tunc ritè celebrabit*, eritque sicut indigena terræ. *Si quis autem circumcisus non fuerit non vescetur ex eo*, eadem lex erit indigenæ, & Colono, qui peregrinatur apud vos. XXVI. *Circumcisis tantùm licebat edere ex Agno.*

Vides quàm directè, & quàm accuratè cauerit Diuina lex, ne quis incircumcisus ex Agno comederet. Hinc primo Sacri docent Interpretes: Omnes quotquot sequenti anno ab egressu ex Ægypto celebrarunt Pascha, seu phase, illos omnes iam ante circumcisos fuisse in Ægypto, vbi ait Paulus Episcopus Burgensis: antequam primus Paschalis Agnus comederetur, generalis facta fuit circumcisio Hebræorum, qui ob negligentiam, vel aliam causam non fuerant circumcisi, idque nutu, & hortatu Mosis, vt sentit Tertullianus lib. contra Iudæos.

Secundo docent communiter per 39. annos peregrinantes in Deserto, non celebrasse phase, & ex Agno non comedisse, quia vt habetur Iosue 5. *Populus, qui natus est in Deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisus fuit.*

Tertio docent potissimam causam, cur in ingressu ipso in terram promissionis, omnis populus natus in Deserto fuerit circumcisus iuxtà præceptum Domini Iosue 5. *Eo tempore ait Dominus ad Iosue, fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundò filios Israël.* Causam, inquam, potissimam eam docent fuisse, quia statim ab ingressu, iussu Dei comedendus erat Agnus, vnde circumcisione peracta, dicitur Iosue 5. *Manseruntque filij Israël in Galgalis, & fecerunt phase quarta-decima die mensis ad vesperam*; quod enim notat noster Cornelius decimo die mensis primi Nisan transiere Iordanem, & Castra fixerunt in Galgalis, ac sequenti die vndecimo ibidem circumcisi, ob plagam vulneris quieuere tres dies, atque quarto demum die, qui fuit 14. Nisan, ad vesperam celebrauere Pascha.

Iam verò si quæramus quamobrem, & in cuiusnam rei figuram nemo poterat comedere de Agno Paschali nisi prius esset circumcisus; non alia assignatur causa, nisi quod circumcisio erat figura Baptismi, & Agnus Paschalis Agni Eucharistici, sicut autem hic non ministratur nisi Christianis per Baptismum Christianismo initiatis, ita ille non dabatur nisi Iudæis, Iudaismo per circumcisionem initiatis; erat enim Agnus Paschalis primarium Sacramentum Iudæorum, sicut Eucharistia est Christianorum. XXVII. *Causa talis legis.*

Et quidem quod Agnus Paschalis Sacramentum fuerit Iudæorum admittunt Theologi omnes cum Magistro, & S. Thoma in materia Sacramentorum, quia XXVIII. *Agnus Paschalis verum Sa-*

cramentum Iudaeorum, & figura Eucharistiæ. ex Nouatoribus multi, vt Plessæus Caluinista cum tota Synodo Capicensi lib. 1. cap. 1. de Eucharistia, vbi vt test.s mihi est Martinus Becanus, expressè dicitur, Agnum Paschalem fuisse simul Sacramentum, & Sacrificium. Quod vero figura fuerit Agni Eucharistici, docent antiqui Patres, vt Tertullianus lib. 4. in Marcionem, Isichius in cap. 23. Leuit. Hieronym. in cap. 26. Matth. Chrysost. Homil. de proditione Iudæ, Cyprianus lib. de Vnit. Ecclesiæ, August. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. Leo Serm. 7. de Passione, Greg. Homil. 22. in Euangel. & post hos Bellarminus lib. 2. de Euch. cap. 3. qui ait ex Euangeliis ipsis id colligi manifestè non enim alia de causa Dominus post Agnum Paschalem ritu Iudaico manducatum, continuò Sacramentum Eucharistiæ instituit.

XXIX. *Circumcisio fuit figura Baptismi.* Præterea, quod Circumcisio data sit Iudæis in figuram Sacramenti Baptismi extrà omnem controuersiam est, cum Baptismus à Paulo dicatur Circumcisio, Coloss. 2. Et sanè sicut corporalis Character Circumcisionis dabat Ius passiuum ad suscipienda omnia Sacramenta antiquæ legis, vt sumitur ex S. Chrysostomo Homil. 2. ad Ephesios, atque adeo ad manducationem Agni Paschalis, ita per spiritualem Characterem Baptismi, quem sæpissimè Patres vocant signaculum, & sigillum, vt ex Græcis Basilius Homil. 13. de Baptis. Nazianzenus Orat. 40. Cyrillus Hierosolymitanus in Præfatione, & ex Latinis Augustinus Epist. 23. & alibi sæpius apud P. Suar. disput. 11. in 3. par. sect. 1. fit homo capax, & acquirit Ius passiuum ad omnia Ecclesiæ Sacramenta.

XXX. *Agnus vt à circumcisis edebat figura fuit Christi, vt in Eucharistia.* His positis probamus facile figuram Agni quoad hanc circumstantiam referri principaliter non posse ad immolationem Crucis, quod probamus hoc modo. Agni Paschalis celebratio fuit principaliter posita in manducatione facta ab Israëlitis per circumcisionem in Dei populum cooptatis; ergo in Testamento nouo illi principaliter respondet Agnus noster, quatenus à Dei populo per Baptismum initiato, & obsignato manducatur. Sed Agnus qui sic à Dei populo manducatur, non est Agnus in Cruce, sed in Eucharistia; ergo figura illa Agni quoad hanc circumstantiam non potest principaliter referri ad immolationem Crucis, sed ad Agnum, & immolationem Eucharistiæ. Omnia videntur per se manifesta si nostrum antecedens confirmemus; verum illud constat ex Exod. 12. vbi Agnus immolatur, vt à Dei populo manducetur. Quare August. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. *Aliud est*, inquit, *Pascha, quod Iudei de oue celebrant, aliud quod nos in corpore, & sanguine Domini accipimus*, vbi opponit Agno Paschali, quem Israëlitæ de oue manducabant carnes, & sanguinem Agni, quem sumimus, & manducamus in Eucharistia, quod non obscurè insinuat Apostolus 1. Cor. 5. vbi postquam dixit: *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*, statim addit: *itaque epulemur in Azimis sinceritatis & veritatis*, quia epulum Agni sequebatur eius immolationem; ex hoc autem Apostoli loco sic iterum argumentor. De illa immolatione principaliter loquitur Apostolus, quæ præcedit manducationem, sed immolatio præcedens manducationem est immolatio Agni in Eucharistia, & non in Cruce, ergo de immolatione in Eucharistia principaliter loquitur Apostolus, non verò de immolatione in Cruce. Maior propositio clara est, quia vt rectè Bellarminus lib. 1. cap. 7. ex illo loco Apostoli certò constituere possumus Agnum Paschalem, qui & Pascha dicitur in Euangelio figuram immolationis fuisse; quidquid sit, vtrum illa impleta fuerit in Eucharistia,

XXXI. *Pascha nostrum est Christus immolatus in Eucharistia.*

ristia, an in Cruce; ex eo autem quod figura fuerit immolationis Christi, probo Apostolum principaliter loqui de immolatione, quæ præcedit manducationem, quia verè immolatio Agni Paschalis præcedebat manducationem, & epulum. Neque verò sustineri solidè potest, quod Aduersarij respondent, immolationem factam in Cruce præcedere manducationem spiritualem, quæ fit per fidem; nam contra est, quia Apostolus loquitur de Agno, qui non poterat manducari nisi à circumcisis, & mundis, & in Hierusalem; ergo loquitur de Agno prout sumi potest à solis baptizatis, & intra Ecclesiam Catholicam existentibus, ergo non loquitur principaliter de Agno, vt immolatus fuit in Cruce. Probo hanc vltimam consequentiam, quia vt rectè Bellarminus, non solum baptizati, sed etiam alij possunt, ac debent Christum, vt in Cruce immolatum fide manducare, fides enim præcedit, & Baptismum, & iustificationem; ergo persistendo in hac circumstantia de manducatione, ad quam ius habebant soli circumcisi in figura nostri Baptismi, dicendum est Agnum Paschalem non pertinere ad figuram immolationis in Cruce, sed in Eucharistia.

Ad hanc eandem circumstantiam personarum reuocamus id quod in figura Agni Eucharistici dicitur Num. 9. & 2. Paralip. 30. nimirum Paschalem Agnum non posse edi nisi à circumcisis purificatis, & mundis. Casus accidit anno secundo postquam filij Israël egressi sunt de terra Ægypti, tunc enim cum ex Dei monitu Pascha celebraretur: *Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere phase in die illo, accedentes ad Moysen, & Aaron, dixerunt eis: immundi sumus super anima hominis, quare fraudamur, vt non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israël? quibus respondit Moyses: state vt consulam quid præcipit Dominus de vobis, locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: loquere filiis Israël. Homo qui fuerit immundus super anima, siue in via procul in gente vestra, faciat phase Domino in mense secundo quarta-decima die mensis ad vesperam.* XXXII. *Soli mundi poterant comedere Agnum.*

Ex hoc loco colligimus duo, alterum pertinens ad quæstionem præcedentem, alterum ad præsentem. Ad præcedentem pertinet quod notauit S. Thomas in cap. 18. Ioan. permisisse quidem Deum aliquando Pascha celebrari post vnum mensem, vt in prædictis casibus, at nunquam permisisse mutari diem 14. Vnde non solum patet falsitas opinionis Græcorum asserentium, Christum Dominum, vltimum suæ vitæ Pascha celebrasse die 13. sed etiam Pauli Burgensis, quem sequutus est noster Maldonatus in cap. 26. Matth. qui existimat Iudæos illo anno mortis Christi suum celebrasse Pascha die 15. Et nos quidem opinionem Græcorum impugnauimus; quia aduersabatur Catholicæ sententiæ de Christi Paschate legitimo die celebrato, opinionem verò Maldonati prætermisimus, non quod illam putaremus veram, sed quia nostro intento non aduersatur; nam quamuis ipse existimet anno mortis Christi, Iudæos maiorum suorum traditionem sequutos, Pascha in diem 15. transtulisse, disertè tamen affirmat Christum Dominum, suum celebrasse Pascha, vt lege præceptum erat, hoc est die decimaquarta, quo die prima Agni celebratio facta est Exod. 12. quod erat ibi nostrum intentum demonstrare. Cæterum ad fundamentum Sententiæ Maldonati respondet eruditè, & doctè Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 8. XXXIII. *Dies 14. pro celebrando Paschate immutabilis.*

Alterum quod colligimus ad præsentem pertinens quæstionem, illud est,

Iudæos quantumuis circumcisos, si eo die, quo iuxtà legem immolabatur Agnus, immundi inuenti fuissent, nullo modo edere ex carnibus Agni potuisse, sed debuisse prius mundari, & expectare vsque ad diem 14. sequentis mensis permittente potius Deo dilationem in non legitimum tempus, quàm vt non purificati, & mundi ex Agni carnibus manducarent.

XXXIV. *Mundities figuram ad sumendam Eucharistiam.* Quis autem non facile animaduertit, hoc non ad figuram manducationis Agni in Cruce, quæ fit per fidem, vt contendunt Hæretici, sed ad figuram manducationis Eucharistiæ pertinere? nam non solum fideles mundi, sed etiam immundi possunt, & tenentur Agnum in Cruce immolatum fide manducare: at verò cum conscientia peccati Eucharisticum Agnum Sacramentaliter edere, sacrilegium horrendum est, idcircò dixit Apostolus 1. Cor.11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat,* & Christus Ioan.13. ante Cœnam Agni Eucharistici, peracta iam illa Agni legalis, lauit pedes Discipulorum etiam Iudæ, vt significaret munditiem illam requisitam in lege ad esum Agni præcessisse in figura puritatis necessariæ ad perceptionem Eucharistiæ; qua de re legendus est S. Chrysostomus Homil.3. in Epist. ad Ephesios.

XXXV. *De Circumstantia Introductionis Victimæ.*

NON est obuoluenda silentio nobilis circumstantia, cuius fit mentio in prima Institutione Sacrificij Agni Exod. 12. illa autem est. Introducendum esse Agnum immolandum in Ciuitatem, & Domum, ibique seruandum, & obseruandum quatuor totos dies ante eius immolationem. Verba legis hæc sunt. *Decima die mensis huius tollat vnusquisque Agnum per familias, & domos suas; & seruabitis eum vsque ad quartam-decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Quæstio est

XXXVI. *An præceptum de Agno introducendo die 10. fuerit perpetuum.* inter Interpretes, an hoc præceptum introductionis Agni decima die mensis primi fuerit lege statutum, vt ritu perpetuo seruaretur; an tantum pro illo primo Paschate latum, quod celebratum est in terra Ægypti. Abulensis in cap. 12. Exod. quæst. 4. quem sequitur noster Ribera lib. 5. de Templo cap. 3. existimat Israëlitas nunquam nisi in Ægypto, iussos introducere Agnum die decima, quem postea immolarent die 14. ad Vesperam, sed sequentibus temporibus, vnicuique liberum fuisse, vt illum introducerent, quo die vellent. Fundamentum eius duplex est. Primum, quia licet illud præceptum tradatur Exod. 12. postea tamen quotiescumque fit in Scriptura mentio immolationis Agni, nunquam repetitur illa pars de die decimo, quo debebat Agnus introduci, sed solum altera pars de die 14. quo debebat immolari; ergo signum est, quod illa pars de die 10. non obligauerit nisi in Ægypto. Alterum fundamentum est, quia plures rationabiles causæ fuerunt, cur in Ægypto debuerint Agnum prius quærere, & introducere, quàm veniret dies immolationis, quæ tamen causæ postea non videntur habuisse locum.

Verum huic opinioni vehementer obstat, quod generaliter præcipitur in ea-

dem lege Exod. 12. post enumeratas omnes obseruantias illius primæ celebrationis. *Cum introieritis*, inquit, *in terram, quam Dominus daturus est vobis, obseruabitis cæremonias istas.* Neque vrget, quod illa pars præcepti de die decimo Introductionis nunquam alibi repetatur; nam aliæ quædam partes huius celebrationis non repetuntur alibi, & tamen sunt ab Israëlitis religiosissimè custoditæ; quia sufficit, inquit noster Cornelius, vt expressa eorum mentio fiat in hoc proprio Institutionis loco, ad quem alibi Scriptura lectorem remittit, vt ex illo, phase cæremonias petat, & discat. XXXVII. *Omnes ritus fuerunt perpetui.*

Quod verò pertinet ad causas illius ritus inter omnes litterales potissima illa erat, quam tradit etiam Abulensis, vt illis quatuor diebus, Agnus verè immaculatus esse cognosceretur; debebat enim Agnus omnis maculæ expers esse; *erit autem Agnus absque macula*, quod non varietate coloris, sed de defectu exponunt omnes Interpretes ex Leuit. 22. vbi de oblato quolibet dicitur: *Omnis macula non erit in eo, si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.* Hæc fuit litteralis ratio, cur quatriduo ante immolationem iussus est Agnus domum introduci, vt nimirum si quod esset in eo vitium, illo temporis interuallo se proderet. XXXVIII. *Causa litteralis cur Agnus quatriduo seruabatur ante immolationem.*

Mystica verò ratio fuit ad præfigurandum Christum, qui suæ mortis anno, die decima primi mensis Nisan, ante sui ipsius immolationem, & Sacrificium ingressurus erat Ciuitatem; nam vt Chronologi omnes consentiunt, decima dies Nisan, siue mensis primi, illo anno fuit Dominica Palmarum, quæ nostro computo erat dies 20. Martij. Nos enim vtimur mensibus Solaribus, Iudæi verò Lunaribus. Hanc autem rationem mysticam tradunt S. Chrysostomus, & ex eo S. Thomas in Caten. Ioan. 12. Beda Homil. in Dominicam Palmarum, & omnes ferè expositores, tum antiqui, tum recentiores tractantes verba illa Matth. 21. Cum appropinquasset Iesus Hierosolymam. XXXIX. *Ratio mystica.*

Iam verò vtraque causa, tum legalis, tum mystica æquè militabat in posterioribus sæculis. Nam quod de prima ait Abulensis, non fuisse necessarium sequentibus temporibus quatriduum ad explorandos defectus occultos Agni ob peritiam acquisitam ex iugi, & quotidiano Sacrificio duorum Agnorum, altero matutino, altero vespertino, non videtur habere vim, quia peritia, aut potius solertia illa acquisita erat in Ministris Templi, in cuius Altari offerebatur iuge Sacrificium duorum Agnorum per singulos dies, non verò in priuatis hominibus, & in tota multitudine filiorum Israël, quæ semel in anno in priuatis domibus immolabat.

Ratio verò mystica eò magis posterioribus temporibus valere debebat, quò magis rei significatæ veritas appropinquabat. Quare communior, & verior sententia est, anno mortis Christi, illa die decima mensis, quæ erat die 20. nostri Martij, non solum Christum Dominum ingressum esse in Ciuitatem Hierusalem, quæ sola locus erat legitimus immolationis Agni, sed etiam cum illo, omnes Agnos illo Paschate immolandos, immò communiter docent Authores, propterea Christum Dominum ingressurum in Hierusalem venisse Bethphage, qui, vt Adrichomius ait, erat vicus Sacerdotum, vbi conuentus Agnorum fiebat, vt inde die decima mensis, magnis agminibus, nec sine ingenti populi lætitia, & occursu introducerentur in Ciuitatem, nimirum, vt verus, & vnicus Agnus ab XL. *Christus vt Agnus immolandus ingressus est die legitima.*

omnibus illis legalibus figuratus vna cum illis ad immolationem induceretur; atque hanc fuiſſe magnam cauſam pompæ, cum qua ingreſſus eſt Chriſtus, quia illo die turba plurima, quæ vndique Hieroſolymam ad Paſcha celebrandum de more conueniebat, magno agmine prodibat in Bethphage, vt inde Agnos Paſchales introduceret, quàm ingens autem eſſet Agnorum illius ingreſſus multitudo,

XLI. *Agnorum Paſchalium multitudo.*

conjici poteſt ex Ioſepho lib. 7. Bell. cap. 17. vbi tradit Agnos immolatos in vno Paſchate tempore Coeſſij Præſidis fuiſſe 256500. ex quo Agnorum numero colligit fuiſſe illo Paſchate Hieroſolymæ trigeſies centena, & ſeptuaginta hominum millia; non enim pauciores, quàm decem adhiberi ſolebant ad eſum vnius Agni, vt tradunt Hebræi.

XLII. *An Apoſtoli Agnum legalem ſuo die introductum immolauerint.*

Neque verò ſequitur ex his debuiſſe familiam Apoſtolorum ſuum etiam Agnum legalem illo die decimo introducere, cuius oppoſitum ex Euangelio colligitur, nam neceſſarium non erat, vt qui immolaturus eſſet Agnum die 14. ipſe eundem die 10. introduceret, ſed ſatis erat, ſi illa die 10. à quouis hominum eſſet introductus. Vnde P. Suarez diſp. 40. in 3. par. Sect. ex probatis Authoribus refert, & probat fuiſſe Hieroſolymis conſuetudinem, vt Ciues Hieruſalem decima die menſis adducerent in domos ſuas Agnos, & pararent cubicula, ac cætera neceſſaria pro Aduenis, & Hoſpitibus, qui penè innumerabiles conueniebant, cum nec Agnus extra Hieroſolymam offerri, nec illuc ante decimam diem venire omnes poſſent, vt Agnos introducerent, quare Peregrini homines poſtea accedentes, quamuis eadem ipſa die Lunæ in Ciuitatem venirent, vti fecerunt Apoſtoli, poterant facile pretio dato domum conducere, & Agnum iuxta ritum legis decima die adductum, & probatum inuenire, vt Paſcha poſſent celebrare. Hinc Apoſtoli verbis Chriſti dixerunt ad quemdam ipſa immolationis die: *dicit tibi Magiſter, vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem* Luc. 22. quod Chriſti factum conſuetudinem illam, de qua diximus non parum confirmat.

Sed quidquid ſit, an præceptum illud de Agno introducendo die decima fuerit perpetuò ſeruatum nec-ne; certa ſunt duo, quæ ad noſtram maximè pertinent quæſtionem. Alterum eſt, in prima illa inſtitutione Sacrificij Paſchalis, quam diximus figuram fuiſſe Inſtitutionis Euchariſtiæ, hoc eſſe ſeruatum, cum enim præcepiſſet Deus filiis Iſraël per Moyſen, & Aaron verſ. 3. *Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque Agnum per familias, & Domos ſuas*: dicitur verſ. 28. *Et egreſſi filij Iſraël fecerunt* ſicut præceperat *Dominus Moyſi, & Aaron.*

XLIII. *Chriſtus ingreſſus eſt Hieroſolymam die decima menſis Niſan.*

Alterum eſt, Chriſtum Dominum, qui fuit verus Agnus ab illis primis figuratus verè die decima menſis Niſan, quæ fuit vigeſima noſtri Martij inductum in Ciuitatem Hieruſalem fuiſſe. Patet hoc manifeſtè ex Monoteſſaro, ſeu Chronotaxi dierum, & geſtorum Chriſti proximè ſuam Paſſionem, & Mortem. Ait enim Ioan. cap. 12. *Ieſus ergo ante ſex dies Paſcha venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus, fecerunt autem ei Cœnam ibi:* hanc Cœnam omnes omnino Interpretes conſignant die 9. menſis Niſan, ſiue 19. menſis Martij, quæ incidit in Sabbatum, quare ſex dies diem Paſchæ præcedentes ſunt Sabbatum, Dominica, Feria 2. Feria 3. Feria 4. Feria 5. nam Feria 6. fuit dies ipſe primus Azimorum, & Feſtus Paſchæ, qui ſemper erat dies 15.

mensis Nisan; dies ergo sextus ante Pascha fuit dies eiusdem mensis Nonus, puta Sabbatum. Videamus nunc quid proximè post hunc diem nonum, hoc est die decimo factum dicatur ab Euangelista: *In crastinum autem*, inquit Ioannes eodem capite 12. vers. 12. *turba multa, quæ venerat ad diem Festum cum audissent quia venit Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei.* Ecce hic describitur ingressus in Hierusalem, ait autem in crastinum, hoc est die crastino, siue postero à Cœna facta in Bethania, puta die Dominica Palmarum, quæ erat quinta ante diem Paschæ, eratque dies decima mensis Nisan, & vigesima nostri Martij. Adnotarunt hanc circumstantiam omnes Interpretes, inter quos Rupertus Abbas explicans hunc locum Ioannis: *Ante sex dies Paschæ:* Sextus, inquit, dies ante quartam decimam mensis, cuius in vespera Agnus immolandus erat, nouus dies eiusdem mensis est; cum ergo nono die mensis in Bethaniam venit, & in crastinum, qui profecto decimus dies mensis est, Ciuitatem Hierusalem ingreditur; planè in hoc quoque legem, quæ de Agno Paschali scripta est, hic verus Agnus Dei sustinere probatur. Hæc ille.

Ex his certis duplex conficimus argumentum, alterum contra Hæreticos, negantes Eucharistiæ celebrationem, fuisse veram Agni cœlestis immolationem, & Sacrificium; alterum contra quosdam Catholicos affirmantes immolationem Agni Paschalis, fuisse figuram magis principalem immolationis Christi in Cruce, quàm immolationis eiusdem Christi in Eucharistia.

Igitur contra Hæreticos argumentamur hoc modo. Celebratio Agni facta die, quæ à decima introductionis, fuit quarta, illa fuit vera immolatio, & Sacrificium. Hoc patet ex verbis legis de Agno introducto die 10. de quo dicitur: *& seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Fuit igitur illa celebratio, immolatio; ergo Christi celebratio facta die, quæ à decima sui ingressus fuit quarta, illa fuit pariter vera immolatio, & Sacrificium. Consequentia hæc nititur correspondentia figurati ad suam figuram, sicut autem illa admittitur in ingressu facto die decima, ita admitti debet in immolatione facta die decimaquarta. Subsumimus iam hoc modo, sed Christi immolatio facta, die à decima ingressus quarta ad vesperam vti lex iubebat, fuit celebratio Eucharistiæ; patet quia celebratio Eucharistiæ, vt ostendimus quæstione præcedenti, facta est die Iouis ad vesperam; dies autem Iouis est quartus à Dominico, vt manifestum est numeranti ergo quod erat intentum nostri huius primi argumenti, celebratio Eucharistiæ fuit verum Sacrificium, & immolatio. XLIV. *Probatur Eucharistia esse verum Sacrificium.*

Hinc alterum consurgit contra Catholicos existimantes figuram Agni magis principaliter pertinere ad immolationem Crucis; nam ad illam Christi immolationem figura Agni magis principaliter pertinet, quæ adimpleta est ad horam illius diei, quæ respectu diei decimæ ingressus Christi in Hierusalem fuit quarta; nam Agnus figuralis verè immolatus fuit ad vesperam quartæ diei à decima suæ introductionis, sed ad vesperam huius quartæ diei facta est immolatio Christi in Eucharistia, non autem in Cruce, vt patet ex disputatis de circumstantia horæ; ergo figura Agni Paschalis magis principaliter pertinet ad immolationem Christi in Eucharistia, quam in Cruce. XLV. *Agnus Paschalis figurauit principaliter Eucharistiam.*

Claudam hanc circumstantiam Ruperti loco luculentissimo lib. 2. suorum XLVI. *Insignis confir-*

matio ex Ruperto. Commentariorum in Exodum cap. 6. Benè ergo, inquit, verus iste Agnus immolationis suæ tempus ipsum, quod typico præscripserat Agno, per omnia prouidit: mense primo, decima die mensis, quo secundum legem Agnus in domos Iudæorum tollebatur, intrauit in Sanctam Ciuitatem Hierusalem, turbis deducentibus, & quam diem idem secundum legem seruatus est, tamdiu, & iste circa Ciuitatem eandem, & circa Templum demoratus est, idest vsque ad quartam decimam diem mensis, eiusdem Sanctæ Scripturæ herbam ruminans, & ad vitæ æternæ pascua interim suos auditores jugi balatu inuitans. Tandem quarta decima die ad vesperam, vbi illum Paschæ veteris Agnum comedit cum Discipulis suis, tunc ipse noui Sacrificij Agnus continuò capiendus, & ducendus ad immolandum, iam in angustia Passionis agonizans, *prius propriis manibus Deo Patri semetipsum immolauit*, accipiens panem, & vinum, & mira, atque ineffabili sanctificationis potentia transferens hæc in Corporis, & Sanguinis sui Sacramentum. Hæc Rupertus piè, & eruditè.

XLVII.

De circumstantia finis.

XLVIII. *Agnus Paschalis fuit Sacrificium ex sua institutione commemoratiuum.*

SI inuestigemus in quem finem institutum à Domino fuerit Sacrificium Agni, inueniemus profectò, non ob alium finem potius esse institutum, quàm vt esset Sacrificium commemoratiuum beneficij Redemptionis de seruitute Ægypti. De hoc fine intelligitur illud Exodi 12. *Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Et infrà. *Et cum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista Religio? dicetis eis Victima transitus Domini est quando transiuit super domos filiorum Israël in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.*

Huc spectant omnes ritus, & cæremoniæ, quas adhibet: Deus voluit in immolatione, & esu Agni non solum nocte illa præcedente liberationem, verumetiam sequentibus temporibus iuxtà illud Exod. 12. *Cum introieritis in terram, quam Dominus daturus est vobis, obseruabitis cæremonias istas.* Si enim quæras quorsum ille habitus manducantium, tanquam viatorum ad iter longum, & laboriosum accinctorum? *Sic autem comedetis eum renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter.* Statim redditur ratio. *Est enim phase*, hoc est Sacrificium commemoratiuum omnium pertinentium ad mirabilem illam liberationem, profectionem, & itinerationem ex Ægypto; Illa enim omnia comprehendit hoc loco, vox phase seu Pascha. Similiter si quæras quorsum ille modus coquendi, & comedendi? *Et edent carnes nocte illa assas igni, & Azimos panes cum lactucis agrestibus, non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni; caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis, nec remanebit quidquam ex eo vsque mane; si quid residuum fuerit, igne comburetis.* De his omnibus non alia litteralis ratio redditur, nisi quia Agnus ille instituebatur in commemorationem antiqui status seruitutis Ægyptiacæ, & nouæ liberatio-

nis, & redemptionis filiorum Iſraël, vt videre licet apud Interpretes.

Hinc ſumitur validum argumentum ad probandum Agnum Paſchalem immediatè, & principaliter figuram fuiſſe Sacrificij Euchariſtici, non vero Sacrificij Crucis, quia Sacrificium Crucis nullomodo immolatum fuit in memoriam tranſitus alicuius, aut liberationis, neque vllo modo alterius Sacrificij commemoratiuum fuit; at verò Sacrificium Eccleſiæ eſt Sacrum ſignum memoriæ, vt vocat illud Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. vbi ait: Huius Sacrificij caro, & ſanguis ante Aduentum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur, in Paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur, poſt Aſcenſionem Chriſti per Sacramentum memoriæ celebratur. Quod poſtea explicarunt Patres Concilij Tridentini ſeſſ. 22. cap. 1. vbi dicitur: Celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſraël immolabat, nouum inſtituit Paſcha, ſe ipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc Mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, eripuitque de poteſtate tenebrarum, & in regnum ſuum tranſtulit.

XLIX. *Figura principalior Euchariſtiæ quæ eſt Sacrificium memoriæ.*

Cum ergo Agnus Paſchalis fuerit Sacrificium ex natura, & inſtitutione ſua commemoratiuum, & vt ſic fuerit figura Sacrificij Chriſti, quis neget, illius Sacrificij Chriſti fuiſſe principalius figuram, quod ex ſua etiam natura, & inſtitutione eſt commemoratiuum? id autem eſt tantùm Sacrificium Euchariſticum.

Dixi Agnum Paſchalem immediatè, & principaliter Sacrificium Euchariſticum figuraſſe. Sequutus Bellarminum lib. 4. de Euchar. cap. 9. & lib. 1. de Miſſa cap. 7. nam minus immediatè, & minus principaliter figuraſſe etiam Sacrificium Crucis, negari nullo modo debet, aut poteſt, quia ſi Agnus ille figura eſt immediata, & principalis Euchariſtiæ, & Euchariſtia eſt repræſentatio, & imitatio Sacrificij Crucis, qui neget, ait Bellarminus Agnum illum fuiſſe figuram, & repræſentationem Sacrificij Crucis? Quare Ioan. 19. videmus Euangeliſtam reddere cauſam, cur non fuerunt Chriſti crura in Paſſione confracta, quia ſcriptum eſt de Agno Paſchali: *Os non comminuetis ex eo.* Cæterum quia Agnus Paſchalis figura fuit Chriſti vt in Sacramento nobis apponendus erat & manducandus, ideo illa immolatio potius, & principaliter ſignificauit immolationem Chriſti myſticam, quæ fit in Sacrificio Miſſæ, quàm immolationem cruentam, quæ in Cruce peracta eſt, nam ideo ritus Agni Paſchalis potius tradit modum manducandi, quàm immolandi, & tota illius celebratio peracta deſcribitur in Scriptura Exodi ſub circumſtantiis, quæ potius quadrant in Euchariſtiam, quàm in Crucem.

L. *Agnus Paſchalis figurauit etiam Sacrificium Crucis ad minus immediatè, & principaliter.*

Igitur ex hactenus diſputatis, tale conficimus argumentum contra Hæreticos, qui toti ſunt in confirmando vnico Sacrificio Crucis ex ratione præſertim ducta ex figuris antiquorum Sacrificiorum. Agnus Paſchalis expreſſius, & principalius figurauit celebrationem Euchariſtiæ, quàm immolationem Crucis; ergo celebratio Euchariſtiæ non fuit minus verum, ac proprium Sacrificium, quàm Sacrificium Crucis. Conſequentiam admittunt Aduerſarij, quia ipſi ideo tàm acriter contendunt Agnum Paſchalem figuram fuiſſe tantùm Paſſionis, & mortis Chriſti, vt non cogantur aſſerere aliud eſſe Chriſti Sacrificium, præter Sacrificium Crucis; ſentiunt ergo ex Sacrificio figuratiuo Agni rectè inferri

LI. *Colligitur ex dictis argumentum pro inſtitutione noſtri Sacrificij.*

veritatem Sacrificij alterius Agni ab illo figurati. Antecedens magna ex parte iam constat ex dictis in præcedenti, ac præsenti quæstione quia circumstantiæ celebrationis Agni Paschalis expressius, & principalius quadrant, & congruunt celebrationi Eucharistiæ, quàm immolationi Crucis, immò aliquæ circumstantiæ grauiores nullomodo quadrant in Sacrificium Crucis; omnes verò etiam leuiores aliquo saltem modo Eucharistiæ celebrationi configurantur, vt videre licet partim apud Sanctum Gregorium Homil. 22. in Euang. partim apud Isichium in Leuit. partim etiam apud Rupertum in Exod. & apud omnes ferè Patres super cap. 12. Exod.

LII. *Respondetur ad fundamentum Aduersariorũ.* Sed objicies Aduersariorum Achillem; Immolatio Agni Paschalis fuit Sacrificium cruentum; ergo nullomodo figurauit celebrationem incruentam Eucharistiæ.

Respondeo negando consequentiam, vt enim diximus lib. 1. quæst. 2. num. 5. non solus Agnus Paschalis, sed omnia omnino Sacrificia cruenta Religionis antiquæ, siue Patriarchalis, siue Mosaicæ, expressæ fuerunt figuræ Eucharistiæ, quod ex antiquis Patribus, non obscurè definiuit Concilium Tridentinum sess.

LIII. *Omnia antiqua Sacrificia cruenta figurant nostrum incruentum.* 22. cap. 1. dum de Eucharistica oblatione sic ait: Hæc denique illa est, quæ per varias Sacrificiorum, Naturæ, & legis tempore similitudines figurabatur, vtpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur. Igitur ratio cruenti in Agno Paschali impedire non potuit, quominus Eucharistiam figuraret.

Dices. Agnus Paschalis non solum erat Sacrificium, sed etiam Sacramentum antiquæ legis, quod ergo docent Patres, & Concilia, Agnum fuisse figuram Eucharistiæ intelligi debet de Agno vt Sacramentum, non verò vt Sacrificium erat, figurauit igitur Agnus non immolationem, sed manducationem Eucharistiæ.

Sed contra est primo, quia Patres absolutè dicunt omnia antiqua Sacrificia, etiam quæ non erant Sacramenta fuisse figuras Eucharistiæ, vt S. Chrysostomus in Psal. 95. S. Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 20. & contra Aduers. legis, & Prophet. cap. 18. Sanctus Leo serm. 8. de Pass. S. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 4. & alij; ergo Agnus Paschalis non solum vt Sacramentum veteris legis, sed etiam vt illius Sacrificium eandem Eucharistiam figurauit.

LIV. *Esus Agni Eucharistici est esus immolati.* Contra secundo, quia si figurauit manducationem Eucharistiæ vt Sacramentum, figurauit etiam illius Sacrificium, ratio est quia manducatio Sacramentalis Agni erat ex sua institutione participatio Victimæ, & ipsa consummatio Sacrificij; ergo manducatio Sacramentalis Eucharistiæ ab illa figurata præsupponit Agni nostri carnes iam immolatas, atque adeo præsupponit Sacrificium.

LV. *Et non immolati tantum in Cruce.* Neque dicas, manducare nos carnes huius Agni immolatas in Cruce; nam nostra manducatio, quæ est post Sacrificium Crucis, eiusdem est naturæ, & rationis, & manducatio Apostolorum facta in nocte Institutionis antequam Cœlestis Agnus immolatus esset in Cruce, sed illa fuit manducatio Agni immolati in ipsa Eucharistia; ergo etiam nostra. Quod autem Apostoli manducauerint Agnum immolatum in ipsa Eucharistia, probatur quia illa maxime manducatio fuit figurata à manducatione Agni Paschalis; vnde Dominus post cæremoniam Agni Paschalis continuò ante Passionem subjunxit celebrationem Eucharistiæ. At verò manducatio Agni sequitur, non antecedit eius immolationem, prius enim Agnus immolatur,

immolatur, & postea manducatur, non è contrario prius manducatur, & postea immolatur; ergo illa manducatio Agni Eucharistici, quam fecerunt Apostoli ante Passionem non præcessit, sed consequuta est eiusdem Agni immolationem.

Quæres quandoquidem naturæ, & legis tempore quædam Sacrificia præcesserunt planè incruenta, vt Sacrificium Melchisedech, & similis oblatio, in quibus constat figuratam fuisse Eucharistiam; quod opus fuit, vt illam, etiam Sacrificia cruenta figurarent. LVI. *Cur plures figuræ Sacrificij incruenti debuerint esse cruenta.*

Respondeo id fuisse maximè necessarium ad astruendam veritatem carnis, & sanguinis Agni nostri immaculati, cum enim, tum ob fidei mysterium, tum ob alias rationes immolanda esset Eucharistia sub externa specie rei non viuentis, & planè exanguis; debuit abscondita illius caro, & occultus eius sanguis ab aliquibus saltem figuris demonstrari, quod factum est per omnia Sacrificia cruenta. Nam si figuræ, quæ necessario inferiores esse debent rebus figuratis, vt sumitur ex Apostolo ad Coloss. 2. vbi comparat figuras veteris Testamenti vmbris, impletionem autem corpori. Si, inquam, figuræ veram habent carnem, & verum sanguinem, quomodo potuit res figurata, quæ substantiæ præstantioris esse debet, quàm sua figura, carere carne, & sanguine? certè si in Eucharistia à cruentis victimis figurata, esset tantùm substantia panis, & vini, non autem substantia carnis, & sanguinis Christi, figuratum esset planè inferius, ac vilius sua figura; quis enim dubitet, si consideremus Agnum, & panem, vt res naturales sunt, quin Agnus excellat. Propterea Patres ex figuris, quæ præstantiores sunt pane, efficaciter probant præsentiam Corporis Domini in Eucharistia, quod prosequutus est etiam Bellarminus lib. 1. de Sacramento Eucharistiæ cap. 3.

At instabis, esto Sacrificia cruenta figurauerint etiam Eucharistiam, negari tamen non potest, illa principalius, & expressius figurasse Sacrificium cruentum Crucis, quàm incruentum Ecclesiæ; ergo Sacrificium Agni absolutè principalius, & expressius figura fuit Sacrificij Crucis, quàm Sacrificij Ecclesiæ.

Respondeo non solum Agnum Paschalem, sed cætera omnia cruenta Sacrificia instituta à Deo tanquam Sacrificia veræ Religionis, principalius, & potius figurasse Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini in Eucharistia, quàm in Cruce. Affero rationem; Sacrificia omnia antiqua, illud principalius figurabant, à quo principalius complenda, & perficienda erant; figura enim seruit veritati, & per illam impletur, atque perficitur; vnde illa veritas primario respicitur à figura, quæ ipsam implet; sed Sacrificia antiqua implenda principalius erant per Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, quàm in Cruce: Probo hanc minorem. LVII. *Sacrificia antiqua Religionis omnia principalius figurãt Eucharistiam quàm Crucem.* Illud Sacrificium fuit principalius impletiuum omnium veterum Sacrificiorum, quod absolutè successit omnibus illis; Sacrificium autem, quod successit omnibus illis, fuit Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia vt expresse docet Sanctus Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 20. *Id est enim* inquit, *Sacrificium quod successit omnibus Sacrificiis* Et ratio est apertissima, quia Sacrificium Crucis licet fuerit à Christo oblatum, non fuit tamen ab illo institutum, & relictum Ecclesiæ in cultum Religionis, nam vt docet S. Augustinus lib. 20. contra Faust. cap. 20. Sacrificium Christianæ Religionis debet esse ritus quidam à Deo Christianis præceptus pertinens ad illum cultum, qui latria dicitur; at Christi occisio, quæ dicitur Sacrificium Crucis vt rectè Bellarm. LVIII. *Sacrificium Ecclesiæ fuit veterum impletiuum iure successionis.* LIX. *Sacrificiũ Crucis non fuit successionis.*

lib. 1. cap.20. neque ritus dici potest, cum fuerit ipsa veritas, quam omnes ritus adumbrabant, & multo minus ritus Christianis præceptus dici potest, nisi quis velit nobis à Deo imperatum summum scelus, Christi videlicet interfectionem, & mortem, & denique minimè omnium cultus Latriæ dici potest, cum potius Christum occidere summum Sacrilegium dici debeat. Quare qui docent illud de Agno, Exod. 12. *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel* ad vesperam, dictum esse in figuram Iudæorum, qui omnes à Pilato petierunt Christum crucifigi, non ita propriè loqui mihi videntur, neque enim ex parte Iudæorum, fuit illud Religiosum Sacrificium, sed detestabile sacrilegium, & illud ipsum non ad vesperam perpetrarunt, sed ante Meridiem. Nullo ergo modo successit Sacrificium Crucis antiquis Sacrificiis in Sacrificium Religionis, ideo semel peractum est, & desiit esse, neque manet nunc nisi per effectum, & virtutem.

At verò Sacrificium Eucharisticum ita fuit oblatum à Sacerdote in æternum secundum ordinem Melchisedech, vt fuerit institutum, & sub ritu mystico relictum Ecclesiæ vsque ad consummationem Mundi in cultum Religionis, quod verè ab vniuersa multitudine spiritualium filiorum Israël, qui in Apostolorum familia continebantur, & repræsentabantur, fuit per manus Summi Patrisfamilias, & Summi Sacerdotis ad vesperam immolatum.

Quod si Sacrificium Ecclesiæ successit vnicè omnibus antiquis Sacrificiis, vt (quod ait S. Leo Serm. 8. de Passione) *Vnum sit pro omni victima Sacrificium sicut vnum de omni gente fit Regnum*: certè peculiari quadam ratione, & mysterio successit Sacrificio Agni Paschalis; propterea enim, vt verbis vtar S. Chry-

LX. *Agnus typicus transiuit in AgnumEucharistic.*

sost. Hom. de prodit. Iudæ: *In eadem ipsa mensa vtrumque Pascha, & typi, & veritatis celebratum est* Et vt ait Venerab. Beda in cap. 22. Luc. *Expletis veteris phase solemniis, transit ad nouum, quod in sue redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare volebat, vt scilicet pro carne Agni, ac sanguine, sui corporis, sanguinisque Sacramentum institueret.* Vide Sacrificium *Successionis*, quod Christus Dominus voluit à sua Ecclesia frequentari, quod vtique Sacrificium incruentum est, nam illud cruentum fecit semel, vt ait Apostolus. Vide etiam quemadmodum *Agnus transiuit in Agnum*, caro in carnem, sanguis in sanguinem, nimirum quod etiam ex Beda vsurpauit Anselmus in cap. 26. Matth. pro corpore Agni, ac sanguine, sui corporis, sanguinisque Sacramentum instituit.

FINIS LIBRI PRIMI.



LIBER SECVNDVS
De Natura huius Montis,
SIVE
De Essentia & Definitione Sacrificij.




RECTE' monet Bellarminus lib. 1. cap. 2. in voce *Sacrificium*, non esse quærendam etymologiam, aut vulgarem aliquam significationem, quæ notissima sunt, sed quid propriè sit Sacrificium, siue quæ sit eius natura, & definitio. In hac enim re, ait ipse, non pauci falluntur, ac meo quidem iudicio non leui, sed graui Christianæ Religionis detrimento, ex ignoratione enim naturæ Sacrificij in genere, quam totam in nostro Sacrificio reperiri necesse est, eo modo, quo tota natura Generis in qualibet eius specie necessario inest; ex ignoratione, inquam, talis naturæ, tanquam à prima radice communis illa, & verè deplorabilis ignorantia de Sacro-sancto, & Diuino nostro Sacrificio profecta est. Omnino aliquid latet in natura Sacrificij, quod Diabolus plurimum reformidet, vt mirandum non sit, si eius scientiam per offusas tenebras contenderit, semper ab hominum mentibus amoliri, & Luthero secum disputanti, tandem persuaserit, vt diceret: satius esse omnia negare, quam Missam Sacrificium esse concedere.

Agite filij Ecclesiæ, filij Lucis. Agite vos magna ingenia, inquirite in essentiam tam abditam, tam negatam, & edocete tandem, quid est hoc magnum, quod Sacrificium dicimus.

Et quoniam Sapientes viri per nomen Sacrificij tandem intelligant necesse est, Actum illum magnum, quo Creaturæ in vnum veluti Reipublicæ corpus congregatæ sistunt se coram Domino Deo suo, illique solemni ritu adorationem

publicam, & ſummum Latriæ cultum exhibent ad agnitionem propriæ inferioritatis, & profeſſionem Diuinæ Majeſtatis. Operæ pretium erit naturam Sacrificij ex natura ipſa ſummæ adorationis, & cultus indagare.



QVÆSTIO PRIMA.

An & quomodo Sacrificium ſit ſummus Dei cultus.



NECESSARIVM omnino erat, vt vniuerſa Creaturarum Reſpublica ſiſteret ſe aliquando, & appareret in conſpectu Creatoris, & Dei ſui ad debitum illi honorem publicè, & ſolemniter deferendum.

Voco autem adorationem publicam cum Theologis, vt rectè P. Suarez tom. 1. de Relig. cap. 2. lib. 1. non omnem illam, quæ coram aliis fit; nam poteſt aliquis etiam coram aliis, priuatam adorationem exhibere, nimirum pro ſe tantùm, & in perſona ſua, tanquam priuatus cultor Dei, ſed illam publicam voco, quæ ita de ſe fit coram aliis, vt nomine omnium fiat, atque adeo habeat ſignificationem autoritate publica, & communi, qua ratione publica dicitur illa actio, quæ fit per legitimum Miniſtrum nomine totius populi deputatum. In hoc, inquam, ſenſu neceſſarium erat, vt non ſolum priuati homines, ſed ipſa Reſpublica ſummo cultu ſuum Deum agnoſceret, & adoraret.

I. *Adoratio publica quid.*

Cum enim natura hominum poſtulet, vt in vnum politicum corpus Reſpublicæ congregetur, vt ſic ad Deum ordinabile; neceſſe erat, vt non ſolum ſinguli priuatè colerent Deum, ſed etiam, vt tota Reſpublica per modum vnius corporis ad illum per ſummum cultum ordinaretur.

Sed difficultas erat in forma cultus, rituque decernendo, qui nimirum, & Majeſtati Principis, & ſubditorum ſubjectioni congrueret. Oriebatur autem II. difficultas ex natura ipſa *Summi*, ac ſupremi cultus, quæ hoc vniuerſaliter poſtulat, vt quicumque illum exhibent, profiteantur per illum, ſe *nihil* eſſe coram eo, cui illum exhibent. Vis ſummum Sapientiæ honorem, ſummum cultum Salomoni deferre? neceſſe eſt, vt dicas: Salomon tu ſolus ſapiens, Salomon nemo eſt, qui in genere Sapientiæ coram te non nihil ſit. Vis ſummum honorem potentiæ Romanis tribuere Imperatoribus? Dicas de illis oportet: nemo erat, qui coram Romanis Imperatoribus quidquam poſſet. *Natura ſummi cultus.*

Verum obſeruare maximè oportet, ſummum, de quo agimus cultum, non eſſe verbalem, neque ſolum, vt aiunt affectiuum, ſed *realem*, & effectiuum, ita vt quidquid in proteſtationem honoris, verbis explicamus, id totum *reipſa* præſtemus. Hinc ſolemnitas ſummi cultus in quadam dejectione, deſtructione, & III. veluti annihilatione reali poſita eſt. Legi ego tres Codices Rituales; primum de ſolemnitate cultus ſummi deferendi ab exercitu, Summo armorum Principi; ſecundum de ſolemnitate honoris præſtandi Majeſtati Monarchæ pro Tribunali ſedentis; tertium de ſolemnitate adorationis faciendæ ſummo Sacrorum Principi, & Pontifici, & in omnibus his obſeruaui, ſolemnitates ſummi cultus poſitas eſſe in reali dejectione, deſtructione, & veluti annihilatione. Leges cæremoniales de Principe Armorum ab exercitu excipiendo, totæ ſunt in eo, vt milites arma dejiciant, vt ſubmittant haſtas, vt Vexilla proſternant, vt coram illo, quaſi inermes *nihil* armorum ſint. Leges cæremoniales de honore præſtando Monarchæ, eò collineant, vt coram Majeſtate, & coram Altiſſimo, nemo magnus, nemo altus appareat, hinc coram Vnico Solio, ſedes omnes ſiue maiores, ſiue minores euertuntur; coràm Titulo Majeſtatis cæteri omnes inferiorum Principum Tituli reticentur. Altitudo ipſa corporis per capitis inclinationem, per genuum flexionem, per omnium membrorum proſtrationem deprimitur, & quantum fieri poteſt detruncatur. Leges cæremoniales coram Sacrorum Principe eodem recidunt; nemo eſt, qui paſtoralem baculum habeat in manu coram illo, nemo qui benedictionem impertiat. Præmonentur Oratores ne geſtum faciant. *Summus cultus poſtulat deſtructionem.*

Quod ſi indagetur cauſa, cur ſummus cultus, & honor in huiuſmodi deje- IV. ctione, & deſtructione conſiſtat, profectò alia aſſignari non poteſt, niſi quia hoc tantùm ſigno, eum, quem honoramus, eſſe *totum continens*, declaramus, & in eo genere, quo totum eſt, *ſolum*, ac ſingularem profitemur. De ratione enim *totius* eſt, vt extrà ipſum nihil ſit eius generis, in quo ipſum totum eſt. Hoc autem oſtendimus, & explicamus per dejectionem, & amotionem omnium in eo genere, qua amotione quaſi publico, non vocali, ſed reali manifeſto dicimus: *Tu ſolus, tu totum continens* in hoc genere es. *Cur ſummus cultus petat deſtructionem.*

Hæc igitur natura eſt ſummi cultus, ex qua illud conficitur, quàm facile eſt, ſummum cultum deferri Regibus, & Dominantibus terræ, tàm difficile eſſe

Regum Regi, & Domino dominantium Deo exhiberi posse. Facile, inquam, est hoc præstare pro meritis, Regibus terræ, tum quia non requiritur tanta expressio propriæ inferioritatis, vbi non est infinitus excessus Superioris Majestatis, tum quia summitas Regis, & quasi totalitas non est in omni genere; Quare satis est ad supremum cultum illi præstandum, si per dejectionem rerum in certo genere manifestum faciamus, & re ipsa dicamus. Nemo est alius præter te in isto genere.

V

Summus cultus Dei postulat totius creati annihilationem.

At verò cum Deus sit omnia in omni genere, nullomodo videtur fieri posse, vt ad similitudinem supremi cultus, quem supremis terræ Principibus exhibemus, cultum illi soli congruum, & debitum comparemus; neque enim ad colendum congruè Deum satis est profiteri. Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, quasi nemo sit alius in genere Sanctitatis, nemo in genere Dominij, nec in genere Majestatis, sed necessarium est absolutè, & simpliciter profiteri. *Tu solus es, neque enim est alius extra te.* 1. Reg. 2. Cum verò solemnitas huius professionis consistere debeat in *reali repræsentatione*, hoc postulante natura summi cultus, vt reipsa, & practicè significetur, & repræsentetur quidquid verbis exprimere possemus; hinc est, vt nullomodo possimus supremum cultum, soli Deo congruum, & debitum solemniter exhibere sine effectiua dejectione, destructione, & annihilatione omnium rerum extrà ipsum. Ecce totus cardo difficultatis. Quid ergo facerent creaturæ in vnum Reipublicæ corpus congregatæ? Ex his duobus alterutrum necessario fieri oportebat, vel, vt nunquam coràm Domino Deo suo, se solemniter sisterent, vel si ad debitam Deo adorationem solemniter voluissent accedere, deponerent coram ipso totum, quod habent esse extrà ipsum.

VI.

Concilium Naturæ.

Ad hanc grauissimam difficultatem superandam consulendum meritò fuit primum illud, ac generale Naturæ Concilium, cuius lex promulgata iam fuerat de colendo Deo, eo quod creatura omnis debet Deo, non tantùm amorem, sed etiam honorem, tanquam supremo Domino, & Autori suo, à quo habet, & originem, & cætera omnia. Præses Concilij Religio erat. Cum autem Religionem nomino, non statum nomino, sed virtutem omnibus Dei cultoribus communem, cuius officium est procurare debitum honorem, & gloriam Deo, & cuius exercitio, & professioni, status, qui dicitur Religiosus, est peculiariter institutus, & ordinatus.

Præsidente igitur virtute Religionis, quæ iuxtà Tullij definitionem probatam ab Augustino lib. 83. quæst. 31. *Diuinæ naturæ curam cæremoniamque affert.*

Quæsitum primo loco est. An via aliqua iniri possit, qua corporea hominum Respublica satisfaceret legi latæ de honorando, & adorando Deo per internum animi cultum, & cordis adorationem, vt sicut Angelica Respublica, non solum habet affectum adorandi Deum, sed ipsam quoque veram adorationem, quatenus actum ipsum recognitionis Diuinæ Majestatis, & propriæ inferioritatis offert in cultum Deo, ita etiam humana natura per similem dispositionem, & actuum ordinationem ad Deum, suam perficiat adorationem, vt enim rectè Suarez tom. 1. Relig. multo magis genuflectitur spiritualiter anima coram Deo per illam recogitationem ad hunc finem ordinatam ex affectu colendi Deum, quam corporaliter genuflectitur per crurium plicationem, & demissionem vsque ad terram.

Sed quamuis ſit verum, animam per internum cultum genuflecti magis, quàm corpus per externum; homo tamen, qui ex vtroque componitur, ſine dubio genuflectitur magis per vtrumque. Quare optimè dixit contra Hæreticos Bellarminus lib. 1. cap. 25. Et ſi internus cultus nobilior externo ſit, vtrique tamen præſtare internum cum externo conjunctum, ſiue internum cultum cum externa illius proteſtatione.

VII. *Cultus ſummus humanus eſt publicus, & externus.*

Itaque ſummus cultus, de quo agimus non poteſt eſſe merè internus, ſed mixtus ex vtroque, idque triplici ratione; & quia humanus; & quia publicus, & quia ſummus. Quia humanus, cum enim cultus, & honor exhiberi debeat modo ipſi honoranti, & colenti accommodato. Eſt enim honor in honorante, ſequitur, vt ſicut homo, qui honorat eſt compoſitus, ita eius humana operatio; vnde ex doctrina S. Thomæ rectè dixit P. Suar. lib. 1. de Diu. cultu cap. 1. eum modum colendi, & honorandi, tàm naturalem homini eſſe, vt vix poſſit modo ſibi accommodato, aliter Deum adorare, quia ſicut intelligit ſpiritualia per ſenſibilia, & ad modum rerum corporalium, ita vix exprimit interiorem reuerentiam, & ſubmiſſionem, niſi exhibendo aliqua ſenſibilia ſigna illius, per quæ, & ſuo affectui quodammodo ſatisfacit, & rurſus per eadem in illo interiori affectu confirmatur, & creſcit.

Rurſus debet eſſe externus, quia publicus, vt enim docet S. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 19. cap. 11. Communitas hominum non poteſt coaleſcere, & conuenire in alio ſignorum genere, quàm ſenſibilium, vt eſt manifeſtum; nam interiora ſigna per ſe occulta, & ignota hominibus ſunt, qui vident ea, quæ parent, nec intuentur cor: cultus autem publicus, qui videlicet nomine omnium fit, debet ex ſe, & ex natura ſua notus eſſe omnibus, atque adeo, interno tantùm actu perfici, nullatenus poteſt. Adde quod notauit Suarez in 3. p. q. 83. Teneri hominem ſuam mentem, & animum erga Deum, non ſolum Deo, & ſibi, ſed etiam aliis hominibus ſignificare, propter quod non ſolum fides, ſed etiam confeſſio fidei eſt ad ſalutem neceſſaria, Rom. 10

Denique cultus Deo ab homine debitus præſertim in functione ſolemni, & publica debet eſſe etiam externus, quia debet eſſe ſummus, & maximus, quo ſcilicet maior dari non poſſit. Conſtat autem cultu ſolo interno maiorem eſſe cultum ipſum internum cum externo conjunctum, quemadmodum maior cenſetur offenſa, & ignominia, quæ non ſolum actu interno, ſed etiam externo perficitur, Et ſane cum homo teneatur aliquando, non ſolum anima, ſed etiam corpore honorem reddere Deo, ex illo præſertim nomine, quod à Deo non ſolum animam, ſed etiam corpus accepit, profectò talis honor reddendus Deo præcipuè eſt, in ſolemnitate proteſtationis, quod Deus omnium autor eſt. Hæc autem proteſtatio facienda maximè eſſet, cum hominum multitudo in vnum Reipublicæ corpus congregata ſiſteret ſe coram Domino Deo ſuo, ſiue per ſe, ſiue per Miniſtrum autoritate publica deputatum.

VIII. *Sacrificium eſt cultus externus.*

Propter has rationes extrà controuerſiam ſemper fuit apud Doctores, ſummum cultum, cuius naturam hîc indagamus, eſſe teſtificationem quandam externam internæ exiſtimationis, & affectus. Propterea in definitione Sacrificij, in quo communiter ſummam teſtificationem poſuerunt omnes, expreſsè dicitur, quod ſit actio externa, quia vt rectè Bellarminus lib. 1. cap. 2. nomine Sacrificij

propriè omnes intellexerunt publicum, & manifestum honorem Deo exhibitum à communi, & publico Ministro.

Controuersia solum est. Quousque se extendere necessario debeat summus iste cultus reddendus Deo. Siue quid præstare necessario debeat homo, qui communi autoritate residente, siue in Republica, siue in Principe illam continente, eligitur, & deputatur ad talem cultum omnium nomine exhibendam.

Hoc nimirum disputatum, consultumque in primo illo Naturæ Concilio est, ipsa præside Religione. Itaque visum aliquibus est, ad hanc functionem ritè obeundam satis esse, si homo publicus, ex hominibus videlicet assumptus, & pro omnibus constitutus in protestationem Diuinæ Majestatis, & humanæ infirmitatis, & inferioritatis solemni ritu prosterneret se ad terram vsque, quo actu omnes homines per illum repræsentati cum tota creaturarum familia, intelligerentur adorare, submitti, & subjici Creatori, & Deo suo.

IX. *Actus honoris externus consisti in minoratione.*

Et sanè negari non potest summam *prostrationem* externam, aptam esse, vt assumatur in signum magnæ submissionis internæ. Videmus enim vniuersale signum internæ inferioritatis positum apud omnes ferè gentes esse in externa minoritate ita vt tantò magis quis censeatur esse in animo suo, alio inferior, quantò coram illo fit minor. Inclinatio Capitis ex affectu reuerentiæ, est signum alicuius inferioritatis, maioris est inclinatio pectoris; adhuc multò maioris, genuum incuruatio; neque alia ratio à Sapientibus reddi potest, nisi quia in signum inferioritatis, seu minoritatis internæ assumpta ab omnibus est minoratio externa. Vt si quæras, cur per genuum-flexionem magna honoris fit significatio; respondendum sit, quia homo per genuum-flexionem de ipsius proceritate, & maioritate multum tollit, seque ipso valde fit breuior, & minor. Hinc mea quidem sententia Iapones in notam reuerentiæ denudant pedes calceo, vt nos pileo caput; quia nimirum sicut nos supernè, ita illi infernè illa actione se minorant. Et proculdubio, ex hoc etiam affectu humilitatis, multi Sancti viri nudis pedibus, & capite incedebant, vt sic etiam coram Deo minores ambularent.

Quia ergo per summam corporis ad terram vsque prostrationem, proceritas omnis, & maioritas tollitur, congruè omnino adhiberi potest in solemnem protestationem summæ inferioritatis nostræ, & Diuinæ Celsitudinis, quam per dejectionem illam summam profiteamur.

X. *Adoratio an summus cultus.*

At Religio, cuius proprium est, singularem Deo honorem, & illi soli debitum procurare, non est, inquit, neque pro creata inferioritate, neque pro Diuina excellentia, & majestate satis huiusmodi propositum signum, tum quia non continet honorem singularem soli Deo factum, tum quia non est summum, & maximum. Deferuntur quidem piè huiusmodi enumerati honores Deo, cui debetur omnis honor, & gloria. Verum, vt ait Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 4. multa de cultu Diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera, siue ex alia quacumque causa. Est quidem laudabiliter de Salomone scriptum lib. 3. Reg. cap. 8. vers. 55. *Surrexit de conspectu Altaris Domini, vtrumque enim genu in terram fixerat.* Verum sine sacrilegio narratur quoque de quinquagenario illo tertio, qui cum venisset, *curuauit genua contra Eliam, & precatus est eum.* Piè quidem Sanctus Dauid humi se, Deum oraturus prosternebat ex affectu nimirum humanæ humilitatis, quia, qui humi

humi proſtratus erat, non habet, quò deſcendat, & magis humilietur. *At Abigail procidit coram Dauid ſuper faciem ſuam, & adorauit ſuper terram*, lib. 1. Reg. 25. Et Iudith videns Holofernem ſedentem in Conopeo, *adorauit eum proſternens ſe ſuper terram*, Iudith. 10. Non igitur eſt ſingularis, & proprius Dei cultus, qui aliquando etiam hominibus fit communis. Sed ſicut eſt interior quidam cultus, quem ſoli Deo, nec Beatis quidem Cœlitibus exhibemus, cum illum tanquam primum principium, & vltimum finem rerum omnium agnoſcimus; ſic etiam debet eſſe externum aliquod ſignum, quo ſingulariter proteſtemur, cultum iſtum internum ſoli Deo debitum; vt quemadmodum internus iſte actus, eſt ſingularis Dei cultus, ita ſignum externum publicum, & ſolemne talis actus, ſit etiam ſingulare. XI. *Dandus eſt cultus aliquis externus ſingularis.*

Quod verò cultus, qui in totius corporis proſtratione ponitur, non ſolum non ſit ſingularis, ſed neque ſummus, & maximus, quod erat ſecundo loco affirmatum, argumento, ſint illi ſubmiſſi animi conatus, quibus Sancti viri ex affectu colendi Deum, non ſolum ſecundum altitudinem, ſed ſecundum omnes alias dimenſiones contrahere, & quaſi in punctum ſe redigere contendebant: Sic Eliſæus lib. 4. Reg. cap. 4. *Diminutus eſt vſque ad paruitatem pueri, incubuit ſuper eum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & coarctauit ſe ſuper eum*: vtique ex vehementi affectu humilitatis, & ſubjectionis ante Deum, vt ex S. Auguſtino docet Sanctius; vnde tam potens eius euaſit oratio ad impetrandum. Nam quid de Elia, Eliſæi Magiſtro dicam, qui non ſolum conatus ex eodem affectu fuit, coarctare ſe ad paruitatem pueri, verum vlterius minoratus, conatus eſt ad illam ſe reducere paruitatem, & formam, quam habebat in vtero matris ſuæ? *Et pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua*, lib. 3. Reg. cap. 18. Iſte eſt ſitus Embrionis ait Ariſtoteles lib. 7. de Hiſtoria Animal. cap. 8. homo enim, ait ille in ſemet conglobatus ita geſtatur, vt faciem inter genua habeat. Habitus profectò hominis ſe humiliantis, & Deum ſolum Magnum profiteri, & declarare cupientis. XII. *Adoratio non eſt ſummus cultus externus.*

Porrò affectus hic Sanctorum minorare ſe magis, ac magis ſatagentium, & quaſi ſe ad nihilum redigere cupientium, indicat omnino non eſſe ſummum honorem illum præſtitum, nec ſingularem, Deique proprium, in quo religioſus animus conquieſcat, ſed alium longè maiorem eſſe poſſibilem, ad quem animus tendat. Hic nimirum eſt hodie inquirendus. Itaque ratiocinemur hoc modo.

Omnis cultus externus conſiſtit in aliquo genere dejectionis, & deſtructionis ordinatæ ad profeſſionem alienæ excellentiæ, hoc declaratum ſuperius eſt, & generali hominum conſuetudine comprobatum. Ergo ille tantùm cenſendus eſt cultus externus, *ſummus & maximus*, qui ad illum finem, ſummam ſecum affert dejectionem, & deſtructionem; ergo donec perſona publica, omnium nomine in Dei honorem, & gloriam deſtruatur, nunquam Reſpublica exhibebit ſummum, & maximum cultum externum Deo. Sed talis cultus eſt debitus Deo, cui omnis debitus eſt; ergo eſt omnino communibus omnium votis, atque opera procurandus. XIII. *Summus cultus externus importat deſtructionem ipſius colentis.*

Latet in hoc argumento magna controuerſia, & quæ plura ingenia ad illam agitandam excitabit; Nam quod in proteſtatione ſumma ſubjectionis ad Deum, & ſummo cultu externo, qui exhiberi poſſit, intercedere deſtructio debeat, ferè XIV. *An ſummus Sacerdos neceſſario fieri debeat Victima in ſacrificio.*

M

Doctores omnes concedunt ex illa præcipuè ratione, quam tangit Bellarminus lib. 1. cap. 2. quia summa, de qua loquimur, protestatio, requirit, vt non solum vsus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia, & ideo non solum vsus, sed substantia consumatur.

At quod hæc externa, & realis destructio esse necessario debeat personæ ipsius legitimè deputatæ ad summum cultum exhibendum, ita vt cultus exhibitio nihil aliud sit, quàm ipsa colentis physica, & realis exinanitio, hoc non nemo dissonum, & absurdum reputabit, quia omnes quotquot in lege naturali, vel scripta, legitimè sacrificarunt, omnes summum Deo cultum publico nomine exhibuerunt, & tamen non se ipsos, sed res ab ipsis oblatas ad Dei honorem destruxerunt. Simili ratione deputari posset, & auctoritate publica aliquis eligi, tanquam totius humanæ naturæ Sacerdos, qui per destructionem alicuius rei extra se ipsum, ritu mystico factam, debitum Deo honorem, & cultum deferret.

Sed Diuina Religio non videtur contenta ea protestatione, neque illam, tanquam *summam* admittit, quia maior proculdubio esset alia, quæ Respublica humana in aliquo suo eiusdem naturæ, & homogeneo capite constituto, moraliter in Dei honorem, & obsequium sese destrueret. Vnde meritò non acquiescit in eo cultus genere, quo aliquis naturæ Sacerdos constitutus extraneam victimam in Sacrificium offerret: ratio est quia tota humana natura in vnum veluti Reipublicæ corpus congregata, debet ipsa *se ipsam* in Sacrificium Deo, nec solum quæ sunt extrà ipsam, vt docet Eusebius lib. 1. de Demonstratione cap. 10. Quare Theologi ex doctrina Eusebij aiunt, Sacrificium esse protestationem, qua homo profitetur se habere totum suum esse à Deo; & ideo dignum esse Deum, in cuius honorem, & cultum *idem esse & eadem vita* destruatur: ideo Sacrificium reponitur in specie perfectissimæ oblationis; constat autem summam oblationem esse illam, qua quis non solum sua, sed se, nec solum se per seruitutem, sed etiam per Martyrium offert Deo. Debet ergo humana Respublica se ipsam Deo in Sacrificium; ergo ipsa modo accommodato solemni, ac publico ritui in Dei honorem destrui debet; sed non ipsa in se, & per se; ergo ipsa per publicum, & in publico, & legitimo homine, in quo tota contineatur, & sit; ergo talis publicus homo debet ipse per se ipsum offerri Deo, & destrui in Sacrificium. Hæc vltima consequentia nititur principio generalissimo, quod omne morale fundatur in aliquo physico; quare ad verificandam moralem totius Reipublicæ destructionem in honorem Dei, necessarium est, vt aliquis, in quo totum suum esse habet morale, physicè in Dei honorem destruatur; & quia corpus politicum, & mysticum, totum suum esse morale habet in capite continente, ideo moralis destructio totius corporis politici, non nisi in sui capitis physica destructione fundari potest.

XV. *Tota natura debet se Deo in Sacrificium.*

XVI. *An Sacerdos principalis necessario debeat esse victima.*

Assumendus est ergo primo aliquis ex hominibus, & omnium caput, in quo omnes contineantur, constituendus, tum, si ad exhibendum legitimè cultum debitum Deo acceptet officium, & munus Sacerdotis, acceptet etiam necesse est onus Victimæ. Hæc enim duo in vna eademque capitis persona coniuncta sunt, vt idem corpus, quod est Sacerdos, sit Victima propter indicatam rationem, quia cum totum corpus debeat Deo Sacrificari, & non in se ipso, necesse est vt Sacrificetur in suo capite, atque adeo vt caput sit simul offe-

rens, & res oblata, quæ ad Sacrificium consummandum necessario est destruenda.

Sed cur non satis esset ad Sacrificium generis humani, si eius Sacerdos extraneam aliquam Victimam assumeret, exempli gratia, aliquem Arietem, vel si non extraneam, cur non satis esset si eiusdem naturæ aliquem alium in Dei honorem, & cultum reliquorum omnium nomine offerret.


Non satis esset, quia ad fundandam absolutam perfectamque denominationem, & veritatem moralem de Sacrificatione Generis humani, in alio, requiritur continentia; qua enim ratione dicas hoc sacrificari in illo, si in illo non est? Corpus autem totius humanæ Reipublicæ non est nisi in suo capite, in quo nobiliori, & perfectiori aliquo modo est, quàm in se ipso.

Addo, ad Sacrificium Generis humani non solum necessarium esse, vt Victima habeat qualitatem capitis respectu omnium hominum, sed etiam respectu omnis creaturæ, ita vt in illa non solum omnes homines, sed reliquæ quoque omnes creaturæ contineantur, idque non quia Sacrificium Generis humani, sed quia absolutè, & simpliciter Sacrificium est. Vnde sequitur nullum verum Sacrificium posse consistere sine Victima magna, quæ habeat qualitatem capitis respectu omnis creaturæ. Et omne verum Sacrificium eandem essentialiter Victimam habere, cum dari non possit nisi vnica Victima, quæ qualitatem capitis habeat respectu omnis creaturæ. XVII. *Principalis Victima omnis Sacrificij est caput omnis creaturæ.*

Sed vnde habes, Victimam Sacrificij cuiuscumque, habere hanc qualitatem capitis respectu omnis creaturæ? Habeo ex formalissima ratione summæ protestationis, & cultus proprij Sacrificij. Etenim per Sacrificium profitemur, & protestamur, quod Deus solus est, & præter Deum nihil est, quia Deus est, qui est. Cum verò professio hæc, & protestatio non sit verbalis tantùm, & vocalis, sed realis; hinc est, vt eius solemnitas necessario in effectiua, & reali dejectione, destructione, & annihilatione omnis creaturæ perfici debeat: debet enim practicè significare quid efficerent verba, si non essent tantùm enunciatiua, sed etiam operatiua, vt verba Consecrationis; sed non potest omnis creatura moraliter quantum ad veram protestationem satis est, destrui in vna, nisi in illa vna contineatur; ergo Victima cuiuscumque Sacrificij necessario debet habere qualitatem capitis respectu omnis creaturæ.

Plura hic tetigimus, quæ fortasse non sunt vulgo protrita, & quæ propterea vberiorem explicationem postulare videntur; ideo antequam ipsius definitionis verba promamus, quæstiunculas aliquas, facem illi prælaturas inducemus.





QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum principalis Sacerdos necessario sit ex Creaturis assumptus, & an possit esse pura Creatura.

I. *In promotione de Collegio præferendus.*
II. *Sacerdotis definitio.*
III. *Sacerdos necessario est Creatura.*
IV. *Sacerdos vt talis est minor Deo.*
V. *Sacerdos est maior omni creatura.*
VI. *Non potest esse pura creatura.*

I. *In promotione de Collegio præferendus.*



VONIAM Sacrificium actus est principalis Sacerdotis, qui absolutè, & simpliciter est Sacerdos: Ad Sacrificij definitionem præparandam plurimum referet, si huiusmodi Sacerdotis dotes, & necessarias proprietates indagemus, ac primo illud sese offert, An, & quomodo Sacerdos pro creaturis constitutus sit creatura; Et quidem rectè constituta est lex illa, ait S. Thomas de promouendis ad Ecclesiasticos Magistratus, quod quando vtilis inuenitur aliquis de Collegio, non eligatur extraneus. Hanc legem custodiri quoque iussit Deus in electione primi Regis Israël, vt patet ex Deuter. cap. 17. *Cum*, inquit, *constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Denique Deus ipse tanquam singulare priuilegium promisit dilectæ vineæ suæ, Oseæ 2. *Dabo eis vinitores ex eodem loco*, ex gente nimirum sua, quemadmodum quando vineam suam transtulit de Ægypto, dedit ei Vinitores Moysen, & Aaron vt obseruat ibi S. Hieronymus. Et sanè non vulgare est beneficium, ait Ribera, habere apud se Magistros de loco, & gente sua, quos crebrò audias, quos cum libuerit possis facile consulere, quorum verba melius intelligas.

Iam verò cùm summus constituendus Pontifex esset pro Creaturis, congruum planè fuit, vt ex Creaturis ipsis, quasi de numero fratrum suorum aliquis assumeretur. Quod verò hic quærimus est, an ita fuit congruum, vt etiam fuerit necessarium.

II. *Sacerdotis definitio.* Probo autem fuisse necessarium hoc argumento. Sacerdos est mediator inter Deum, & Creaturam, ergo necessario est Creatura. Antecedens sumitur à S. Thoma 3. par. quæst. 22. art. 1. vbi ait, quod propriè officium Sacerdotis est, esse Mediatorem inter Deum, & populum, in quantum scilicet Diuina populi tradit, & in quantum Preces populi Deo offert, & pro eorum peccatis Deo ali-

qualiter satisfacit; vnde Apostolus dicit: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis. Ex quibus Apostoli verbis, congrua consurgit Sacerdotis definitio, qua vtitur P. Vasquez disput. 83. cap. 1. Sacerdos est Mediator hominum apud Deum auctoritate publica constitutus, non merito, & oratione solum interpellans, sed etiam Sacrificio.

Consequentia probatur, tum ex natura Mediatoris simpliciter, tum ex natura talis Mediatoris, qualis est Sacerdos; quamuis enim omnis Sacerdos est Mediator, non tamen omnis Mediator est Sacerdos, primo ergo ex natura Mediatoris, qui distare debet ab eo, apud quem est Mediator; id enim secundum eandem rationem, & naturam non potest apud se Mediatoris officium facere, sed Sacerdos Mediatoris officium exercet apud Deum; ergo debet habere naturam secundum quam distet à Deo. III. *Sacerdos necessario est Creatura.*

Probatur secundo ex natura talis Mediatoris, qualis est Sacerdos, cuius non solum est, partes dissidentes vtcumque componere, & reconciliare, propter quod dicitur Mediator à Medio scilicet; in quo extrema conjunguntur vt notauit S. Thomas quæst. 26. art. 1. sed mediare etiam interpellando, petendo, & Sacrificium offerendo pro his, pro quibus Sacerdotis munus exercet. Quare S. Paulus loquendo de vnico, & vero Mundi Sacerdote 1. Timoth. 2. ait: *Vnus est Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus*, & statim subdens, actum potissimum Ministerij sui, *qui dedit*, inquit, *semetipsum redemptionem pro omnibus*; hoc est, qui tradidit semetipsum in Sacrificium propitiatorium pro peccatis Mundi. IV. *Sacerdos vt talis est minor Deo.*

Ex hoc autem euidenter infertur, Sacerdotem necessario esse creaturam, quia offerre Deo preces, supplicationes, & Sacrificia, ad inferiorem, atque à Deo creatam naturam pertinet. Vnde rectè dixit S. Ambrosius lib. 3. de Fide cap. 5. sub finem. Sacrificium, humanæ conditionis officium est. Igitur Summus Pontifex pro creatoris constitutus, de creaturarum numero est; ipse pariter creatura, sed an pura creatura? id quoque pertinet ad rectè tenendam essentiam Sacerdotis.

Dico igitur Sacerdotem necessario esse plusquam creaturam, atque adeò non posse esse puram creaturam, quod sic ostendo.

Sacerdos est Mediator Dei, & creaturæ; ergo non est pura creatura. Antecedens ex dictis est manifestum. Consequentia probatur, tum ex natura Mediatoris, vt sic, tum ex natura talis Mediatoris, qui est Sacerdos. Et quidem ex natura Mediatoris vt sic, quia Mediator, non solum distare debet ab eo, apud quem est Mediator, sed etiam à re, pro qua Mediatoris munere fungitur. Sicut enim idem secundum eandem rationem, & naturam non potest facere Mediatoris officium apud se, ita neque pro se; ergo quemadmodum ex eo quod Sacerdos est Mediator Dei, sequitur quod distet à Deo, atque adeo sit creatura, ita ex eo quod est Mediator creaturæ, sequitur quod distet à creatura, ita vt non sit pura creatura. V. *Sacerdos est maior omni creatura.*

Probatur hoc idem secundo ex natura talis Mediatoris, hoc est Sacerdotis, satisfacientis Deo pro creatura mediante Sacrificio. Non potest Sacerdos esse efficax Mediator, si sit pura creatura; ergo non est pura creatura. Consequentia est manifesta ex fine Sacerdotij, & Sacrificij. Antecedens probatur, quia efficax VI. *Non potest esse pura creatura.*

mediatio fit per Sacrificium satisfactorium ex rigore Iustitiæ, quod exhiberi non potest à pura creatura. Quare rectè docent Theologi, ad Mediatorem per operationem, necessariam fuisse in Mundi Sacerdote mediationem substantialem, quatenus personalitas Mediatoris conjunxit nouo, & mirabili fœdere increatam, & creatam substantiam, nisi enim ratione talis mediationis substantialis Sacerdos esset creatura, & plusquam creatura, non esset suppositum increatum in natura creata operans, ac proinde non essent opera Sacerdotis infiniti pretij; itaque formaliter Sacerdos est mediator quantum ad mediationem operationis per solam naturam creatam, tamen, vt sit Mediator, & possit pro omni creatura, & toto mundo Sacrificium efficax offerre, debet præter formam naturæ creatæ habere suppositum increatum in natura creata secundum quod Sacerdos est Mediator, hoc est medius per participationem vtriusque extremi, Dei, & creaturæ.



QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum principalis Sacerdos necessario sit ex hominibus assumptus.

I. *Sacerdos principalis necessario est homo.*
II. *Solus homo continet omnem creaturam.*
III. *Homo creaturarum omnium summa.*
IV. *Conjunctio primi & vltimi.*
V. *Homo vniuersitas, & omnis creatura.*



I. *Sacerdos principalis necessario est homo.*

ROBAVIMVS Sacerdotem constitutum pro omni creaturæ necessario assumptum esse ex creaturis, examinandum est nunc; ex quibus creaturis sit assumptus; & quia controuersia esse tantum potest de creaturis intellectualibus, nimirum de Angelis, & hominibus; quærimus, An Mundi Sacerdos potuerit esse Angelus, quemadmodum de facto est homo. Et quoniam hæc disputatio maximè pertinet ad plenè cognoscendam essentiam Sacrificij, ideo illam instituimus hoc loco, & respondemus, *Sacerdotem necessario esse ex hominibus assumptum.*

Fundamentum est, quia Sacerdos omnis creaturæ debet necessario continere in sua natura vniuersitatem omnium creaturarum, alioquin non posset esse Victima, quæ necessario habet qualitatem capitis respectu omnis creaturæ iuxta ea, quæ diximus agentes de natura, & essentia Sacrificij. Ex hoc autem sequi existimamus, Sacerdotem necessario debere esse hominem: quia ex omnibus crea-

turis, ſolus homo continet in ſua natura vniuerſitatem omnium creaturarum, quia de ſolo homine dicitur, quod creati Mundi ſit compendium, vinculum, & nexus, profectò non ex alia ratione, niſi quia ſolus homo, omnes rerum ſpiritualium, & corporalium gradus in ſe habet, & nectit; ideoque eſt, & vocatur Microcoſmus, atque à Platone vocatur Horizon vniuerſi, quia diſterminat, & in ſe conjungit ſuperius Hemiſpherium, puta Cœlum, & Angelos, atque inferius, puta Terram, & bruta; quare homo tantùm, eſt quaſi *conſubſtantialis* omnibus creaturis, atque adeo habere poteſt veram rationem capitis reſpectu vniuerſorum. II. *Solus homo continet omnem creaturam.*

Hic eſt communis ſenſus SS. Patrum, & Theologorum, qui propterea docent ex Myſterio Incarnationis ad omnes creaturas quandam peculiarem dignitatem redundare, quia nimirum in natura hominis, omnes res creatæ ſecundum ſuos gradus continentur; & ideo aſſumendo illam naturam, omnes creaturas quodammodo Deus ſibi ſpecialiter copulauit, atque adeo quodammodo Deificauit. Quod videtur etiam ſignificaſſe Apoſtolus ad Epheſ. 1. dum ait omnia eſſe in Chriſto inſtaurata, ſeu, vt ex Græco legit S. Hieronymus, recapitulata: in Chriſto, quia vt docet S. Irenæus lib. 2. cap. 18. In natura humana omnes res, & rerum ſpecies, ac gradus quaſi in *ſumma* continentur, quam ſummam Hebræi vocant *Caput rei*, vt patet Num. 1. ver. 2. Propterea cum Verbum Diuinum humanum naturam aſſumpſit, tunc quaſi res omnes in ſummam redactas ſibi conjunxit, & ad ſe, quaſi ad Autorem, & primam originem, ad Verbum ſcilicet, quo creata ſunt, reuocauit, ex quo videtur S. Thomas ſumpſiſſe illud Opuſc. 60. quod eſt de Humanitate Chriſti. Quid ſapientius, inquit, quàm quod ad complementum totius vniuerſi fieret conjunctio primi, & vltimi, hoc eſt Verbi Dei, quod eſt omnium principium, & humanæ naturæ, quæ in operibus ſex dierum fuit vltima omnium creaturarum? Quid benignius, & melius, quàm quod Creator rerum communicare ſe voluit rebus creatis? Quæ benignitas magna fuit in conjunctione ſui cum omnibus rebus per præſentiam, maior quia communicauit ſe bonis per gratiam, maximè quia ſe communicauit Chriſto homini, & per conſequens generibus ſingulorum in vnitate perſonarum. Nota illud *Generibus ſingulorum*.

III. *Homo creaturarum omnium ſumma.*

IV. *Conjunctio primi, & vltimi.*

Atque huc tandem facit celebris ille Magni Gregorij locus lib. 6. Moral. cap. 7. Vniuerſitatis, inquit, nomine homo ſignatur, quia in ipſo, & vera ſpecies, & magna communio Vniuerſitatis oſtenditur. Omne namque, quod eſt, aut eſt, & non viuit, aut eſt, & viuit, ſed nequaquam ſentit, aut eſt, & viuit, & ſentit, ſed non intelligit, nec diſcernit, aut eſt, viuit, & ſentit, & intelligit, & diſcernit, ſunt namque lapides, nec tamen viuunt; Arbuſta viuunt quidem, nec tamen ſentiunt: herbarum quoque, atque arborum vita, viriditas vocatur ſicut per Paulum 1. Corinth. 15. de ſeminibus dicitur: *Inſipiens, tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur.* Sunt bruta animalia, viuunt, & ſentiunt, nec tamen intelligunt, aut diſcernunt. Sunt Angeli, viuunt, & ſentiunt, & intelligendo diſcernunt. Homo itaque, quia habet commune eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, diſcernere cum Angelis, rectè nomine Vniuerſitatis exprimitur, in quo iuxtà aliquid ipſa Vniuerſitas tenetur; vnde Diſcipulis Veritas dicit Matth. 16. Euntes in Mundum vniuerſum, prædicate Euan-

V. *Homo Vniuerſitas, & omnis creatura.*

gelium *omni Creaturæ*. Omnem videlicet Creaturam ſolum intelligi hominem voluit, cui commune aliquid cum omnibus creauit.



QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum principalis Sacerdos habeat qualitatem Capitis reſpectu Angelorum.

I. *Enumerantur conditiones capitis.*
II. *Sacerdos neceſſario eſt caput, etiam Angelorum.*
III. *Homo eſt conſubſtantialis Angelis in natura Generis.*
IV. *Sacerdos prima pars Mundi.*
V. *Chriſtus Dominus Hierarcha etiam reſpectu Angelorum.*
VI. *Perfectio Sacerdotij in Chriſto.*
VII. *Chriſtus eſt ſubſtantialiter Sacerdos.*
VIII. *Chriſtus influit etiam in Angelos.*
IX. *Conditiones capitis quomodo coordinatæ in Chriſto.*



RATIO in contrarium dubitandi illa eſt, quia vt probauimus, Sacerdos neceſſario eſt ex hominibus aſſumptus, ita vt qua homo eſt, habere debeat qualitatem Capitis reſpectu omnium, quorum eſt Sacerdos; non videtur autem homo habere poſſe conditiones Capitis reſpectu Angelorum.

I. *Enumerantur conditiones capitis.* Ac prima quidem conditio Capitis eſt, conformitas naturæ, itavt vnius naturæ ſint caput, & membra: homo autem non eſt conformis in natura cum Angelis. Secunda conditio Capitis eſt ordo, ſecundum quem caput eſt prima pars, incipiendo à Superiori, Angelus, autem propinquior eſſe videtur Superiori, hoc eſt Deo, quia Angeli ſunt medij inter Deum, & hominem, & ratione talis mediationis, potius Angelus eſt Sacerdos, quàm homo: nihil enim aliud eſt Sacerdos niſi mediator inter Deum & Populum. Tertia conditio eſt perfectio; in capite enim vigent omnes ſenſus, & interiores, & exteriores, cum in cæteris membris ſit ſolus tactus, perfectior autem eſt Angelus quàm homo. Quarta denique conditio eſt Virtus, quia virtus & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in ſuis actibus, eſt à capite propter vim ſenſitiuam, & motiuam ibi dominantem, non poteſt autem explicari, in quo conſiſtat influxus hominis Sacerdotis in Angelos. Has conditiones capitis myſtici ad ſimilitudinem capitis naturalis enumerat S. Thomas 3. par. quæſt. 8. art. 1. vbi quærit, Vtrum Chriſtus, qua homo eſt, ſit Caput Eccleſiæ.

II. *Sacerdos neceſ-* Dicimus ergo Sacerdotem habere neceſſario qualitatem Capitis etiam reſpectu

respectu Angelorum; vnde consequens est, vt etiam respectu illorum sit primus in ordine, primus in perfectione, & primus in virtute. Ratio autem generalissima, cur qualitatem capitis habeat etiam respectu Angelorum, illa est, quia ad realem, & solemnem protestationem pactum Sacrificij faciendam, quod scilicet Deus, est, qui est, & præter Deum nihil est; oportet, vt totum esse creatum in Sacerdote, offerente pariter, & offerendo, præcontineatur: iuxtà ea, quæ diximus de essentia, & natura Sacrificij, cum verò in esse creato, includatur etiam esse Angelorum, sequitur Sacerdotem habere necessario qualitatem capitis, etiam respectu Angelorum. *Sacerdos est caput Angelorum.*

III. *Homo est consubstantialis Angelis in natura Generis.*

Neque verò obstat prima Capitis conditio, quæ in conformitate naturæ posita est, quia vt docet S. Thomas quæst. 8. art. 3. ad 1. Homo licet non conueniat cum Angelis in natura speciei, conuenit tamen cum illis in natura generis, ratione cuius conformitatis non est incapax vt possit esse Caput Angelorum, modo reliquæ conditionis non desint; vbi aduertendum est cum Caietano hoc loco, S. Thomam omnino præsupponere hanc esse conditionem communem cuiuscumque Capitis, vt aliqua intercedat consubstantialis conformitas inter ipsum, & membra secundum aliquem gradum homogeneum, siue genericum, siue specificum, ideo S. Doctor objicienti sibi Christum hominem non esse Caput Angelorum, quia caput, & membra sunt vnius naturæ, non negauit assumptum, sed explicauit qua ratione requisitam hanc naturæ conformitatem haberet, vnde ait: Influentia Christi super homines principaliter quidem est, quantum ad animas, secundum quas homines conueniunt cum Angelis in natura generis, licet non in natura speciei, & ratione huius conformitatis Christus potest dici Caput Angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpora.

IV. *Sacerdos prima pars Mundi.*

Præterea non obstat secunda conditio de ordine, nam Sacerdoti Magno conuenit, vt prima veluti pars totius Mundi sit, incipiendo à Superiori secundum summam propinquitatem ad Deum, vnde gratia eius, ait S. Thomas, quæst. 8. art. 1. *altior est prior*, & si non tempore, quia omnes alij acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius secundum illud, quod de Sacerdote Mundi dixit Paulus Rom. 8. *Quos præsciuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ad illud autem quod dicebatur de Sacerdotio Angelorum, quatenus medij sunt inter Deum, & hominem. Respondet S. Thomas quæst. 22. art. 1. ad 1. Quod potestas Hierarchica conuenit quidem Angelis, in quantum, & ipsi sunt medij inter Deum, & hominem, vt patet per Dionysium cap. 6. Eccles. Hierar. par. 3. ita quod ipse Sacerdos, in quantum est medius inter Deum, & populum, Angeli nomen habet secundum illud Malach. 2. *Angelus Domini exercituum est*, Christus autem maior Angelis fuit non solum secundum Diuinitatem, sed etiam secundum Humanitatem, in quantum habuit plenitudinem gratiæ, & gloriæ; vnde etiam excellentiori modo Hierarchicam, seu Sacerdotalem potestatem præ Angelis habuit, ita etiam quod ipsi Angeli fuerunt Ministri Sacerdotij eius secundum illud Matthæi 4. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei*, secundum tamen possibilitatem carnis, modico ab Angelis minoratus est, vt Apostolus dicit ad Hebræos 2. & secundum hoc conformis fuit hominibus viatoribus in Sacerdotio constitutis. Hæc Sanctus Thomas.

V. *Christus Dominus Hierarcha etiam respectu Angelorum.*

VI. *Perfectio Sacerdotij in Christo.* Neque tertia obstat conditio, quæ est perfectio, cuius excessus in Sacerdote esse debet super omnes creaturas, vt de plenitudine eius omnes accipiant, quamuis enim Sacerdos non ex Angelis, sed ex hominibus sit assumptus, ex genere tamen assumptionis eleuatur super omnem creaturam non solum humanam, sed etiam Angelicam. Triplex enim genus assumptionis considerare potest. Primum, quo assumebantur Sacerdotes Leuitici, quorum assumptio consistebat in sacra cæremonia, & ritu exterioris vnctionis constituto per legem. Alterum, quo assumuntur Sacerdotes Euāgelici, quorum assumptio non in sola externa cæremonia, & ritu consistit, sed etiam in impressione Characteris, & collatione gratiæ Sacramentalis ad congruum ministerium. Tertium denique, quod est proprium, & singulare eius, cui dictum est: *Tu es Sacerdos in æternum*, quæ assumptio non est accidentalis per vnctionem ipsius Diuinitatis; Neque enim Primogenitus omnis creaturæ est Vnctus, seu Christus accidentaliter, sed substantialiter, & naturaliter, vt enim rectè docet P. Vasquez ex Patribus; sicut gratia sanctificationis in Christo, dicitur homini Christo naturalis, & humanitas dicitur sancta per ipsam naturam sanctitatis, ita vt Christus dicatur naturaliter sanctus, ita gratia consecrationis, & Sacerdotij fuit pariter in Christo naturalis, itavt per ipsam Diuinitatem habentem rationem vnguenti, fuerit sicut natura Sanctus, ita natura Christus, Vnctus, & Sacerdos. Hæc enim vnctio, & consecratio facta dicitur à Patribus per vnionem hypostaticam, quia per eam factum est, vt persona Verbi, & ipsa Diuinitas substantialiter attingeret humanitatem, & illam hoc modo vngeret, & consecraret: hinc Nazian. serm. 36. & 42. disertis verbis ait, Humanitatem Christi delibutam, perunctam, & Deificatam esse ipsa Diuinitate, & Cyrill. 1. lib. 4. in Ioan. cap. 29. ait Christum vocari vnctum non sicut alios, sed quia Verbum caro factum est, quod adhuc expressius dixit Nicetas lib. 3. Thesauri cap. 3. Diuinitas humanitatis vnctio est. Atque hæc est radix excessus perfectionis capitalis in Sacerdote assumpto super omnem etiam Angelicam creaturam.

VII. *Christus est substantialiter Sacerdos.*

VIII. *Christus influit etiam in Angelos.* Quarta denique conditio capitis de virtute influendi in sua membra ex proximè iam explicata, probatur, ex genere enim assumptionis conficitur, Christum solum esse per se sanctum, & gratum, & primum, & summum in genere grati; ex hoc autem sic licet argumentari. Quod est primum, & summum in vno genere, est causa cæterorum in eo genere; hoc est principium Metaphysicum. Sed Christus est primus, & summus in generi grati, quia est substantialiter, & naturaliter Sanctus, & gratus, cum cæteri, tam Angeli, quàm homines sint tales per participationem; ergo est causa gratiæ omnium etiam Angelorum. Nam quidquid est tale per participationem, reuocatur ad id, quod est per se tale, atque adeo, cum Angeli sint grati per solam participationem, reuocantur ad per se gratum, vt ab illo, & per illum gratiam obtineant.

IX. *Conditiones capitis quomodo coordinatæ in Christo.* Itaque tres Capitis conditiones enumeratæ à S. Thoma reperiuntur in Sacerdote ex hominibus assumpto, etiam respectu Angelorum, ita vt secunda conditio perfectionis oriatur à prima ordinis, & tertia virtutis oriatur à secunda perfectionis, quod videtur mirificè explicasse idem S. Thomas 3. par. quæst. 7. art. 9. vbi probat in Christo fuisse plenitudinem gratiæ. Primo, inquit, ex propinquitate animæ Christi ad causam gratiæ; nam quanto aliquod receptiuum est pro-

pinquius causæ influenti, tanto abundantius recipit; & ideo anima Christi, quæ propinquius conjungitur Deo inter omnes creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiæ eius. Secundo ex comparatione eius ad effectum, sic enim recipiebat anima Christi gratiam, vt ex ea quodammodo transfunderetur in alios; & ideo oportuit quod haberet maximam gratiam, sicut ignis, qui est causa caloris, in omnibus calidis, est maximè calidus. Rursus non solum habuit plenitudinem gratiæ intensiuæ, & in summo quoad perfectissimum modum, qui haberi potest, sed etiam quantum ad virtutem, quia habuit eam ad omnes operationes, vel effectus gratiæ; & hoc ideo, quia conferebatur ei gratia tanquam cuidam vniuersali principio in genere habentium gratiam: virtus autem primi principij alicuius generis vniuersaliter se extendit ad omnes effectus illius generis; sicut Sol, qui est vniuersalis causa generationis, eius virtus se extendit ad omnia, quæ sub generatione cadunt; & sic secunda plenitudo gratiæ extenditur in Christo, in quantum se extendit eius gratia ad omnes gratiæ effectus. Hæc S. Thomas, cuius verba plenè demonstrant Christum habere virtutem Capitis influxiuam omnis gratiæ, non solum in homines, sed etiam in Angelos; nam ait, datam Christo plenitudinem gratiæ simpliciter, vt vniuersali principio in genere habentium gratiam, in quo genere, vt rectè P. Suarez, obseruat, sine dubio Angeli comprehenduntur. Neque verò de mente S. Thomæ dubitari potest, quandoquidem ipse exponens illud Ioan. 1. *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, expresè sic habet: *Omnes* scilicet Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, & iusti qui fuerunt, sunt, & erunt, & *etiam omnes Angeli*. Et infra, rationem inculcans: quia, inquit, plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus *intellectualibus* creaturis.



QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum principalis Sacerdos sit primogenitus omnis creaturæ.

I. *Sacerdotium legis naturæ connexum cum primogenitura.*
II. *Ius primogenituræ partim temporale partim spirituale.*
III. *An Abel fuerit verus Sacerdos.*
IV. *Quid dicendum ex doctrina P. Vasquez.*
V. *Quid ex nostra Sententia.*
VI. *Connexio Sacerdotij cum primogenitura in lege scripta.*
VII. *Tribus Leui pro cunctis primogenitis.*
VIII. *Summus Sacerdos primogenitus.*
IX. *Vestis primogeniti, omnis creaturæ.*
X. *Cur Sacerdotes Euangelici non sunt primogeniti.*
XI. *Christus vnius Ecclesiæ Pontifex, quia primogenitus.*

XII. *Primogenitus ante Luciferum, tum æterna, tum temporali natiuitate.*
XIII. *Titulus Sacerdotij Christi.*
XIV. *Connexio Sacerdotij cum primogenitura omnis creaturæ probatur ratione.*



D cognoſcendum, an Sacrificium ſit actus Primogeniti omnis creaturæ, neceſſarium erit examinare, An, & quomodò Sacerdotium connexum ſit cum primogenitura. Hoc autem probabimus tripliciter. Primo ex figuris Sacerdotij. Secundo autoritate Prophetæ, & Apoſtoli. Tertio ratione.

I. *Sacerdotium legis naturæ connexum cum primogenitura.* Figuræ Sacerdotij duplici tempore extiterunt; tempore legis naturæ ab Adam vſque ad Moyſen, & Aaron, & tempore legis ſcriptæ, à Moyſe, & Aaron vſque ad Chriſtum. Et quidem tempore legis naturæ Sacerdotium illud figuratiuum erat per ſe connexum cum primogenitura. Quare ius primogenituræ illo tempore partim temporale erat, partim ſpirituale. Temporale quidem quatenus dabat primogenito ius ad duplicem portionem hæreditatis paternæ; cum alij fratres tantum haberent ſimplicem. Rurſum, quatenus primogenitum efficiebat ſucceſſorem Patris, & Principem fratrum, eorumque quaſi Patrem, & Dominum, adeo vt coram eo ſe fratres inclinarent, vt patet ex cap. 27. & 32. Geneſ. Atque hoc eſt quod dicitur etiam

II. *Ius primogenituræ partim temporale partim ſpirituale.* Geneſ. 49. *Ruben primogenitus meus, prior in donis, maior in imperio.* Et Deuteron. 21. vbi dicitur de primogenito; *Dabitque ei de iis, quæ habuerit cuncta duplicia.*

Spirituale verò erat quoque ius primogenituræ quatenus annexum habebat ius Sacerdotij cum benedictione paterna Vnde licet Iacob emerit tantùm ius primogenituræ, quatenus temporale erat, & temporalia bona ſpectabat, eatenus enim emi poterat pretio temporali ſine ſimonia, tamen quia habebat annexum ius ſpirituale Sacerdotij, & benedictionis paternæ, tranſlatum in eum fuit ius non ſolum temporale, ſed etiam ſpirituale; vnde Iure, & legitimè Sacerdos

III. *An Abel fuerit verus Sacerdos.* factus eſt. Eſt quidem verum, aliquos interdum non primogenitos Sacrificia obtuliſſe, vt Abel Geneſ. 4. legitur obtuliſſe primus Sacrificium Deo gratum de primogenitis gregis ſui; Cæterùm inde non ſequitur Sacerdotium non fuiſſe per ſe connexum cum primogenitura, quia poterant etiam ætate minores ex Dei inſtinctu, quod de Abel expreſsè docent Patres, offerre Sacrificium, & tamen non eſſe, legitimi Sacerdotes; vt enim rectè docet P. Vaſquez diſput. 85. quæſt. 2. Sacerdotium non eſt nudum miniſterium ſacrificandi, ſed poteſtas Sacrificium

IV. *Quid dicendum ex doctrina P. Vaſquez.* offerendi. Neque enim quis ſolum dicitur Sacerdos quando Sacrificium offert, ſed etiam quando à miniſterio ſacrificandi omnino ceſſat. Hæc autem poteſtas Sacrificium offerendi debet eſſe publica autoritate collata; neque enim, ait ille, quicumque, qui Sacrificium offerre poteſt, Sacerdos dicitur, ſed ille ſolum, qui ad hoc publica autoritate poteſtatem habet. Iam verò quia qui erant ætate minores, non habebant ad Sacrificium publicam poteſtatem; idcirco quamuis ex aliqua diſpenſatione Sacrificium offerrent, non erant legitimi Sacerdotes; erant verò tales ſoli primogeniti, vt Patres communiter docent. Cæterum quantum ex iiſdem Patribus conjicere licet de Sacerdotio Abelis, philoſophandum eſt

ad eum modum, quo de Sacerdotio Iacob antequam emeret primogenita. Sicut enim totum ius primogenituræ ex Dei dispositione, & dono, etiam ante tempus venditionis pertinuit ad Iacob, vt ostendunt Interpretes in cap. 25. Genes. ita etiam ex eadem Dei dispositione, & dono totum ius primogenituræ pertinuit ad Abel. Quare nos omnes descendimus ab Adam, non per Cain, cuius posteritas tota in Diluuio periit, sed per Seth substitutum, & natum in locum, non Caïni, sed Abelis. Vnde cum mysterio dixit Eua: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel*, qui fuit primogenitus Ciuitatis, & familiæ Dei, sicut Cain Ciuitatis, & familiæ Diaboli, qua de re S. Augustinus scripsit libros de Ciuitate Dei. V. *Quid ex nostra Sententia.*

Fuit ergo Abel legitimus Sacerdos in lege naturæ, & quidem constitutus autoritate publica residente in Adamo, tanquam in Principe, & Capite, atque adeo Pontifice totius naturæ. Vt enim docet S. Athanasius in illud: omnia mihi tradita sunt. Adam docuit Abelem Religionem, & ritum sacrificandi, & sicut tradidit illi in victimam primogenitum Agnorum, ita perinde ac primogenitum, constituit illum Sacerdotem in figuram perfectam illius primogeniti; qui futurus erat simul Sacerdos, & Victima. Nec immeritò, fuit enim Abel Sacerdos prima figura Sacerdotis Christi, quia verè ait Rupertus lib. 4. in Genes. cap. 4. Sacrificium, quod illa nocte Pontifex noster Iesus Christus instituit quamuis exterius in specie panis sit, & vinum, in veritate Agnus est Dei, *primogenitus omnium Agnorum*, vel Ouium, quæ pertinent ad Caulas Dei, ad pascua Paradisi.

Iam verò tempore legis scriptæ, quamuis soli ex Tribu Leuitica Sacerdotis officio fungerentur, in illa tamen institutione apparet mirandum in modum connexio Sacerdotij cum primogenitura. Primo, quia tota Tribus Leui, quæ dicebatur Tribus Sacerdotalis, tota erat veluti primogenitorum. Singuli enim Leuitæ pro singulis primogenitis Israëlitarum dicati sunt Deo, iuxtà id, quod habemus in lib. Num. cap. 8. *Tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël*: ad quam æquam commutationem faciendam, voluit Deus, vt ex vna parte iniretur numerus omnium Leuitarum, & ex altera numerarentur omnes primogeniti Israëlitarum. Itaque pro vinginti duobus millibus primogenitorum Israël subrogati sunt viginti duo millia Leuitarum, vt fusè, & accuratè describitur lib. Num. cap. 3. VI. *Connexio Sacerdotij cũ primogenitura in lege scripta.* VII. *Tribus Leui pro cunctis primogenitis.*

Præterea Summus Sacerdos legis, qui erat principalis figura, & magna vmbra veri, & singularis Sacerdotis ex institutione Diuina debuit semper descendere ab Aaron per lineam primogenitorum, nimirum Summo Sacerdoti Aaron eius primogenitus successit; huic autem ipsius primogenitus, & sic consequenter per primogenitos à primo primogenito successio trahebatur. VIII. *Summus Sacerdos primogenitus.*

Porrò Summus Sacerdos, quia gerebat personam primogeniti omnis creaturæ, ideo ad sacrificandum accedebat indutus vestimentis huiusmodi primogenituræ. *In veste enim Poderis* verba Sapientiæ cap. 18. ver. 14. *Totus erat Orbis terrarum*, seu vt est in Græco. Totus erat Mundus. Quo habitu, ait Philo, ostendebat se Creatoris Mundi Ministrum, & indicabat omnem creaturam Dei misericordia indigere, ipsumque esse Mundi totius mediatorem apud Deum, & orare non pro necessariis tantùm, & amicis, sed pro toto humano genere, pro omnibus naturæ partibus, Cœlo, atque Elementis, atque gratias agere, supplicationesque, pro omnibus offerre omnium Conditori, & vt Mundus ipse vna IX. *Vestis primogeniti omnis creaturæ.*

cum Sacerdote Sacris operaretur, & homo cum hac rerum vniuersitate efficacius Vota, & sacra faceret; decebat enim, vt Patris Sacerdos; filium eius Mundum hunc ad preces, votaque adhiberet. Hæc ferè ex Philone S. Hieronymus, quem reliqui sequuntur Interpretes, vt videre est apud Lorinum, & Cornelium in cap. 18. Sapientiæ.

Omnes ergo saltem summi Sacerdotes, & Pontifices, siue status naturæ, siue status legis Mosaicæ, fuerunt primogeniti; nam vt est apud Henriquez, primogenitus Regis, à principio Mundi, instinctu quodam naturæ, sicut erat successor Regni, ita erat Pontifex Maximus. Neque obstat, quod in statu gratiæ, seu Euangelij Pontifices, & Presbyteri non sint primogeniti, quia isti non sunt *Sacerdotes*, singularis, & veri, figuræ, & vmbræ, sed Ministri, propterea non debent nasci, sed fieri.

X. *Cur Sacerdotes Euangelici non sunt primogeniti.*

Probo secundo, connexionem Sacerdotij cum primogenitura omnis creaturæ ex Propheta Psal. 109. vbi agitur de Christo, tanquam de Summo Hierarcha Mundi, & sacrorum Principe in Ecclesia visibili. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos.* Verba sunt Æterni Patris ad filium, vbi in Cœlum ascendit, vt manifestum est initio Psalmi. Ait ergo Æternus Pater. Tecum principium in die virtutis tuæ, *per diem virtutis* intelligit tempus post dies infirmitatis, quos vocauit Apostolus, Dies carnis suæ. Hoc igitur tempore, quod est tempus virtutis tuæ, Tu solus Pontifex, & Summus Ecclesiæ Hierarcha. Tecum principium, hoc est tecum Archa. Tecum principatus, vt docent Basilius, & Chrysostomus. Et ne dubitari posset hîc agi de sacro Principatu, quem habet nunc Christus, tanquam Ecclesiæ summus, & vnicus Pontifex, addit, *in splendoribus Sanctorum*. Illa enim vox *Sanctorum*, vt fatentur Interpretes, non est masculini generis, sed neutrius, nec significat, aut homines, aut Angelos Sanctos, sed loca Sancta, & Sanctuaria, vt sunt sacræ Ædes, & Templa, quæ est manifesta prophetia magnifici splendoris sacrorum Templorum, in quibus potissimus actus Pontificatus Christi per suos constitutos Ministros exercetur, qualis est Sacrosancti Sacrificij celebratio, & Sacramentorum administratio. Affert autem statim titulum talis Principatus quia nimirum ipse est Vnigenitus, & Primogenitus omnis creaturæ, ex vtero ante Luciferum genui te, idest, vt explicat Bellarminus, ideo tecum est talis, ac tantus Principatus, quia tu es primogenitus omnis creaturæ, nam non ex nihilo, vt res creatas, sed ex vtero meo, vt filium verum, naturalem, & consubstantialem, idque ante Luciferum, idest, antequam stellas crearem, ante omnem creaturam, ante omnia sæcula. Hæc est communis expositio Patrum, ait Bellarminus, quæ tamen non excludit illam, cuius meminit Genebrardus de temporali Pontificis nostri Natiuitate, ex vtero nimirum Virginis Beatissimæ, non è semine humano, non è viri lumbis; sic etiam de die temporariæ natiuitatis intelligit S. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 8. illud *hodie*, de quo dicitur Psalmo 2. *Ego hodie genui te.* Hodie, hoc est, vt benè explicat Genebrardus, hoc tuæ Natiuitatis die, quo te Primogenitum meum introduxi in orbem terrarum, atque hic etiam, illud, *ante Luciferum*, emphasim habet, idest ante Mundi constitutionem, per prædestinationem æternam, quasi Pater, ait Genebrardus, prius cogitauit de edendo in

XI. *Christus vnius Ecclesiæ Pontifex, quia primogenitus.*

XII. *Primogenitus ante Luciferũ, tum æterna, tum naturali natiuitate.*

lucem corpoream filio, quàm de reliquis rebus procreandis. Atque hic quidem sensus de temporaria primogeniti natiuitate, est etiam litteralis iuxtà Doctrinam Theologorum, qui docent in eadem sententia posse inueniri plures sensus litterales, quam sequitur Bellarminus super his ipsis verbis allatis Psalm. 2. Ego hodie genui te.

Porrò primogenituræ titulo probè fundato, statim sequitur immobilitas, & æternitas annexi Sacerdotij non mutandi, & quasi pœnitendi, vt accidit in Sacerdotio Aaronico, quod non habebat fundamentum, & titulum naturalis primogenituræ, sed in æternum durandi, vt figuratum fuit in Melchisedech, qui non legitur successisse alteri, neque ei successisse alter legitur. Vnde ad Heb. 7. dicitur: *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Sequitur ergo: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* XIII. *Titulus Sacerdotij Christi.*

Hanc consequentiam Sacerdotij ad primogenituram vidit, & objecit Apostolus, Hebræis, intendens probare Christum esse Pontificem; ideo cum retulisset verba Psal. 2. *Filius meus es tu*, statim affert verba Psal. 109. *Tu es Sacerdos*, quasi diceret, ait Cornelius; non mirari debetis ô Hebræi, Christum à Patre constitutum esse Pontificem, & prælatum Aaroni, quia Christus est Filius Dei Patris, si Filius, quid mirum si pontificia dignitas ei detur, præsertim, cum Iure gentium receptum fuerit etiam ante Mosen, & Aaronem, vt filij primogeniti essent Sacerdotes, & Pontifices. Hoc ergo communi gentium Iure, Christo tanquam vnigenito, & primogenito Patris, immò primogenito omnis Creaturæ debebatur Sacerdotium & Pontificatus. Hæc Cornelius.

Probo tandem ratione hoc modo: Sacrificium est actus primogeniti omnis creaturæ; ergo Sacerdotium est per se connexum cum primogenitura omnis creaturæ, atque adeo Sacerdos est necessario primogenitus omnis creaturæ. Consequentia est satis clara, quia vt rectè obseruat P. Suarez disput. 46. Sacerdos dicit habitudinem ad Sacrificium, tanquam ad actum maximè proprium, & quasi adæquatum, quamuis enim Sacerdos alias etiam functiones sacras exerceat, omnes tamen quodammodo ad Sacrificium referuntur; Vnde licet aliquis habeat potestatem exercendi aliquod Sacrum, non tamen est plenè, & consummatè Sacerdos, donec potestatem habeat Sacrificium offerendi. Quare si Sacrificium est actus proprius primogeniti, signum est, quod potestas ad illud, in qua Sacerdotium consistit, est etiam propria primogeniti. XIV. *Connexio Sacerdotij cum primogenitura omnis creaturæ probatur ratione.*

Antecedens igitur probo sic. Sacrificium est actus Capitis omnis creaturæ; ergo est actus primogeniti omnis creaturæ. Tota vis est in antecedenti; nam quod primogenitus Caput sit totius familiæ, cuius dicitur primogenitus, extrà omnem controuersiam est. Probo igitur antecedens. Sacrificium est actus, quo Sacerdos fit Victima pro omni creatura, vt ostendimus quæstione prima agentes de natura, & essentia Sacrificij, sed non potest fieri victima pro omni creatura, nisi habeat qualitatem Capitis respectu omnis creaturæ, vt eodem loco pariter ostendimus, & probauimus. Ergo Sacrificium est actus capitis omnis creaturæ.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum principalis Sacerdos habeat qualitatem Capitis respectu Creaturarum naturalium.

I. *Omnis creatura est Christo subdita tanquam Domino.*
II. *An etiam tanquam Capiti, ratio dubitandi.*
III. *Etiam natura corporea est capax alicuius influxus gratiæ & gloriæ.*
IV. *Expectatio Creaturæ quid?*
V. *Argumentum Apostoli.*
VI. *Cœlum Empyreum corpus gloriosum.*
VII. *Eius æqualitas promissa reliquis corporibus.*
VIII. *Quid est in natura corporea semen gloriæ.*
IX. *Christus est Caput respectu omnium corporum.*
X. *Partes Mundi, membra victimæ.*



VT planè constet de amplitudine familiæ primogeniti omnis creaturæ, & qua ratione tota creaturarum familia per suum Sacerdotem ad Deum accedit, videndum quoque est, An creaturæ omnes homine inferiores, puta, Cœli, Stellæ, Elementa, & mixta omnia, siue sensibilia, siue insensibilia subdita sint absolutè Sacerdoti, tanquam Capiti. Dico tanquam Capiti, nam quod illi subdita sint tanquam Domino, manifestum est ex Apostolo, qui ad Hebr. 2. exponit de primogenito illud Psalm. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus eius.* Omnia, nulla creatura prorsus excepta: *In eo enim*, ait Apostolus, *quod omnia ei subiecit nihil dimisit non subjectum ei.* Tantùm ergo dubitandi ratio est, an sint primogenito subjecta non solum tanquam Domino, sed etiam aliquo modo tanquam Capiti, quia de ratione Capitis est, aliquo modo influere, vel saltem posse influere in membra. Nullius autem influxus capaces videntur creaturæ naturales respectu Sacerdotij, quare nullo modo videntur, vt sic pertinere ad corpus familiæ Sacerdotalis. Quod verò non sint capaces influxus, videtur constare ex eo, quod omnis influxus primogeniti, vt Sacerdos est, vel est influxus gratiæ, vel est influxus gloriæ, aut si quis alius influxus excogitabilis est, ordinatur ad gratiam, & gloriam.

I. *Omnis creatura est Christo subdita tanquam Domino.*

II. *An etiam tanquam Capiti ratio dubitandi.*

Itaque vt asseramus totam Sacerdotis nostri familiam subjectam illi esse, etiam tanquam Capiti, ostendendum est, non solum naturam spiritualem, sed naturam etiam corpoream capacem esse alicuius influxus, & gratiæ, & gloriæ. Sic igitur argumentor. Natura corporea est capax influxus gloriæ; ergo est capax

III. *Etiam natura corporea est ca-*

capax alicuius influxus gratiæ, quæ in illo suo modo sit semen gloriæ. Consequentia non tam est probanda, quàm explicanda; neque enim nomine gratiæ intelligimus qualitatem aliquam inhærentem ipsis rebus, sed intelligimus quidquid est semen gloriæ, quomodocumque tandem explicetur, non potest autem negari esse semen, vbicumque prouenit fructus. *pax alicuius influxus gratia & gloria.*

Porrò, Antecedens, quod scilicet tota natura corporea capax sit gloriæ, ex Scripturis est manifestum; si enim eius capax non esset, quorsum reuelationem filiorum tanquam familia domestica expectaret. Et tamen non solum expectat, sed tanta sollicitudine, anxietate, & auiditate expectat, vt videatur esse ipsa expectatio. Hæc planè docet Apostolus Rom. 8. *Expectatio creaturæ, reuelationem Filiorum Dei expectat.* Expectatio Græcè ἀποκαραδοκία, Apocaradochia, quæ vox componitur ex ἀπὸ, idest, *a*, & κάρα, idest Caput, & δοκεῖν, idest videre, *Apò*, idest, *à*, & *Cara*, idest *Caput*, & *Dochia*, idest *Videre*, quia vt ait Cornelius, qui valdè aliquid videre desiderant, porrecto capite subinde illud prospiciunt, aut suspiciunt in altum, vti in montes, aut in Cœlum, quasi rem desideratam inde expectent. Quid autem Creaturæ omnes tàm auidè, innato vtique, & naturali appetitu expectant, tanquam bonum, ad quod ordinatæ à Deo sunt? Expectant, inquit Apostolus, reuelationem filiorum, tempus scilicet, ait Cornelius, quo Filij Dei gloria donabuntur, vt cum eis, quibus seruierunt, quasi Dominis, ipsæ quoque suam gloriam, renouationem, ac perfectionem tanquam familia accipiant, quia vt ait S. Thomas in cap. 8. Rom. sicut humanum corpus induitur quadam forma gloriæ supernaturali, ita tota Creatura sensibilis in illa gloria Filiorum Dei quandam nouitatem gloriæ consequetur secundum illud Apocal. 21. *Vidi Cœlum nouum, & terram nouam.* IV. *Expectatio Creatura quid.*

Et est planè notandum, ad quem finem hoc Apostolus dixerit, nimirum ad confirmandum hoc argumento, certitudinem, & magnitudinem gloriæ, quæ reuelabitur in nobis, quasi dicat Apostolus, futura gloria, quæ reuelabitur in nobis certa est, quia omnis creatura eam auidissimè expectat, estque innatum, & insitum illi à Deo hoc desiderium, quod sicut Deus illi inseruit, ita & explebit; rursus magna est, quia omnes creaturæ, etiam insensibiles totæ ad illam anhelant: esset autem inane argumentum si Deus creaturas insensibiles nullo modo in vnam quasi Rempublicam ad communis cuiusdam gloriæ participationem ordinasset. V. *Argumenta Apostoli.*

Et sanè de toto hoc vniuerso ex natura spirituali, & corporea constante philosophetur, & loquuntur Patres, & Theologi, ad eum ferè modum, quo de paruo Mundo, hoc est de homine, ex anima, & corpore composito. Vnde sumit argumentum S. Thomas, gloriam totius naturæ corporeæ debuisse ab initio Mundi in aliquo corpore inchoari, sicut in aliquibus spiritibus inchoata ab initio fuit gloria totius naturæ spiritualis. Accipe verba S. Doctoris 1. par. quæst. 66. art. 3. Expectatur, inquit, in futura remuneratione duplex gloria; scilicet spiritualis, & corporalis, non solum in corporibus humanis glorificandis, sed etiam in toto Mundo innouando: Inchoata est autem spiritualis gloria ab ipso Mundi principio in Beatitudine Angelorum, quorum æqualitas Sanctis promititur; vnde conueniens fuit, vt etiam à principio, corporalis gloria inchoaretur in aliquo corpore, quod etiam à principio fuerit absque seruitute conceptionis, & mutabilitatis, VI. *Cœlum Empyreum corpus gloriosum.*

& totaliter lucidum, sicut tota creatura corporalis expectatur per resurrectionem futuram, & ideo illud Cœlum dicitur Empyreum idest igneum, non ab ardore, sed à splendore. Hæc S. Thomas. Ex cuius verbis obiter obserua totum Mundum corporeum futurum corpus quoddam gloriosum, quemadmodum est nunc, & ab initio fuit Cœlum Empyreum, cuius æqualitas corporibus omnibus promittitur, sicut spiritibus omnibus æqualitas Angelorum.

VII. *Eius æqualitas promissa reliquis corporibus.*

Neque verò gloria naturæ corporeæ vniuersalis suo semine caret, quod Gratia dici potest. Est autem hoc semen potentia ipsa tum naturalis, tum obedientialis, quam creatura omnis habet, vt illa Pontifex Mundi vtatur ad salutem electorum, ad quorum vsum siue realem, siue intentionalem condidit Mundum Deus, qui influxus ait P. Suarez, veluti *cuiusdam gratiæ est, quæ suo modo in omni creatura est semen gloriæ.*

VIII. *Quid est in natura corporea semen gloriæ.*

Quod verò hæc capacitas influxus satis sit, vt dicatur tota natura corporea subjecta esse Sacerdoti Magno, tanquam capiti, ex eo probo, quia hoc satis est, vt idem dicatur Caput respectu corporum humanorum, vt explicat S. Thomas quæst. 8. art. 2. vbi quærit, An Christus sit Caput hominum quantum ad ipsorum corpora, & respondet affirmatiuè, cum quia quandiu hic viuimus, influit auxilium, vt corpora nostra seruiant Animæ, & salutis Instrumenta, & organa efficiantur. Quæ omnia corporeis omnibus creaturis optimè accommodantur. Vnde non immerito dixit Origenes tom. 2. in Psal. 36. littera B. Apostolus dicit, qui corpus Christi sumus, & membra ex parte, Christus ergo, cuius omne hominum genus, immò fortassis, *totius creaturæ Vniuersitas corpus est*, & vnusquisque nostrum membra ex parte est.

IX. *Christus est caput respectu omnium corporum.*

Itaque Mundi Pontifex Christus Iesus non solum habet totum Orbem terrarum tanquam vestem, sed rerum omnium Vniuersitatem tanquam corpus, & dum se totum in Sacrificium laudis immolat Patri, tota in ipso rerum vniuersitas quasi magnæ Victimæ corpus immolatur. Quo tandem referri potest, quod obseruauit Philo de Victima holocausti in illud Leuit. 1. *Artus in frusta concident*, nimirum hac membrorum concisione significari, quod oporteat Sacrificium gratiarum actionis offerre, pro Cœlo, Sole, Luna, Terra, Mari, Aëre, & omnibus vniuersi partibus; hæ enim sunt, inquit ille, quasi frusta, & membra Orbis, qui est quasi integra Dei Victima.

X. *Partes Mundi, membra Victimæ.*



QVÆSTIO SEPTIMA.

An, & quomodo Isaac in figura primogeniti omnis creaturæ fuerit Sacerdos simul & Victima.

I. *Abraham figura Dei Patris.*
II. *Non figurauit Deum Patrem vt Sacerdos.*
III. *Christus vt Sacerdos est minor Patre.*
IV. *An Isaac non solum fuerit Victima sed Sacerdos.*
V. *An, & quomodo ordinatus fuerit Sacerdos.*
VI. *Ordinatio per lignorum impositionem.*
VII. *Quale fuerit Sacerdotium hoc Isaaci.*
VIII. *Eius præstantia.*
IX. *Isaac per lignorum impositionem factus est Christus.*
X. *Mysterium impositionis super Isaac.*
XI. *Ab Abraham precognitum.*
XII. *Christus prophetatus Victima Mundi.*
XIII. *Isaac suum bajulauit Altare.*
XIV. *Quomodo Christus in Cruce fecit Sacrum.*
XV. *Quomodo fecit sacrum Isaac.*
XVI. *Qua ætate fuit oblatus.*
XVII. *Fuit voluntariè bis ligatus in figura Christi.*
XVIII. *Isaac ante ascensum ad Altare ligatus manus tantùm.*
XIX. *Christus fuit Cruci erectæ suffixus.*
XX. *Cur Isaac ligatus manus.*
XXI. *Cur ligatus etiam pedes.*
XXII. *Vter plus meruit Abraham, an Isaac.*
XXIII. *Meritum Isaac quantum.*



NVLLVS erit hic sermo de Abraham, quia quamuis ipse esset Sacerdos, in hoc tamen facto immolationis Isaac, non figurauit, vt Sacerdos, sed potius figurauit vt genitor. Vnde Patres tàm Latini, quàm Græci communiter docent Abraham in eo facto gessisse tantum figuram Dei Patris. Satis sit ex Latinis Augustinus Serm. 71. Abraham quando Isaac filium suum obtulit, typum habuit Dei Patris, Isaac typum gessit Domini Saluatoris. Ex Græcis sit satis Chrysostomus Homil. 47. in Genes. vbi comparando vnigenitum Abrahæ cum vnigenito Dei: A Patre, inquit ille, in holocaustum offertur, & hunc Pater exposuit, & clamat Paulus dicens, qui sanè proprio I. *Abraham figura Dei Patris.*

filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Hinc mystica illa Hugonis expositio ex verbis Bernardi; Abraham, Abraham, geminatio, inquit, nominis innuit, quod Charitas pulsabat viscera Patris, etiam ante filij Incarnationem, & pio quodam susurro loquebatur: Tolle filium tuum vnigenitum Isaac, atque offer eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi, super vnum montium quem? Memorabile est, quod de sancto Hieronymo scribit Augustinus serm. 71. illum scilicet ab antiquis, & Senioribus Iudæis certissimè cognouisse, quod ibi immolatus sit Isaac vbi postea Christus crucifixus est.

II. *Non figurauit Deum Patrem vt Sacerdos.*

II. Statuamus ergo Abraham in præsenti facto non figurasse, nisi solum Æternum Patrem, atque adeo quatenus ipse Sacerdos erat, in eo facto nihil figurasse, quia non poterat vt à Sacerdote formaliter figurari Deus Pater; etenim Sacerdos, vt Sacerdos, est essentialiter minor, & inferior eo, cui Sacrificium offert; eatenus enim Sacrificium alteri offert, quatenus agnoscit illum superiorem. Cum ergo Pater Æternus nullum habeat superiorem; sicut non potest esse Sacerdos, ita nec potest à quopiam, vt Sacerdote formaliter figurari: ideo docent Theologi, Sacerdotes veteris Testamenti, vt tales, solius Christi fuisse figuras, sicut Sacerdotes noui Testamenti, solius Christi Ministri sunt, ita verò summum Sacerdotium conuenire Christo, vt non conueniat illi ratione Diuinæ naturæ, quæ non

III. *Christus vt Sacerdos est minor Patre.*

III. habet Superiorem, sed tantùm secundum naturam humanam, per quam minor, & inferior est Patre, cui Sacrificium offert. Et quem per summum Latriæ cultum Superiorem agnoscit. Nullo ergo modo in hoc facto immolationis Isaac, ad figuram Sacerdotij Christi Abraham pertinet.

IV. *An Isaac non solum fuerit victima sed Sacerdos.*

IV. Excluso autem illo, solus nobis restat Isaac, in quo inuestigemus, an & quomodo in figura Christi Sacerdos simul fuerit, & victima. Et quidem quod fuerit victima, nulla videtur esse, difficultas, cum verbo Dei destinatus, & quasi consecratus in illam fuerit: quod verò simul fuerit Sacerdos, non ita manifestum videtur, tum quia non apparet institutio, & veluti ordinatio ad hoc Sacerdotium requisita, tum quia in illo Sacrificio nulla apparet actio Sacerdotalis ex parte Isaac; quid enim ille tunc præstitit, ex quo Sacerdos fuisse deprehendatur? Omnes autem actiones Sacerdotales soli Abrahæ adscribuntur. De illo enim dicitur Genes. 22. *Ædificauit Altare, & desuper ligna composuit, cumque colligasset Isaac filium suum, posuit eum in Altari super struem lignorum, extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Quæ omnia sicut demonstrant Isaacum victimam, ita nullo modo declarant Sacerdotem.

V. *[A]n & quomo[d]o ordinatus fuerit Sacerdos.*

V. Verum quod pertinet ad institutionem, eadem ordinatio Diuina, quæ Isaacum instituit victimam, instituit pariter Sacerdotem, tum quia illum instituit victimam non qualemcumque sed voluntariam, atque adeò non solum habentem conditionem rei oblatæ, verum etiam offerentis; tum quia instituit illum in typum perfectum Christi, qui simul fuit Sacerdos, & Victima. Hanc institutionem agnouisse videtur Rupertus cap. 1. in Matthæum, vbi sic ait, *Isaaco vt verbo Patris consecraretur opus non erat, quia cum fuisset oblatus in holocaustum Domino, in typum Christi, ex tunc plusquam Sacerdos erat, idest non tantùm Sacerdos, verum & hostia.* Vbi nota, Isaacum ex eo quod fuit oblatus à Patre, non potuisse habere rationem nisi victimæ, sed quia oblatus est voluntariè, voluntate

videlicet se ipsum offerente; ideo ex eo quod sic fuerit oblatus in typum Christi, benè infert Rupertus sicut ex actu potentiam, ita ex Sacrificatione Sacerdotium. Sed antecedentem quandam ordinationem, & quidem Mysterij plenam videtur mihi Origenes præsensisse Homil. 8. in Genes. Nimirum per lignorum Sacrificalium impositionem, sic enim de Abrahamo ait Scriptura. *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum; ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium. Quod ipse sibi ligna*, ait Origenes, *ad holocaustum portat Isaac, illa figura est, quod & Christus ipse sibi bajulauit Crucem, & tamen portare ligna ad holocaustum, Sacerdotis officium est. Fit ergo ipse hostia, & Sacerdos, sed*, & quod additur, *cumque duo pergerent simul, ad hoc refertur, cum enim Abraham velut Sacrificaturus, ignem portaret, & cultrum, Isaac non vadit post ipsum, sed cum ipso, vt ostendatur cum ipso pariter fungi Sacerdotio.* Hæc Origenes; in cuius verba duo animaduerto. Primum est ex illa Sacrificalium lignorum impositione, tantam Isaaco dignitatem accessisse, vt iam non vaderet post ipsum, sed cum ipso, *cumque duo pergerent simul*; vbi obseruare licet Isaaci Sacerdotium hoc, longè diuersæ rationis, & ordinis fuisse à Sacerdotio Abrahami. Nam si loquamur de potestate Sacerdotali ordinaria, quæ in Abrahamo erat annexa Iuri primogenituræ, hæc illi communis erat cum alijs primogenitis, & limitata ad victimas irrationales, in qua potestate fortasse par illi erat Isaac, qui cum iure primogenituræ idem quoque habebat ius Sacerdotij. Si verò loquamur de potestate extraordinaria, & singulari, quæ fuit in Abrahamo ad sacrificandam victimam rationalem, hæc profecto præstantiori, & nobiliori quodam modo fuit in Isaac, quia non fuit ad offerendum, & sacrificandum alterum, sed se ipsum; per quam potestatem constituebatur in figura Christi, Sacerdos simul, & Victima. Atque hinc habes cur in Mysterio pergerent simul tanquam æquales, quia Abraham portans in manibus ignem, & gladium, repræsentabat Æternum Patrem in opere Redemptionis, Charitatem, & Iustitiam exercentem; Isaac verò post lignorum susceptionem, cœpit agere Filium Patri coæternum, consubstantialem, & æqualem; ideo neque ante ipsum, neque post ipsum, sed simul ambo pergebant.

VI. Ordinatio per lignorum impositionem.

VII. Qua'e fuerit Sacerdotium hoc Isaaci,

VIII. Eius præstantia.

Alterum quod obseruo, est meritò dici per lignorum illorum impositionem Isaacum veluti initiatum fuisse Sacerdotem Sacrificij sui, quia per illam figuratiuè factus est Christus, vt omnes Patres vnanimi consensu docent, sed pro cunctis sufficiat Augustinus; is pluribus in locis, sed præcipuè lib. 2. de Trinit. cap. 6. tomo 3. *Isaac, inquit, Christus erat cum ad se immolandum ligna portabat.* Et contra Faustum lib. 12. cap. 25. tomo 6. *Quis alium in Isaac lignum sibi portabat ad victimam, nisi qui Crucem sibi ad Passionem ipse portabat? Et contra* Maximinum eodem tomo 6. libro tertio. *Isaac filius Abrahæ, quid erat in figura nisi Christus, quando sicut ouis ad immolandum ductus est, & quando sicut Dominus Crucem suam, ita & ipse sibi, quibus fuerat imponendus ligna portabat.*

IX. Isaac per lignorum impositionem factus est Christus.

Neque verò dicendum est sine tanti præcognitione mysterij Abrahamum ligna holocausti ex iumento, super quo portabantur, vt notat Abulensis, in innocentis filij humeros transtulisse; nimirum illum eo facto Abraham agebat, qui teste Isaia: *posuit in eo iniquitates omnium nostrum*; nam quod nostra omnium peccata in se punienda significauerit Christus, dum Crucem super suos tulit

X. Mysterium impositionis super Isaac.

humeros, expressa doctrina Cyrilli est lib. 12. cap. 28. in Ioannem. Imposuit ergo ligna super Isaac, tanquam super Christum *in victimam concessam à Patre*, vt
XI. loquitur Tertullianus lib. aduersus Iudæos. Vnde credibile est, quod Origenes
Ab Abraham præcognitum. indicat propheticam planè vocem fuisse illam, qua quærenti filio, vbi esset Victima holocausti, respondit: Deus prouidebit sibi Victimam holocausti fili mi. *Mouet me*, ait Origenes Homil. 8. Abrahæ, *satis diligens, & cauta responsio, nescio quid videbat in spiritu, quia non de præsenti, sed de futuro dicit, Deus prouidebit ipse sibi ouem; futura respondet filio de præsentibus requirenti: ipse namque sibi Dominus ouem prouidebat in Christo, &c.*

XII. Hoc idem sentit Ambrosius lib. 1. de Abraham. *Prophetauit*, inquit, *quod alia*
Christus prophetatus Victima Mundi. *esset hostia, quam Deus sibi pararet, vt mundaret orbem terrarum* Aliquid adhuc maius videtur mihi sensisse Augustinus Serm. 72. de Tempore cap. 7. nimirum Abrahamum ex tanti fide mysterij non quomodocumque ligna filio imposuisse,
XIII. sed ex illorum aliquo, quasi Crucis Altare erexisse. *Leuat*, inquit, *Abraham*
Isaac suum baiulauit Altare. *lignum in Altare, leuat filium super lignum. Antequam veniat filius ad locum Sacrificij, portat lignum, quo leuandus est.*

Meritò ergo diximus per lignorum impositionem initiatum quodammodo fuisse Isaacum in Sacerdotem figuratiuum Christi, qui ad suam sibi immolationem quasi Altare portauit.

Nunc verò ad alteram dubitationis partem transeamus, in qua dicebatur nullam in oblatione Isaaci, actionem ex parte ipsius apparere, vnde Sacerdos esse censeatur. Quæ dubitatio valde vtilis esse potest, cogit enim nos explicare, qua ratione Christus Dominus in Sacrificio Crucis præstitit se Sacerdotem, cum nullam externam operationem ediderit Sacerdotalem.

XIV. Tangit hanc difficultatem S. Thomas 3. par. quæst. 48. vbi objicit sibi, ex
Quomodo Christus in Cruce fecit Sacrum. nulla parte Passionem Christi videri Sacrificium, quia, inquit, quicumque offert Sacrificium aliquod sacrum facit, vt ipsum nomen Sacrificij demonstrat; hoc autem sacrum non fecerunt occisores, vnde ex parte occisorum Passio magis fuit maleficium, quàm Sacrificium; & ideo non fuerunt offerentes. Quis ergo fuit offerens, qui Sacrum fecit, ex cuius parte illa esset Sacrificium?

Respondet Sanctus Doctor vnico tantùm verbo, Passionem videlicet fuisse Sacrificium *ex Charitate*, inquit, *patientis.* Suscepit hoc verbum S. Doctoris, Caietanus, & quasi illud explicans, ait: *Attende, quod iuxtà diuersam Sacrificij naturam diuersimodè inuenitur facere sacrum: In Sacrificiis enim consistentibus in agere, inuenitur facere sacrum ad extra, vt patet; In Sacrificiis verò, quæ consistunt in pati, inuenitur facere sacrum secundum actionem interiorem, qua spontè offert Deo suum pati, & sic Christus fecit sacrum actione interiori.* Hæc Caietanus.

Ecce habemus modum, quo Isaac fecit sacrum in figura Christi, eo videlicet modo, quo fecit Christus; nam quod est valde notandum ex verbis S. Cypriani de bono patientiæ: *Isaac ad Hostiæ Dominicæ similitudinem præfiguratus est.* Fe-
XV. cit ergo Isaac sacrum secundum actionem interiorem, qua spontè obtulit Deo
Quomodo fecit sacrum Isaac. suum pati. Atque hinc fuit tàm mirum silentium, cuius Mysterium expendit egregiè Augustinus Sermone 46. de Tempore, vbi cum indicasset nullam in eo facto auditam esse vocem humanam, quia tota res erat Diuina. Sed & ille filius, inquit, qui paulo ante ouem requirebat, sub ingenti silentio talia fieri in se

ſentiebat, & ita patiens inuenitur, tanquam iam ille eſſet, qui ſicut ouis ad immolandum ductus eſt, & tanquam Agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. O, & tu Sancte Iſaac, indica nobis ſilentij huius tàm grande ſecretum. Paulò ante nihil in te fieri ſentiebas, & à Patre Arietem requirebas; nunc autem manibus ligaris, in Aram imponeris, ligno quodammodo ſuſpenderis, & modo taces? Taceo, inquit, dic quare obſecro vt nouerimus; vultis noſſe, ait, quare modo taceo? Quia figuram illius geſto, qui voluntate ponit animam ſuam, non neceſſitate. Ecce ex verbis Auguſtini habes Iſaacum, ſe in figuram Chriſti victimam voluntariam obtuliſſe, atque adeo per voluntatem, quæ poſita inſtitutione Diuina, verè fuit Sacerdotalis.

Contra hanc communem ſententiam vnum habemus Aben-Ezra laudatum virum inter Rabinos qui negat Sanctum Iſaac voluntariè ſe immolationi expoſuiſſe, idque tribus argumentis. Primo propter minorem ætatem; quando enim ad immolandum ductus eſt, vix, inquit ille, duodecimum annum attingebat. Secundo, quia Abraham ligauit filium, vt illum immolaret vtique inuitum, & renitentem; ſi enim volens, libenſque fieri victima acceptaſſet, quorſum illum ligaret? Tertio, quia ſi Iſaac oblatus propria voluntate fuiſſet, magis ille, quàm Pater meruiſſet, quia præſtantius eſt mortem pro Deo ſubire, quàm alteri inferre.

Verùm hæc argumenta infirmiora ſunt, quàm vt in iis diluendis immorandum diu ſit. Ac primum quidem argumentum ductum ab ætate, parum roboris habet; quia quamuis daremus Iſaac tunc fuiſſe duodecim annorum, maturus adhuc fuiſſet voluntariæ oblationi: ætate enim duodecim annorum finitur pueritia, & incipit adoleſcentia; ideo vt docet Beda: Chriſtus ea ætate primum futuræ prædicationis ſpecimen dare voluit in medio Doctorum: *cum factus eſſet annorum duodecim*, Luc. 2. Cæterùm cuius ætatis eſſet tunc Iſaac quando ad immolandum eſt ductus, certatur inter Chronologos. Communior, & verior opinio, quam ex noſtris Doctoribus ſequuntur, Pererius, Cornelius, Iulianus, Tirinus, & alij eſt Iſaacum egiſſe tunc vt minimum annum vigeſimum quintum. Dixi, vt minimum, quia Hebræi communiter tradunt Iſaac tunc fuiſſe annorum 37. eo quod, vt ipſi aiunt, eo anno immolatus eſt Iſaac, quo Sara mortua eſt, hæc autem peperit Iſaac, cum eſſet annorum nonaginta, obiitque annorum centum viginti ſeptem, qui planè interfluxerunt ab Iſaaci natiuitate ad eiuſdem immolationem. XVI. *Quæ ætate fuerit oblatus.*

Sed quamuis ætas, qua ad immolandum Iſaac eſt ductus, incerta ſit, probatiores tamen autores conueniunt, non potuiſſe eſſe ætatem admodum teneram, quia Abraham impoſuit illius humeris portanda ligna in holocauſtum, vt diſertè tradit Scriptura. Quomodo autem hoc facere potuiſſet puer teneræ ætatis, præſertim in aſcenſu eius montis arduo, & laborioſo, & cum ligna tot eſſent, ait Abulenſis, quot erant neceſſaria ad incinerandum vnum corpus humanum, quibus propterea Abraham Aſinum onerauerat?

Neque quidquam obſtat quod Scriptura puerum vocat. *Ego & puer*, ait Abraham *illuc vſque properantes poſt quam adorauerimus reuertemur ad vos.* Quidni enim puerum vocaret filium ſuum Pater, qui illum genuit cum iam centum eſſet annorum? *Hac quippe ætate patris* (notat Scriptura *natus*) *eſt Iſaac* cap. 21. adde,

quod eodem cap. 21. de Ismaële dixit Agar: *non videbo morientem puerum*, cum tamen constet Ismaëlem annorum tunc fuisse plusquam viginti, vt probat Abulensis in cap. 21. Genes. Sed satis notum est in Scriptura quousque se pueri nomen extendat.

XVII. *Fuit voluntariè his ligatus in figura Christi.* Hæc porrò maturior, & robustior ætas Isaaci planè conuincit, ligatum ipsum fuisse, non inuitum, sed prorsus assentientem, volentemque; si enim inuitus fuisset, nunquam à Patre solo, & centum annis, seniore ipso, ligari potuisset.

Sed videamus, vtrum ex colligatione sumi possit indicium inuoluntariæ oblationis. Quod erat alterum argumentum. *Cumque alligasset Isaac filium suum*, ait Scriptura, *posuit eum in Altare super struem lignorum.* De duplici colligatione potest esse Sermo: prior est, qua alligatus fuit, vbi primum Diuinam voluntatem exposuit Pater, antequam in Altare super struem lignorum componeretur: posterior est, qua postquam fuit super Altare compositus, adstrictus ipsis Altaris lignis fuit ad ictum immolationis excipiendum. De vtraque enim colligatione vestigium reperio apud Patres.

Ac prior quidem; vincula omnia Christi repræsentauit, quibus antequam in Crucem ascenderet, ligatus à Iudæis, ac Gentibus, an potius à Patre fuit? *Cumque alligasset Isaac filium suum*, ergone, ait Rupertus de Trinitate cap. 31. Et Deus Pater suum colligauit filium? Colligauit planè, verùm non imbecillitatis vinculo, sed magnæ Charitatis imperio; ne se ipsum defenderet, ac oblatum Calicem Passionis mori dedignatus abigeret: nam hoc est, quod in Psalm. 72. canit ipse: *tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.* Ex hac autem colligatione Æterni Patris factum est, quod narrat Matthæus: *Tunc accesserunt Iudæi, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum*, & vt addit Ioannes cap. 18. *& ligauerunt eum.*

Posterior verò colligatio repræsentauit clauos, & funes, quibus idem Dei filius confixus, & alligatus iisdem lignis fuit, quæ sibi ipse portauit. Quamuis enim fide iam certum sit Christum clauis Cruci fuisse affixum: vnde dixit S. Thomas Ioan. 20. *Nisi videro fixuras clauorum*: tamen S. Hilarius lib. 10. de Trinitate, addit, Christum non solum clauis affixum, sed funibus etiam alligatum fuisse, quos funes hodiéque ostendi Romæ in Templo S. Crucis in Hierusalem testatur Cornelius.

XVIII. *Isaac ante ascensum ad Altare ligatus manus tantùm.* Iam verò ex priori colligatione facta ante conscensum in struem, argumentum sumo pro voluntaria Isaaci oblatione. Quia hæc facta fuit dumtaxat in manibus, aut etiam in collo, non verò in pedibus; quamuis enim Scriptura non explicet, quæ nam corporis partes fuerint colligatæ, cum tantum dicat: cumque alligasset Isaac filium suum, illa tamen ratio mihi persuadet, colligationem primam non esse factam in pedibus; quia quamuis Scriptura dicat, Isaacum positum à patre fuisse in Altare super struem lignorum, non est sensus, quod Pater filium, suis viribus sublimem, sublatum, & suspensum, Altari superposuerit, quomodo enim sic tolleret adultum Iuuenem senex? Sed est sensus, quod in Altari illum composuerit eo modo, & ritu, quem Sacrificij ratio postulabat. Ascendit ergo ipse per se lignorum struem, manibus quidem reuinctis, sed pedibus omnino solutus, ac liber. Et sicut Montem pariter pergentes supergressi sunt ambo, alter lignis oneratus, alter igne, atque gladio instructus; ita simul Altare pariter

pariter conſcenderunt, alter manibus colligatus, alter reſumpto iterum gladio, quem ad Victimæ compoſitionem breui temporis interuallo ſepoſitum, arripuit poſtremo iterum, vt immolaret filium ſuum.

Confirmat huiuſmodi cogitationem id, quod ſolerter adnotat Lyranus; nimirum Iſaacum fuiſſe ligatum ante quam ad Altare ſe ſiſteret, vt per hoc, inquit, Chriſti ligatio ſignificaretur ante immolationem ipſius in Cruce: conſtat autem, Chriſto ante immolationem in Cruce nullo modo pedes fuiſſe colligatos.

Atque hinc occaſionem libenter ſumo confirmandi ſententiam illam, quæ docet Chriſtum in Cruce erecta, fuiſſe affixum, atque adeo ſuis ipſum pedibus in illam aſcendiſſe, certè plerique Sanctorum Patrum de hoc Myſterio per modum aſcenſus loquuntur, vt Ambroſius lib. 10. in Lucam 1. *Qualis Chriſtus in Crucem aſcenderit.* S. Bonauentura cap. 78. de Vita Chriſti: *Compellitur Dominus Ieſus Crucem aſcendere.* Bellarminus lib. 1. de Miſſa cap. 12. *Quis dubitet ſpontaneam illam aſcenſionem Crucis, veram oblationem fuiſſe.* Et Greg. Cant. 7. explicans illud: *Aſcendam in palmam,* quem locum de Cruce etiam intellexerunt Cyprianus Serm. de Paſſione Domini. *Aſcendiſti,* inquit, *Domine palmam, quia illud Crucis tuæ lignum portendebat triumphum de Diabolo* Quem eundem locum de Chriſto aſcendente in Crucem multi Doctores interpretantur apud Cornelium in cap. 5. Cant. XIX. *Chriſtus fuit Cruci erecta ſuffixus.*

Verum de hac controuerſia alibi. Interim illam hoc loco ſupponimus, dicimuſque Iſaacum tanquam victimam maximè voluntariam in ſuam veluti Crucem, in figura Chriſti aſcendiſſe, & ſuper lignorum ſtrue ſe compoſuiſſe, Patre interim pedes, & manus iterum ſubjectis lignis firmiter aſtringente. Quod ſi Iſaac vltro ſuper ſtruem aſcendit, profectò nec inuitus manus ad vincula obtulit, neque coactè ſe ſuper ipſa lignorum ſtrue iterum etiam pedes ligari permiſit, nimirum, quod diſertè ait Sanctus Ephrem: *tradidit ſe ipſum Patri Iſaac, vt ipſo quemadmodum vellet vteretur.*

Sed quorſum Pater filium non reluctantem, non renitentem, ſed ſummè obedientem, obſequentemque ſemel, & iterum colligauit? Si quæras cur manus obſequentis primo ligauit, ratio illa eſt; quia eo modo victimæ ducebantur ad Sacrificium, vt docet Philo, ſed potiſſimum quia ſic ductus ad mortem fuit ille, quem Victimæ omnes repræſentabant. Si quidem *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* Thren. 4. XX. *Cur Iſaac ligatus manus.*

Si verò quæras cur etiam pedes poſtea, & totum corpus adſtrinxerit ſuper Altare: præter ritum ſacrificandi, in quo Cruci affixionis myſterium includebatur, peculiaris erat ratio, tum ex parte immolaturi Abrahæ, tum ex parte Iſaac immolandi. Et quidem ex parte Abrahæ. Nouerat optimus Pater motus aliquos naturales, ac planè inuoluntarios in actu jugulationis inſurgere, quos tamen, & Sacrificij ſummam ſanctitatem, & plenam ipſius Victimæ voluntatem dedecerent, propterea, & zelo Religionis in Deum, & veræ pietatis in filium, quem ex omni parte perfectum cupiebat, illum colligauit. XXI. *Cur ligatus etiam pedes.*

Hanc cauſam videtur agnouiſſe Auguſtinus Sermone 72. *Vincitur,* inquit, *innocens hoſtia, ne offerentis deuotio putaret ſe minus aliquid exhibere, ſi impatientia doloris victima calcitraret,* & arriſit S. Zenoni: *Securus,* inquit, *Pater optimus timuit ne aliquid liceret in mortem.*

Ex parte verò Isaac, qui sic voluit, hæc etiam additur causa à Cornelio, vt nimirum plenissimè daret Deo, & velle, & posse, vt si vellet resilire non posset, in typum Religiosorum, qui dum se per vota Deo alligant, & astringunt, suum non solum velle offerunt, sed etiam posse.

XXII. *Vter plus meruit Abraham, an Isaac.* Restat tertia diluenda difficultas, eo quod si vltro oblatus fuisset Isaac, plusquam Abraham meruisset. Verum hæc antiqua lis est, & adhuc sub Iudice, vtrius virtus, & meritum fuerit maius, Abrahæ ne immolantis, an Isaac immolati? *Vtrum admirer*, ait S. Chrysostomus Hom. 47. *& obstupescam iustius, fortem ne spiritum Patriarchæ, an pueri obedientiam, quod neque reluctatus est, nec factum ægrè tulit, sed cessit, & obtemperauit his, quæ à Patre facta sunt; & sicut Agnus cum silentio super Altare accubuit, expectans Patris dexteram.* Examinant pro vtraque parte rationum momenta Interpretes, quæ videri possunt apud Pererium, & Cornelium: Interim ex hac ipsa controuersia roboratur Catholica sententia de voluntaria oblatione Isaac. Si enim Patres non præsupponerent eam fuisse planè voluntariam, non disputarent de præeminentia meriti, nam vbi inuoluntarium est, ibi meritum nullum est.

XXIII. *Meritum Isaac quantum.* Porrò ingens planè fuisse hoc meritum Isaac constat, tum ex rei susceptæ difficultate: agebatur enim de obedientia vsque ad mortem, & quidem in ipso ætatis flore, cum posset sperare centum adhuc annos facilè victurum, multamque se sobolem, & familiam habiturum, tum ex promptissima, qua se obtulit voluntate, vt enim ait S. Augustinus Serm. 40. ad Fratres in Eremo. *Isaac scita à Patre Dei voluntate non aperuit os suum.* Quare Isaaco meritò tribuunt hic Patres meritum Martyrij, quia pro actu virtutis, scilicet, vt obediret Deo, certæ morti se obtulit: eò enim res vsque processit, vt Pater in eum gladium extenderet, vt illum immolaret, & ictum lethalem planè excepisset, nisi Deus eum auertisset, & sicut de Abraham dixit S. Chrysostomus Homil. 49. *proposito quidem cruentauit dexteram, Sacrificium obtulit*, ita de Isaac dicendum est, proposito quidem iugulatus, dissectus, crematus, & in cineres redactus est.



QVÆSTIO OCTAVA.

Quomodo primogenitus omnis creaturæ in Eucharistia vt Isaac immolatur.

I. *Cur Deus noluit Isaac Sacrificium consummari.*
II. *Isaac fuit figura vtriusque Sacrificij Christi.*
III. *Christus in Eucharistia vt Isaac immolatur.*
IV. *Actus Sacerdotalis Isaaci in figura Christi.*
V. *In quo consistit Sacrificium Christi.*



VÆSTIO est non vulgaris, quamobrem Deus prohibuit quo minus Abraham Sacrificium tam acceptum re ipsa perficeret, & consumaret: *tenuit manum eius Diuina vox*, ait S. Ambrosius, *& ictum vibrantis occupauit dextera.* I. *Cur Deus noluit Isaac Sacrificium consummari.*

Plures causæ afferuntur à Patribus, quas congerit noster Fernandes in cap. 22. Genes. Ego ne actum agam, vnam tantùm ab illis non expressam indicabo.

Isaac singularis fuit Typus Christi in eo, quod in ipsius vno eodemque supposito coniuncta fuit repræsentatio Sacerdotis simul, & Victimæ; cum in reliquis omnibus Sacrificiis figuralibus eadem repræsentatio non in vno, eodemque, sed in duobus distinctis, diuersisque suppositis, semper fuerit, vt superius indicauimus. Debuit ergo ipse singulariter figurare suo Sacrificio omne Sacrificium, in quo Christus verè se habet vt Sacerdos, & Victima, alioquin daretur aliquod Sacrificium Christi, cuius non præcessisset figura in eo, quod idem est Sacerdos, & Victima; ergo debuit figurare simul Sacrificium Crucis, & Sacrificium Cœnæ: Hoc enim duplex Sacrificium obtulit per se Christus Dominus, & in vtroque fuit Sacerdos, & Victima; ergo ita debuit repræsentare in se ipso Sacrificium cruentum, vt simul incruentum repræsentaret; hoc autem nullo alio modo fieri potuit præter eum, quo factum est. Nam verè illud Sacrificium fuit veluti cruentè inchoatum, & incruentè consummatum; & cruente quidem inchoatum, quia oblatum verè fuit sub insignibus Passionis ad effusionem sanguinis ordinatæ; incruentè verò consummatum, quia in Sacramentum tantùm, & signum Passionis fuit acceptatum. II. *Isaac fuit figura vtriusque Sacrificij Christi.*

Hinc inter figuras Eucharistiæ, quibus Christus in Sacramento fuit præsignatus annumeratur hæc Isaaci, dum canitur ab Ecclesia; *velut Isaac immolatus.* Ad quam Ecclesiæ sententiam illustrandam, afferre libet insignem locum Ruperti lib. de Trinitate cap. 32. vbi agit, quomodo verus Isaac Christus in Sacramento immoletur, & inter alia. *Christus* inquit, *totus sancto incumbit Altari, vbi iterum immolatur & tamen impossibilis permanet, & viuus quemadmodum illic Isaac immolatus & tamen gladio non est attactus* Et infrà. *Sicut Isaac ille immolatus, & non tamen occisus est, sic, & Christus hic immolatur quidem,* III. *Christus in Eucharistia vt Isaac immolatur.*

sed impassibiliter sacrificatur, & immortaliter.

IV. *Actus Sacerdotalis Isaaci in figura Christi.* Quod si præterea quæras, qua ratione Isaac non solum fuit vtriusque Sacrificij Victima figuralis, sed figuralis etiam vtriusque Sacerdos.

Dico Isaacum repræsentasse Christum tanquam verum, & principalem vtriusque Sacrificij Sacerdotem per illum actum, quo Patri se in Sacrificium postulanti tradidit alio, vt se quemadmodum vellet vteretur. Itaque actus ille, quo Isaac tradidit se oblationem, & hostiam Deo in manus Patris, ille fuit actus Sacerdotalis Isaaci iuxtà positam superius doctrinam S. Thomæ à Caietano explicatam. Cum enim Sacrificium Isaaci ex genere illorum fuerit, quæ consistunt *in pati* non tenebatur per se, & immediatè sacrum facere aliter, quàm per actum interiorem, quo acceptabat, & offerebat Deo suum pati, tradendo se omnino in manus Patris. Porrò actus hic Isaaci, viua, & expressa fuit repræsentatio oblationis Sacerdotalis, quam Christus Dominus exercuit in Cruce, & nunc exercet quotidie in Altari, quod est maximè adnotandum; & quidem, quod fuerit repræsentatio Sacerdotalis actus Christi in Cruce, est manifestum, quia ex doctrina Sancti Doctoris non alio modo Christus in Cruce fecit sacrum, vnde Apostolus oblationem Sacrificalem Christi semper explicat per actum, quo se ipsum tradidit. Quod verò idem Isaaci actus, repræsentatio fuerit actus Christi Sacerdotalis, quo tanquam principalis Sacerdos quotidie se ipsum sacrificat in Altari, est quidem mihi æquè manifestum, quia Christus non alia ratione est, non solum actualis Victima, sed actualis Sacerdos Sacrificij nostri, nisi quia vltrò se tradit in alienam potestatem, & manus; & verè in manus Patris ipsum ad Sacrificium postulantis ad eum planè modum, quo se Isaac tradidit Abrahæ, Dei Patris vices gerenti, & Christus se Æterno suo Patri in Cruce tradidit per illa verba: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum* Vbi per spiritum intelligitur vita corporalis, vt ostendit Bellarminus de septem Verbis; ideo subdit Euangelista: *Et hæc dicens expirauit.* Expirare autem est deficere, spiritum trahere, quod est viuentium. Quod verò ea verba fuerint oblationis consummatiuæ Sacrificij Crucis, ostendimus alibi. Interim ex præsenti doctrina si rectè perpendatur.

V. *In quo consistit Sacrificium Christi.* Habemus primo, tùm Sacrificium Crucis, quàm Sacrificium Eucharistiæ, esse ex genere sacrificiorum, quæ consistunt in pati, atque adeo Christum in vtroque Sacrificio eodem modo sacrum facere, nimirum per actum offerentem in honorem, & cultum Dei, suum pati. Hæres ad vocem *pati*, tanquam ad paulo duriorem?

Sed prouoco ad modum loquendi Patrum, qui Corpori Christi, vt est in Sacramento, passiuas tribuunt denominationes: sufficiat nunc vnus S. Chrysostomus. Is. Homil. 24. in 1. Epist. ad Corinth. dicit: Regium corpus nobis intuendum, & tangendum proponi. Rursum Homil. 83. in Matth. Ipsum, inquit, vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Præterea Homil. 47. in 1. ad Corinth. dicit; nos carni Christi dentes infigere. Denique Homil. 24. in 1. ad Cor. in terminis,

VI. *In quo sensu Christus dicatur pati in Eucharistia.* habes Christum in Sacramento, pati fractionem, quam in Cruce pati noluit.

Non disputo nunc, vtrum hæc figuratè tantùm dicta sint; neque vllo modo asserimus huiusmodi passiones esse cum læsione Corporis Christi. Quod asserimus hoc loco est, passiones quasdam verè, ac propriè, & non figuratè conuenire

Christo, provt est in Sacramento; nam ex Regula Theologorum, verba, saltem quæ significant motum localem, quamuis non per se, sed per accidens, verè tamen, & propriè dicuntur de Corpore Christi in Eucharistia existente; cuius rei rationem libenter sumo ex doctrina, quam tangit Bellarminus lib. 3. cap. 19. Quia scilicet Corpus Christi est in pane, non vtcumque, sed vt substantia sub accidentibus, quo fit, vt ex natura ipsa rei, posita consecratione ad motum accidentium moueatur Corpus Christi, & ad illorum eleuationem, eleuetur ad illorum depressionem deprimatur, & ad illorum corruptionem desinat ibi esse, qua ratione desineret substantia panis si ibi fuisset. Non sic est Angelus in corpore assumpto; ideo ad motum corporis assumpti, non mouetur Angelus necessario, & ex natura rei, sed posset non moueri, & quando mouetur, voluntariè mouetur, immò ipse est, qui mouet illud corpus, & quando dissoluitur illud, non necessario Angelus desinit esse in eo loco, sed potest manere si velit. Sed de hoc iterum. VII. *Aliter est Corpus Christi in pane, aliter Angelus in corpore.*

Redeo nunc ad illam propositionem, qua dicebam Sacrificium quoque Eucharisticum esse ex genere illorum, quæ consistunt in *pati*: & sic argumentor. In tantum Christus in Cruce fecit factum consistens in pati, in quantum tradidit suum corpus consumendum, & suum sanguinem fundendum in honorem, & cultum Dei, sed idem Christus in Altari tradit suum corpus consumendum, & suum sanguinem fundendum in honorem, & cultum Dei; ergo vtrumque Sacrificium Christi est ex genere eorum, quæ consistunt in pati. VIII. *Sacrificium Eucharisticū consistit in Pati.*

Hoc argumentum videtur mihi satis conforme ad doctrinam Tridentini, vbi differentia inter Sacrificium Crucis, & Altaris ponitur solum in ratione, & modo offerendi cruento, vel incruento. *Sola* inquit, *offerendi ratione diuersa* Ita vt non solum offerens, nec solum res oblata, sed ipsamet interior Sacerdotalis oblatio consistens in voluntaria traditione sui corporis, & sanguinis in cultum Dei, sit eadem in vtroque Sacrificio, sola ratione offerendi diuersa, quæ diuersitas radicaliter consistit in eo, quod Sacrificium Crucis oblatum sit in forma, & specie aliena non viuentis. Vnde factum est, vt illud ex passione fuerit cruentum, hoc in passione maneat incruentum. IX. *Radix passionis incruentæ.*

Sed ostendamus ex aliqua Scriptura Sacerdotem nostrum non solum olim in Cruce, sed nunc quotidie in Altari tradere corpus suum consumendum, & sanguinem fundendum. Locus insignis pro traditione Corporis est 1. Cor. 11. Christus enim dum obtulit Sacrificium Cœnæ, ait: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur* Quod scilicet nunc pro vobis in specie non viuentis panis datur, & immolatur Deo. Ita Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 12. Quamuis verò fractio vtcumque ponit, etiam ad instantem Passionem Christi cruentam in propria specie accommodari propter confractionem cutis, & neruorum, & venarum, tamen vix dubium esse potest, ait Bellarminus, quin Apostolus respexerit ad Corpus Christi sub specie panis: Scriptura enim propriè vbi hac voce solet, vt 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus.* & Act. 2. *Frangebant circa domos panem*: immò Maldonatus in cap. 26. Matth. disertè tradit, hanc fractionem de Corpore Christi in Cruce dici non potuisse à Paulo, tum quia Sacramentalem loquutionem esse constat, vt propterea extrà Sacramentum, locum non habeat, tum quia S. Ioannes, tanquam mysterium adnotauit, latronibus crura confracta fuisse; X. *Christus in Sacrificio Eucharistia tradit se destruendum.*

Christo non fuisse, quia scriptum erat: *Os non comminuetis ex eo*, quod planè confirmat locus superius citatus S. Ioannis. S. Io. Chrysostomus Homil. 24. in 1. ad Corinth. vbi scribit, Christum in Sacramento pati fractionem, quam in Cruce pati noluit. Si fractionem nunc patitur, ergo dum se frangendum offert, potest Deo pro nobis offerre suum pati.

Rursum pro traditione sanguinis, est locus æquè insignis Luc. 22. *Hic est (calix nouum Testamentum in Sanguine meo qui pro vobis effundetur.* Sed hunc locum non ieiunè tractauimus lib. 1. quæst. 3. vbi egimus de effusione Sanguinis Eucharistica.

Nunc verò quod Christus tradat se in Eucharistia Sacrificio consumendum, & destruendum in Dei honorem, non minus quàm olim in Cruce, sola offerendi

XI. *Quid est accipite, & comedite.* ratione diuersa, potest plenissimè demonstrari ex verbis illis: *Accipite, & comedite.* Quia non potuit esse traditio, aut pro nobis liberaliter, aut religiosior Deo, pro nobis non potuit esse liberalior; sicut enim si tradidisset corpus suum sub forma, & specie Auri non potuisset illud liberalius tradere, quàm dicendo: Accipite, & impendite, ita suum corpus positum sub forma, & speicie cibi, non potuit liberalius tradere, quàm dicendo: accipite, & comedite. Sed neque potuit esse religiosior Deo, quia in illa est plenissima Sacrificij incruenti consummatio.

Est autem aduertendum, traditionem illam factam per verba, *accipite, & comedite*, duplicem traditionem includere, alteram Sacramentalem, alteram Sacrificalem iuxtà duplicem sensum verborum illius propositionis. Potest enim illa propositio, accipite, & comedite, significare idem ac accipite, & sumite, vtique in refectionem animæ spiritualem, & hanc voco traditionem Sacramentalem, quæ immediatè, & proximè refertur ad vtilitatem sumentium: potest etiam eadem propositio alterum facere sensum, vt *accipite, & comedite*, idem sit ac acci-

XII. *Comedere pro destruere & consumere.* pite, & consumite *hoc est destruite* in honorem vtique, & cultum Dei, & hanc voco traditionem Sacrificalem. Et quidem quod sensus hic alienus non sit, ex eo patet, quia in Scriptura accipitur sæpè comedere pro consumere, & destruere, sic Psal. 78. *Quia comederunt Iacob*, hoc est (vt omnes notant Interpretes) quia consumpserunt, & destruxerunt. Immo Psalmista ipse, idem quasi explicans subdit: *Et locum eius desolauerunt*. Vnde Chaldæus vertit apud Genebrardum: *Quoniam dissipauerunt Domum Iacob, & Domum Sanctuarij eius vastauerunt*; quem eumdem textum explicatum adhuc magis habemus apud Ieremiam cap. 10. vbi dicitur: *quia comederunt Iacob, et deuorauerunt eum, et consumpserunt illum et decus eius dissipauerunt* Atque ad hanc Scripturæ significationem respiciens Beatus Martyr, & Pontifex Alexander primus in Epist. 2. loquens de dignitate Sacerdotum, nouam, ac luculentam expositionem affert illorum verbo-

XIII. *Comedere peccata quid.* rum Oseæ cap. 4. *Peccata populi mei comedent.* Sacerdotes, inquit, peccata populi comedunt, quia precibus suis, & oblationibus ea *destruunt atque consumunt.* Scio illius loci receptissimam expositionem esse, vt peccata, hostias pro peccatis oblatas, intelligamus; nam & Scriptura ita sæpè loquitur, sic alibi explicauimus locum Apostoli 2. Corinth. 5. *Eum, qui peccatum non nouerat pro nobis peccatum fecit* & Leuit. 10. Vbi dicitur, *cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto?* In Hebræo est; *Cur non comedistis peccatum in loco sancto.* Tamen quia comedere

in Scriptura utrumque significat; ideo expositionem Alexandri, tanquam sacræ Scripturæ consentaneam recipiunt, ac probant ex antiquioribus Ruffinus, & ex recentioribus noster Ribera, & alij.

Hinc illustratus manet adæquatus, ac plenus sensus verborum Christi: Accipite, & comedite, ut non solum ea verba dicta Discipulis, sint tanquam fidelibus, quibus suum corpus sumendum tradebat ut Sacramentum, sed dicta illis potissimum sint tanquam Ministris, quibus suum corpus tradebat consumendum ut Sacrificium pro vniuerso Mundo. Atque hanc posteriorem traditionem, quam voco Sacrificalem factam Discipulis tanquam Ministris Sacerdotij Christi, fuisse potissimam, & à Christo per illa verba principalius intentam, colligo ex consequentibus apud Lucam cap. 22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem.* Et primo ex illo verbo, *hoc facite*, infero sermonem directum fuisse Discipulis tanquam Ministris; hoc enim maximè loco, *facere*, est verbum sacrificale, ut indicat Tridentinum Sess. 22. cap. 1. Vbi ait, per hæc verba præcipisse Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, hoc est sacrificarent.

XIV. *Traditio facta Discipulis ut Ministris Sacrificij.*

Idem præterea colligo ex eo quod non dicit, Corpus quod vobis, sed quod *pro vobis datur.* Si enim corpus ad sumendum tantùm daretur per illa verba, *accipite, et comedite*, dixisset potius vobis, quàm pro vobis datur, sed quia illa erant verba non solum oblationis, sed etiam institutionis noui Sacrificij, quod offerendum Ecclesiæ relinquebat per Sacerdotes, tanquam per suos Ministros, ideo dixit, quod pro vobis datur. Sacrificium enim, ut rectè Maldonatus in cap. 26. Matth. Non hominibus, sed pro hominibus Deo datur, hoc est offertur.

Postremò hoc infero ex arcana quadam consequentia, quam agnoscit Ecclesia, dum refert verba Christi dicentis: *Manducate, hoc est enim corpus meum.* Nam ad sumptionem Sacramentalem non fuisset præcisè necessarium, ut adesset Corpus Christi, ut enim docet Bellarminus lib. 1. cap. 2. Eucharistia potuisset verè, & propriè Sacramentum esse, etiamsi Christi corpus reipsa non contineret, satis enim esset ad hoc, esse signum visibile continens virtualiter gratiam sanctificationis. Qua ratione Baptismus est verum Sacramentum. Excellit quidem nunc Eucharistia Baptismo, & reliquis omnibus Sacramentis, quia illa constant ex elemento externo, & virtute tantum Diuina illi impressa, ut possint esse signa, & causæ; Eucharistia verò ita constat ex elemento, seu speciebus externis, ut loco impressæ virtutis Diuinæ transeuntis, quæ est in cæteris, sit permanenter Christus ipse, qui est ipsa virtus, & potentia Dei, cæterum cum sola virtute illa Diuina impressa speciebus, potuisset esse verum Sacramentum. Vnde de facto docent Theologi rationem Sacramenti Eucharistici, magis conuenire speciebus, ut continent corpus, quàm corpori Christi, ut est sub speciebus, quia ut docet Trident. Sess. 13. cap. 3. Omnibus Sacramentis est commune, ut sint Symbolum externum, & visibilis forma, inuisibilis gratiæ, quod magis conuenit speciebus, quam corpori Christi. Itaque potuisset esse sumptio Sacramentalis Eucharistiæ sine corpore Christi. At verò ad sumptionem Sacrificalem, erat omnino necessarium, & essentiale, ut adesset corpus Christi, quia Sacrificium Sacerdotis principalis, non potest esse, in quo non idem ipse sit Victima, ut probauimus de natura Sacrificij. Ideo consequenter ad supradicta docent Theologi, rationem

XV. *Eucharistia continet necessario Corpus Christi, ut Sacrificium non autem ut Sacramentum.*

Sacrificij magis conuenire corpori Domini, vt est sub speciebus, quàm speciebus, vt continent corpus Domini, quia quod offertur Deo Patri, non sunt species panis, sed id, quod in Cruce fuit oblatum, Corpus scilicet, & sanguis Domini. Ex connexione ergo essentiali, quæ est inter Sacrificium, & corpus Christi, tanquam vnam, & singularem Mundi victimam, benè inferimus, verba illa: Manducate, Hoc est enim corpus, continere potissimum sensum Sacrificalem à à Christo principalius intentum, vt sensus sit, sumite, vt consumatis; nam ego me vobis, tanquam Ministris meis planè in Dei cultum consumandum, & destruendum sub hac forma trado.

XVI. *Præstãtia oblationis Isaaci in figura oblationis Christi in Eucharistia.*

Quanta autem, & quàm plena fuerit hæc traditio, videre licet tanquam in vmbra in ipsa traditione Isaaci nostri; etenim cum ipse ex vna parte cognosceret ex Patre, postulatum se à Deo esse, vt offerretur in Sacrificium holocausti, & ex altera parte nosset quid secum ferret ritus holocausti, in quo scilicet Victima erat primo iugulanda, deinde membratim concidenda, postremò cremanda, & in cineres sine vllis eius reliquiis redigenda. Ipse, eo actu, quo se totum in paternas tradidit manus, dedit se perfectissimo, & absolutissimo modo consumendum, & quasi ad nihilum redigendum. Actus hic Isaaci exprimit actum Sacerdotis nostri, quo potestatem faciendo corporis sui, in Sacrificium oblati, ait: Accipite, & manducate. Nullum enim genus consumptionis potest esse maius isto, quod habetur per comestionem, quod videlicet æquipollet omnibus generibus destructionum, & præcipuè illi, quæ fiebat per ignem in holocausto; ideo dixit Bellarminus lib. 4. de Eucharistia cap. 24. Quod Sacerdotes nunc faciunt, dum manducant, & bibunt sub specie panis, & vini Corpus, & Sanguinem Domini, respondet consumptioni Victimarum per ignem. Est enim Eucharistia holocaustum, in quo omnia consumebantur, & Victimæ, & libamina; ideo etiam nunc à Sacerdote, cuius est consumere holocaustum, omnia sumuntur.

XVII. *Nulla maior consumptio Sacrificalis quàm Eucharistica.*

Sed quoniam, vt aiebat sanctus Apostolus Andreas: Agnus nostri holocausti talis est, vt licet sit verè sacrificatus, & verè à populo carnes eius manducatæ, integer tamen perseuerat, & viuus, ideo debuit in Isaaci figura non cruentè, sed incruentè præsignari, quam fuisse diximus causam cur Angelus Domini de Cœlo clamauerit: *non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam.*



QVÆSTIO NONA.

Vtrum oblatio Sacrificalis differat formaliter, à simplici oblatione, per realem destructionem.

I. *Sacrificium non est simplex oblatio.*
II. *In quo differunt.*
III. *Sacrificij Etymon.*

IV. *Explicatur*

IV. *Explicatur sententia S. Thomæ.*
V. *Fieri quid significet.*
VI. *Fieri, & facere verba Sacrificalia.*
VII. *Res oblata si maneat integra non est Sacrificium.*



VOD oblatio sacrificalis differat à simplici oblatione, ex vsu scripturarum est manifestum, vt enim rectè Bellarminus lib. 1. cap. 2. contra Caluinum. In Scripturis multa dicuntur Deo offerri, quæ nec secundum vsum Scripturæ Diuinæ, nec communem loquendi modum dici possunt Sacrificari. Exod. 25. & 35. offerenda Deo dicuntur, Aurum, Argentum, Aes, Ligna, & cætera, quæ non nisi absurdissimè Sacrificari dici possent. Rursum Num. 8. Aaron offert Leuitas in munus Domino à filiis Israël, & quidem solemni ritu, & pompa; Et tamen nec Scriptura dicit homines illos Sacrificatos fuisse, nec dici potest; cum solum sint ad ministerium deputati. Oblatio igitur Sacrificalis differt à simplici oblatione. Sed quid est tandem illud, per quod formaliter differt? Quid illi super addit, per quod essentialiter constituitur in tali specie oblationis, quæ sit propria Sacrificij? Profectò non aliud esse potest, nisi destructio.

I. Sacrificium non est simplex oblatio.

II. In quo differunt.

Hæc doctrina videtur mihi expressissima S. Thomæ 2. 2. quæst. 85. & 86. & quidem quæstione 85. art. 3. ad 3. hæc habet. Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur, quod panis frangitur, comeditur, & benedicitur, & hoc ipsum nomen sonat. Nam Sacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid sacrum, oblatio autem directè dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat, sicut dicuntur offerri denarij, vel panes in Altari, circa quos nihil fit; vnde omne Sacrificium est oblatio, sed non conuertitur, primitiæ autem oblationes sunt, quia Deo offerebantur, vt legitur Deutero. 26. non autem sunt Sacrificia, quia nihil sacrum circa eas fiebat. Hæc S. Thomas; ex cuius verbis habemus tria, luce clariora. Primum, quod non omnis oblatio est Sacrificium, illis verbis: Omne Sacrificium est oblatio, sed non conuertitur. Alterum, quid superaddit Sacrificium oblationi, illis verbis. Quando circa res Deo oblatas aliquid fit. Tertium quid significat circa rem oblatam aliquid fieri, illis verbis: sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur, &c. Et quidem quod Sacrificium superaddat rei oblatæ (*fieri*) ostendit ex ethimologia, nam Sacrificium, inquit, dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum, quod autem fieri sacrum significet confici, immutari, consumi, & destrui, non poterat expressius declarare, & probare, quam per exempla Scripturæ, ex cuius vsu, vt rectè Bellarminus lib. 1. cap. 2. omnia omnino, quæ in illa dicuntur Sacrificia, necessario destruenda erant, si viuentia per occisionem, si inanima solida per combustionem, si liquida per effusionem. Quod egregiè tandem confirmatur per id, quod additur de Primitiis, quæ, inquit, non sunt Sacrificia, quia nihil sacrum circa eas *fiebat*. Hic apertè intelligitur quid significet sacrum fieri, nimirum per sacram ceremoniam in Dei honorem immutari, & destrui. Hoc significat *fieri* Si enim per fieri non intelligeret sanctus Doctor, destrui, falsum dixisset, quod circa primi-

III. Sacrificij Etymon.

IV. Explicatur Sententia S. Thomæ.

V Fieri quid significet.

tias nihil ſacrum fieret; recitentur verba Deuteronomij, qui eſt locus citatus à S. Thoma: Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergeſque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius, accedeſque ad Sacerdotem, ſuſcipienſque Sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante Altare Domini Dei, &c. Fiebat hæc oblatio per Sacerdotem in loco Sanctuarij, & ſuper Altare Sacrificiorum, & quidem cum ſacris cæremoniis, quas explicat Abulenſis, eleuando, & deprimendo ſurſum, & deorſum, & ſiniſtrorum ad ſignandum quod Deus, cui illa offeruntur, omnium quæ ſunt ad quaſcumque differentias poſitionis, Dominus eſt. Multa ergo ſacra fiebant in oblatione primitiarum vt Scriptura apertè demonſtrat, & tamen S. Thomas dicit primitias, oblationes quidem fuiſſe, non verò Sacrificia, quia nihil ſacrum circa eas *fiebat*. Ergo ſignum eſt S. Thomam accepiſſe illud *fieri* in ſua proprietate ſacrificali, in qua ſignificat conſumi, & deſtrui. Et ſanè vox illa paſſiua, *fieri*, cum de ſacro ageretur in ea proprietate accipi debuit à S. Thoma, quo accipitur vox actiua *facere*; eſt autem facere, verbum ſacrificale, quod ſignificat ſacro ritu, & cæremonia conſumere, & deſtruere rem aliquam oblatam in honorem Dei, ſatis ſint ſubjecta loca ſacræ Scripturæ Leuit. 15. Sumet duos turtures, dabit eos Sacerdoti, qui *faciet* vnum pro peccato; & rurſus Leuit. 22. ver. 19. *Facietis* & hircum pro peccato, duoſque agnos anniculos. Deuter. 16. *Vt facias* phaſe Domino Deo tuo, ideſt Victimas Paſchales 3. Reg. cap. 3. ver. 15. Stetit coràm Arca, *& fecit*, victimas pacificas. Et rurſum cap. 18. ver. 23. Et ego *faciam* alterum bouem; & ver. 26. Qui cum tuliſſent bouem, quem dederat eis, *fecerunt*. Ezech. 43. ver. 25. Septem diebus *facies* hircum pro peccato quotidie, & vitulum de armento. Rogo iam in omnibus hiſce ſacræ Scripturæ locis, quid eſt facere, quid facere turturem, facere hircum, facere ouem, facere bouem, niſi illa certo ritu mactare, occidere, deſtruere, quod erat ſacrificare? Quod ſi vox actiua facere in Sacrificio, hoc totum ſignificabat, quid mirum ſi idem ſignificet vox paſſiua, fieri, vt ſcilicet non intelligatur aliquid ſacrum fieri circa aliquod, niſi ad occiſionem ſi res viua ſit; & ſi res viua non ſit ad accommodatam aliam conſumptionem, & deſtructionem veniatur.

Leuit. 23.

VI. *Fieri, & facere, verba ſacrificalia.*

Alter locus S. Thomæ quæſt. 86. eſt in corpore Articuli primi, vbi apertè declarat quando aliquid exhibebatur in cultum Dei per ſimplicem oblationem, & quando non ſolum per oblationem, ſed etiam per Sacrificium. Nomen, inquit, oblationis eſt ad omnes res, quæ in cultum Dei exhibentur, ita quod ſi aliquid exhibeatur in cultum Diuinum, quaſi in aliquod ſacrum, quod inde fieri debeat, conſumendum eſt, & oblatio eſt, & Sacrificium. Si verò ſic exhibeatur, vt integrum maneat Diuino cultui deputandum, erit oblatio, & non Sacrificium. Nota expreſſa verba. Quod exhibetur in Sacrificium, conſumendum eſt, quod exhibetur, vt integrum maneat, erit oblatio, & non Sacrificium.

VII. *Res oblata ſi maneat integra non eſt Sacrificium.*

Eſt ergo luce clarior ſententia S. Thomæ, hoc diſcrimen ponentis inter ſimplicem oblationem, & Sacrificium, vt Sacrificium, quod ſine dubio eſt in genere oblationis, ſuperaddat neceſſario realem conſumptionem, ita vt res oblata non maneat integra, ſed iuxtà ſuam conditionem deſtruatur.

QVÆSTIO DECIMA.

Quomodo oblatio Primogeniti omnis creaturæ fuit verè sacrificalis.



IFFICVLTAS oritur ex natura ipsa oblationis sacrificalis. Diximus enim cum S. Thoma, in eo differre oblationem sacrificalem à simplici oblatione, quod simplex oblatio non est per se destructiua rei, quæ offertur, sacrificalis vero est per se consumptiua, & destructiua rei in Sacrificium oblatæ. Iam verò in Sacrificio Crucis ex nulla parte videtur fuisse olatio destructiua, non ex parte Iudæorum occidentium, quia illa occisio non fuit oblatio, neque ex parte Christi se offerentis, quia illa oblatio non fuit sui occisio; de ratione autem oblationis sacrificalis est, vt idem actus, qui est oblatio, sit immolatio. I. *Fundamentum dubitandi.*

Indicat hanc difficultatem S. Thomas 3. parte, quæst. 22. art. 2. vbi quærit, Vtrum Christus simul fuerit Sacerdos, & Hostia. Sacerdotis est, inquit, hostiam occidere, sed Christus non se ipsum occidit, ergo ipse nec fuit simul Sacerdos, & hostia. Quis ergo fuit Sacerdos in illo verissimo, ac perfectissimo Sacrificio? Quod si alius esse non potuit nisi primogenitus ipse omnis creaturæ, vt ostendimus, explicandum est, qua ratione se ipsum obtulerit oblatione sacrificali, cum verè se ipsum non occiderit.

Respondet ergo S. Thomas, ideo se ipsum obtulisse, & quidem oblatione sacrificali, de hac enim est sermo, quia, inquit, se ipsum voluntariè morti exposuit secundum illud Isaiæ 53. *Oblatus est quia ipse voluit.* Tota igitur ratio S. Thomæ, cur illa oblatio in Christo fuerit maximè sacrificalis, est, quia fuit maximè voluntaria, nec solum per modum acceptantis mortem, vt loquitur Caietanus, sed etiam per modum illam causantis. Et quidem quod summè spontanea, & voluntaria fuerit mors Christo per modum obiecti acceptati, & amati, satis probant indicia ex verbis eiusdem Isaiæ: *Oblatus est quia ipse voluit, & non ape-* II. *Vnde habuit oblatio Christi vt esset sacrificalis.* III. *Oblatio Christi*

fuit voluntaria per modum obiecti, & per modũ effectus.

ruit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum, quantum voluntatis indicium est, obmutuisse, & quod bis Propheta repetit, os suum non aperuisse; & non aperuit os suum, in acri illa tonsione, qua non lana, & vestis, sed pellis, immò sanguis, & vita, flagellis, clauis, & plagis illi detonsa, & abrasa sunt, vt ait Cornelius; non gemuit, non quæstus est, non obstrepuit, non restitit, quare? Quia victima facta est planè voluntaria. Quod vero mors illa voluntaria Christo fuerit non solum per modum objecti spontaneè acceptati, & amati, sed etiam per modum effectus aliquo modo procedentis ab ipsamet voluntate Christi. Ex eo patet, quia voluntas humana Christi, saltem vt instrumentum Verbi poterat impedire, & facere ne mortis instrumenta corpus læderent, & corpore etiam perfosso, ac vulnerato potuisset vitam adhuc retinere, & ad arbitrium conseruare, quod singulare fuit in Christo, propterea Ioan. 10. dixit, voluntate Sacerdotali, & potestate, qua Sacerdos erat in æternum: ***Pono animam meam, vt iterum summam eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam, à me ipso potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam;*** & quidem in argumentum huius potestatis, cum Sacrificium illud in Ara Crucis obtulisset, & consummatum iam declarasset, prius quàm spiritum traderet vltrò, illi, cui commendauerat. Inclinauit caput; *& inclinato capite* ait Euangelista, *tradidit spiritum.* Cæteri homines non ante, ipsi caput inclinant, ait S. Cyrillus lib. 12. cap. 76. sed potius per mortem, spiritu, & vigore omni deficiente, caput suo pondere declinant, nimirum, ait Athanasius in Quæstionibus ad Antioch. quæst. 76. Sola mors adhuc restabat, atque hæc metuens appropinquare non audebat, ideo Christus inclinato capite vocauit eam, antequam enim inclinasset caput, propius accedere verebatur. Quibus verbis clarè ostendit Athanasius à corpore quantumuis perforato, & vulnerato, nunquam animam discessuram fuisse, nisi Dominus illam vltrò tradidisset. Ex quibus planè constat, quo sensu oblatio suæ vitæ in Christo, non fuit simplex oblatio, sed verè sacrificalis.

IV. *Cur Martyrum oblatio non sit Sacrificalis.*

Verum hic insurgit quæstio non ignobilis, & quam nostri Doctores solent agitare super quæst. 22. S. Thomæ, quæ est de Sacerdotio Christi: Cur oblatio Martyrum, qua se morti ob Dei honorem obtulerunt, non fuerit Sacrificalis. Quandoquidem ad huiusmodi oblationem non est necessarius concursus actiuus ad propriam destructionem, & quamuis mors Martyrum fuerit Deo oblata ex fortitudine, & charitate, nihil tamen repugnat quo minus offeratur ex virtute, & cultu Religionis; nam Passio ipsa Christi, licet fuerit actus Religionis, participauit etiam multas alias virtutes, & nominatim fortitudinem, & charitatem, vt rectè Bellarm. lib. 1. cap. 3.

V. *Communis responsio examinatur.*

Communis nostrorum Doctorum responsio est, quam sequitur P. Suarez disput. 46. Sect. 1. Aliter mortem fuisse voluntariam Martyribus, & aliter Christo, quia Martyres non poterant Tyrannos impedire, ne tormentis eos afficerent, neque poterant in ipsis tormentis vitam suam tueri, & conseruare, & sicut non poterant mori quando volebant, ita nec impedire mortem quando volebant: Christus autem vtrumque habuit in sua voluntate, & potestate, propter quod peculiari modo dicitur posuisse animam suam, & oblatus fuisse, quia voluit. Quæ doctrina sine dubio est Caietani tentaculo tertio, vbi assignat diffe-

rentiam inter Christum, & Martyres ex parte oblationis, his verbis. Oblatio Christi fuit secundum substantiam oblationis, voluntaria, hoc est mortuus est, quia ipse voluit, non solum per modum acceptantis, sed per modum causantis pro quanto in potestate animæ suæ erat, prohibere mortem suam corporalem, quia erat anima glorificata, & noluit fieri huiusmodi prohibitionem, vnde singularissimè scriptum est hoc voluntarium Isai. 53. oblatus est, quia ipse voluit, &c. reliquorum autem Martyrum oblatio non fuit voluntaria quoad substantiam, quia non erat in potestate eorum mori, vel non mori, quamuis in potestate eorum quandoque fuerant circumstantiæ moriendi, puta locus, tempus, modus, non fuit, inquam, voluntaria, nisi per modum acceptantis in quantum acceptauerant mori pro honore Dei.

Hæc responsio nunquam mihi plena visa est, quia ad veram oblationem sacrificalem, modò cætera omnia adsint, non est necessaria voluntas cum potestate ponendi animam suam eo modo, quo explicatum est, sed abunde sufficit voluntaria mortis admissio, & susceptio, id quod mihi planè persuadeo hoc argumento. Quia oblatio Isaac, qua suam destructionem, & mortem acceptauit non fuit simplex oblatio, sed verè, & in toto rigore fuit oblatio sacrificalis, ita vt si occisio non fuisset cœlitus impedita, fuisset in omnium sententia verum, ac rigorosum Sacrificium, & tamen illa voluntaria oblatio non erat conjuncta cum potestate moriendi, aut non moriendi, maiori quàm plures Martyres habuerunt. Nam Isaac verè ligatus fuit, dicente Scriptura Genes. 22. *Cumque alligasset Isaac*, vnde nec potuisset fugere si voluisset, nec erat in sua potestate vitam retinere, & ideo iuxtà sensum Caietani, non fuisset illi mors voluntaria quoad substantiam, quia non fuisset in potestate eius mori, vel non mori; ergo ratio cur mors Martyrum Sacrificium non fuerit, nullo modo est, quia caruerunt voluntate, cum illa potestate conjuncta, quandoquidem sine tali conjunctione potestatis, verè mors Isaac Sacrificium fuisset.

VI. *Nostra ratio proponitur, & probatur.*

Vera igitur responsio, cur oblatio Martyrum non fuerit sacrificalis, illa est, quia non fuit Sacerdotalis. Non ergo ex defectu sufficientis voluntarij, illorum mors Sacrificium non fuit, sed ex defectu Sacerdotij, Sacrificium enim est formaliter, & essentialiter actus Sacerdotis: est autem Sacerdotium potestas legitima ad offerendam talem, & talem victimam à Legislatore præscriptam, & quia Martyres nunquam fuerunt assumpti, & constituti, vt se ipsos tanquam victimas in Dei cultum offerrent; ideo nunquam tale Sacerdotium habuerunt. Fuerunt quidem veteres Sacerdotes ordinati ad offerendas victimas figurales; fuerunt, & sunt in lege noua Sacerdotes constituti ad offerendum Corpus, & Sanguinem Domini, sed homines constituti ad sacrificandos se ipsos, nunquam fuerunt; ideo nunquam fuit tale Sacerdotium. Solus Christus constitutus fuit Sacerdos ad sacrificandum se ipsum, & in vno solo Isaac huius Sacerdotij figura præcessit, quatenus in vno, eodemque supposito facta fuit conjunctio Sacerdotis, & Victimæ, quæ in diuersis suppositis quando alia Sacrificia offerrebantur, repræsentabatur; nam qui Agnum immolabat, gerebat figuram Christi, vt Sacerdos est, Agnus verò immolatus ab immolante distinctus gerebat typum eiusdem Christi, vt victima Mundi est, vnus Isaac constitutus à Deo fuit, vt in figura Christi, Sacerdos simul & victima esset; vnde in ea proprietate, qua cætera

VII. *Inter omnes Martyres solo Isaac fuit sacrificalis.*

antiqua Sacrificia figuralia, ex legitima institutione vera Sacrificia erant, ita si occisio sequuta fuisset, Sacrificium Isaaci verum ac propriè dictum Sacrificium fuisset. Cum ergo hoc Sacerdotium realiter in vno Christo fuerit, & figuraliter in vno fuerit Isaac, nullo autem modo in Martyribus fuerit; apertè sequitur ex

VIII. *Vbi non est Sacerdotium ibi non est Sacrificium.*

carentia huiusmodi legitimi Sacerdotij, Martyrum oblationes Sacrificia non fuisse; quæ ratio vsque adeo vera est, vt si Christus, qui Sacerdos à Patre factus est, non enim, vt ait Apostolus ad Hebræos 5. *Semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum: tu es Sacerdos in æternum.* Si, inquam Christus siue per possibile, siue per impossibile non fuisset à Patre Sacerdos factus, illa eadem voluntaria oblatio conjuncta cum potestate ponendi animam suam, ex defectu nimirum Sacerdotij non fuisset Sacrificium, quia Sacrificium est actus legitimus publicam potestatem habentis; ergo impossibile est esse verum Sacrificium vbi non est verum Sacerdotium; vnde Augustinus semper conjungit hæc duo tanquam inseparabilia, Sacrificium, & Sacerdotium, vt videre est Epist. 49. quæst. 3. lib. 8. de Ciuit. cap. vltimo, & lib. 22. cap. 20. & Bellarminus asserit non alia de causa Lutheranos non agnoscere in Ecclesia verum, & propriè dictum Sacerdotium, nisi quod non agnoscunt verum, & propriè dictum Sacrificium: neque huic communi doctrinæ repugnat P. Vasquez disput. 83. & 85. dum ait in lege naturæ victimas à quocumque homine propria voluntate oblatas, verè, & propriè fuisse Sacrificia, non tamen verè, & propriè fuisse Sacerdotes, nisi illos, qui ad id muneris publica authoritate erant constituti, vbi videtur admittere verum Sacrificium sine vero Sacerdotio. Non inquam repugnat, quia loquitur de Sacrificio tanquam de actu priuato, & de Sacerdotio tanquam de potestate publica, quod quàm rectè dictum sit alibi videbimus. Cæterum impossibile est, vt sit verum Sacrificium tanquam actus publicus, & non sit à legitimo, & publico Ministro publicam potestatem ad id habente, vt ex ipsa Sacrificij definitione communi est manifestum.

Concludimus ergo, defectum voluntarij à Caietano, & aliis explicati, si cætera, quæ ad Sacrificium requiruntur, adsint, non impedire quo minus oblatio Martyrum Sacrificium sit; sicut nec illius voluntarij præsentia quidquam iuuat, si cætera quæ ad Sacrificium requiruntur desint. Inter quæ sine controuersia *Sacerdotium* relatum ad talem victimam, est, quo Sacerdotio sic relato quia carent Martyres, propterea illorum oblatio quocumque modo voluntaria ponatur, Sacrificium non est.





QVÆSTIO VNDECIMA.

Vnde sumendum est initium Sacrificiorum primogeniti omnis creaturæ.

I. *Sacrificium Christi ab origine Mundi.*
II. *Sacrificium cruentum inchoatum, & consummatum in Cruce.*
III. *Altare & Sacrificium reciproquantur.*
IV. *Crux Christi Altare.*
V. *Sacrificium Crucis inchoatum à primo instanti conceptionis.*
VI. *Actus oblationis nunquam interruptus, aut mutatus.*
VII. *Operatio nostræ salutis per modum Sacrificij ab initio.*
VIII. *Quæ actio Sacrificalis postulabat per se Altare.*
IX. *Altare est locus vbi Sacrificium consummatur.*
X. *Christus ad Ostium Mundi, Hostia pro peccato.*
XI. *Oblatio cœpta statim.*
XII. *Tota Vita Christi oblatio Sacrificalis.*
XIII. *Quando inchoatum fuit Sacrificium incruentum.*
XIV. *Inchoatio Missæ in vtero Virginis.*
XV. *Vox Hostiæ incruentæ.*
XVI. *Christus fuit Victima non accidentaliter, sed substantialiter.*
XVII. *Cur Christus fuit præcipuè Agnus indigitatus.*
XVIII. *Christus fuit semper Panis sacrificalis.*
XIX. *Alia est ratio de oblatione alia de Institutione.*



DVPLEX obtulit Sacrificium Mundi Pontifex, Alterum cruentum, quod dicitur Sacrificium humanæ Redemptionis alterum incruentum, quod Sacrificium vocatur Christianæ Religionis: Quæritur ergo, vnde cœpit exordium vtriusque Sacrificij.

Et sanè si in vtriusque Sacrificij pompam, & longam mysteriorum agmen oculos conjiciamus, licebit profectò asserere inchoatum vtrumque fuisse ab origine Mundi, quia verè ab ipso Mundi principio prodire cœperunt illorum Typi, & figuræ, ad eum saltem modum, quo in solemni, ac frequentissima illa supplicatione, quæ fit in festo Corporis Domini, dicimus Corpus Domini tunc incipere circum gestari per Vrbem, curru prodire incœperint vexilliferi, & Tubicines ipsi procedere; quamquam quandoque fiat, vt quo tempore incipit progredi pompa, ne inchoatum quidem sit sacrum, in quo ipsum Domini Corpus circum gestandum conficitur. Cum ergo omnia antiqua Sacrificia ad pompam Sacrificiorum Christi pertinuerint, dici non incongruè potest etiam ante Incar-

I. *Sacrificium Christi ab origine Mundi.*

nationem illa celebrari cœpiſſe, vt ſicut vnus, idemque Chriſtus in Agnis typicis cœpit mactari ab origine Mundi, vt habetur in Apoc. cap. 13. ita in omnibus illis typicis Sacerdotibus ſacrificantibus, ipſe, qui Sacerdos eſt vnicus in æternum, cœperit ſacrificare.

Verum vt nihil de figuris, ac vmbris, ſed de veritate ipſa propius agamus, & ne de veritate ipſa vtriuſque Sacrificij permixtim, & confusè, ſed disjunctim, diſtinctéque diſſeramus, Age, vnde ſumendum eſt initium Sacrificij Crucis, ſiue humanæ Redemptionis.

Triplex huius Sacrificij initium conſiderari poteſt, & tripliciter ſumi. Primo, vt idem fuerit initium Sacrificij cum initio mortalis vitæ, & humanæ conceptionis. Secundo, vt idem fuerit initium Sacrificij cum initio capturæ, & extrinſecæ paſſionis. Tertio, vt idem fuerit initium Sacrificij cum initio Crucifixionis. P. Suarez in 3. parte quæſt. 48. art. 3. videtur ſentire illud tantùm propriè, & intrinſecè pertinuiſſe ad rationem Sacrificij Redemptionis, quod Chriſtus à Crucifixionis initio ad mortem vſque paſſus eſt. Cuius ſententiæ fundamentum duplex eſſe poteſt. Primum à natura Sacrificij, quia de ratione Sacrificij eſt, vt victima ita conficiatur, & immutetur in honorem Dei, vt ſi viuens eſt, occidatur, & ſic eius vita in ſupremum Dei cultum deſtruatur, & conſumetur. Hoc autem in Cruce tantùm propriè, & in rigore factum eſt, quia ibi Agnus Sacrificij noſtri accepit vulnera lethalia, & ad illius mortem proximè ordinata. Vnde Apoſtolus ad Heb. 13. dixit: *Vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt,* indicans, ait Suarez in myſterio Crucis, quod extra portam peractum eſt, oblatum fuiſſe hoc Sacrificium, cæteroquin ſatis multa, & ſatis dura etiam intra portam paſſus eſt. Et iuxtà hunc eundem ſenſum rectè dicitur Chriſtus portans Crucem, fuiſſe ſignificatus in Iſaac portante ligna ad Sacrificium, quia Sacrificium non niſi in monte ad id deſtinato inchoatum propriè videtur, & fauet Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. agens de Sacrificio Chriſtianæ Religionis, inſtituto in nocte Cœnæ; & ſi ſemel, inquit, ſe ipſum in Ara Crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, &c. vbi verbum illud, *Oblaturus*, oſtendit oblationem propriè ſacrificalem factam non fuiſſe antequam eſſet in Ara, & Altari Crucis.

II. *Sacrificium cruentum quãdo inchoatum, & conſumatum in Cruce.*

Ex quo alterum fundamentum ſumi poteſt à connexione videlicet Sacrificij, & Altaris, quæ vt oſtendit Bellarminus lib. 1. cap. 2. Hebraicè, & Græcè ab eadem radice deducuntur, & omnino ita relatiua ſunt, & connexa inter ſe, vt nullum Sacrificium ſit ſine Altari, nec Altare ſine Sacrificio, vt docet S. Auguſtinus lib. 20. Contra Fauſtum cap. 21. id quod vſque adeo verum exiſtimatur, vt Catholici Doctores contra Philippum Melancthonem Hæreticum, docentem Sacrificium eſſe quamlibet ſacram cæremoniam, vel opus factum in honorem Dei, ex eo potiſſimum inſurgant; quia conſtat Altare non erigi pro quacumque ſacra cæremonia, & pro omni opere bono facto in honorem Dei; vnde inferunt non omne tale opus eſſe propriè Sacrificium. Quod argumentum in tantum habet vim, in quantum tanquam certum habeatur Altare, & Sacrificium ita reciprocari, vt vnum ſine alio nunquam inueniatur. Ex hac autem connexione fit, vt illud tantum Myſterium Paſſionis intelligatur pertinere ad Sacrificium, quod per ſe habuit Altare. Hoc autem, Myſterium mortis fuit, quod in Cruce, tanquam

III. *Altare, & Sacrificium reciprocantur.*

tanquam in vera Ara, & Altari perfectum est. Vnde S. Leo Epist. 83. ad Episcopos Palæstinos circa medium: Altare hoc cum hoc Sacrificio conjungens, *quod vnquam*, inquit, *Sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus Pontifex Altari Crucis per immolationem suæ carnis imposuit?* quæ etiam eadem sæpè conjunxit Trident. vt Sess. 22. cap. 2. vbi ait, in Diuino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui *in Ara Crucis* semel se ipsum cruentè obtulit. Neque verò per quandam metaphoram, & tropum, sed per summam proprietatem Patres, & Concilia, Crucem appellarunt Altare: quia cum Altare nihil aliud sit nisi locus proximus ritè deputatus, & destinatus Sacrificio, sequitur cum tanta proprietate Crucem dici Altare, cum quanta mors Christi dicitur Sacrificium. Hanc autem dici verè, ac propriè Sacrificium testatur Apostolus in Epistola ad Hebr. per multa capita, & S. Augustinus lib. 1. contra Aduers. legis, & Prophetarum cap. 18. & est certum de Fide. IV. *Crux Christi altare.*

Hæc argumenta euidenter probant Sacrificium Redemptionis non fuisse consummatum ante Mysteria Caluariæ Montis: cæterum non videntur probare, ne inchoatum quidem fuisse ante illa Mysteria. Immò hoc Sacrificium non fuisse primo in Cruce inchoatum, sed multo ante, & ab ipso etiam vtero Virginis Matris, ita vt tota Christi Vita fuerit vnum, idemque continuatum Sacrificium, quod tandem in Cruce consummatum fuit, videtur mihi esse sententia S. Thomæ, & Sanctorum Patrum, & valde conformis sacræ Scripturæ. V *Sacrificiũ Crucis inchoatum à primo instanti conceptionis.*

Ratio autem, quæ me maximè mouet illa est, quia tunc primo verè, & in omni rigore incipit Sacrificium quodcumque; cum incipit ille idem formalissimus actus, quo tandem completur, & consummatur ipsum Sacrificium, sed actus, quo Sacerdos Christus compleuit, & consummauit Sacrificium in Cruce, ille idem numero, cœpit ab instanti conceptionis in vtero Virginis, ita vt si quæras instans incœptionem talis actus sacrificalis, nullum inuenies præter instans conceptionis; ergo idipsum Sacrificium consummatum in Cruce, incœpit in toto rigore à primo instanti conceptionis. Maior propositio est per se nota. Cum enim Sacrificium sit actio quædam, quæ tempore aliquo mensuranda est, suscipiente magis, & minus, non video quando cum maiori proprietate, & rigore dicendum sit incipere Sacrificium, nisi quando incipit ille formalissimus actus, qui nulla interruptione posita, est tandem completiuus, & consummatiuus Sacrificij, siue talis actus longiori, siue breuiori tempore mensuretur. Neque enim Sacrificium est opus indiuisibile, & instantaneum, sed vnum Sacrificium potest diutius alio durare, in eo sensu, quo Aduersarij ipsi fatentur Sacrificium Crucis, quod tribus nimirum horis consummatum fuit, diuturnius fuisse quàm Sacrificium Cœnæ.

Iam verò quod actus, quo Sacerdos noster compleuit, & consummauit Sacrificium in Cruce, ille idem numero incœperit ab instanti conceptionis. Ex eo probo, quia nullum mihi aliud assignabis tempus, in quo incœperit, assignabis: assigna tempus, ais, quo in Crucem ascendit, tunc enim oblatione sacrificali ordinauit se ipsum ad destructionem, sed contra est, quia illa oblatio sacrificalis, qua se ipsum ordinauit ad destructionem, & mortem Crucis, non fuit nouus actus, sed ille antiquus, & primus, cum quo intrauit in Mundum, nunquam in tota via interruptus, & discontinuatus; ergo actus ille non incœpit primo quando VI. *Actus oblationis nunquam interruptus, aut mutatus.*

aſcendit in Crucem, & quidem quod fuerit ille antiquus, & primus, manifeſtum eſt ex Apoſtolo ad Hebr. 10. vbi poſt mentionem victimæ conſecratæ, & aptatæ ad Sacrificium: *Corpus autem aptaſti mihi*, refert actum ſacrificalis oblationis, *tunc dixi: ecce venio*, ad Paſſionem videlicet, & mortem, vt explicat S. Thomas. Quod verò talis actus nunquam fuerit mutatus, aut diſcontinuatus, ex eo patet, quia ad hoc neque cogebat neceſſitas humanæ conditionis, neque impellebat bonitas alterius actus perfectioris; non cogebat neceſſitas, quia actus in Chriſto, non à ſenſibus, & phantaſmatis, ſed ſola ſcientia per ſe infuſa dependebant; ideoque pari facilitate in ſomno, atque in vigilia exerceri poterant, non alliciebat bonitas alterius actus perfectioris, quia ille actus oblationis, quo dixit: *Ecce*, tantæ fuit perfectionis, vt nullus actus in Chriſto fuerit perfectior, adeo vt Apoſtolus noſtram illi redemptionem, ac iuſtificationem ſpeciatim aſcribat, & in ea nos voluntate ſanctificatos affirmet; vnde noſter Cornelius ex communi Doctorum in 3. par. quæſt. 34. art. 3. ait, Chriſtum, illum oblationis actum noſtræ ſalutis meritorium, deinceps vſque ad mortem continuaſſe, ita vt idem continuò per totam vitam meritus ſit vnico continuato merito, quod in morte ipſius ita volente, & ſtatuente Patre perfectum eſt; ex quo adhuc nouum ſumitur argumentum in confirmationem noſtræ ſententiæ, quia Chriſtus operatus eſt totam noſtram ſalutem per modum Sacrificij; ergo tunc cœpit Sacrificium, quando cœpit operatio noſtræ ſalutis, ſed operatio noſtræ ſalutis cœpit per primam illam oblationem, qua dixit: Ecce venio; ergo tunc etiam primo cœpit Sacrificium.

VII. *Operatio noſtræ ſalutis per modum Sacrificij ab initio.*

VIII. *Quæ actio Sacrificalis poſtulabat per ſe Altare.*

At Sacrificium externum, & propriè dictum poſtulat Altare; ergo extrà Altare non eſt Sacrificium, ſed Sacrificij Redemptionis humanæ ſola Crux eſt Altare; ergo extrà Crucem non fuit propriè oblatum tale Sacrificium.

Admitto Sacrificium propriè dictum poſtulare Altare, ſed aio ex vſu Scripturæ illud poſtulare tanquam locum, in quo ipſum conſumetur, & perficiatur, non verò neceſſario tanquam locum, in quo ipſum inchoetur: quare vt infra monebimus nullum Sacrificium conſumare in lege licuit extrà Altare, quamuis id ipſum formaliſſimum Sacrificium, extrà illud inchoare ſemper licuit. Hinc in toto Leuitico, & præcipuè capite 4. vbi deſcribuntur hoſtiæ pro peccato, obſeruare licet tres actiones præcipuas ſacrificales. Prima erat, Victimæ adductio ad oſtium Tabernaculi, vbi prima fiebat oblatio per ſolemnem manuum impoſitionem, vnde de Sacrificio pro peccato populi, quod fuit principalis typus expiationis culpæ totius generis humani, dicitur: *Offeret pro peccato ſuo vitulum, adducetque eum ad oſtium Tabernaculi, & ponent Seniores populi manus ſupra caput eius coràm Domino.* Secunda actio erat Victimæ immolatio, ſeu iugulatio, & occiſio iuxtà varios ritus à lege præſcriptos. Vnde ſubditur: *Immolatoque vitulo in conſpectu Domini, &c.* Tertia, eiuſdem Sacrificij conſummatio per ignem: *Omnemque eius adipem tollet, & adolebit ſuper Altare.*

Ex his tribus ſacris cæremoniis, quæ vnicam Sacrificij cæremoniam integrabant ſola conſumptio poſtulabat Altare. Nam prima de manuum impoſitione, per quam in Sacrificio dicto, Seniores populi repræſentantes vniuerſas Tribus Iſraël peccata omnium, victimæ pro te oblatæ imponebant, fiebat ad oſtium Tabernaculi; hoc eſt ad introitum Atrij Sacerdotum; nam intra Atrium Sacer-

dotum, vbi erat Altare omnium Sacrificiorum non poterat ingredi populus offerens. Altera cæremonia, quæ multiplici ritu in victimæ iugulatione, & immolatione posita erat, neque exercebatur super Altare; vnde de Victima Holocausti expressè dicitur Leuit. cap. 1. ver. 11. *Immolabitque ad latus Altaris, quod respicit ad Aquilonem coram Domino*, & vniuersaliter loquendo, ait Abulensis aspergebatur Altare sanguine Victimæ, postquam illæ alibi essent immolatæ. Sola tertia cæremonia, quæ erat totius Sacrificij consummatio, fiebat super Altare, vnde Leuit. 1. 1. post enumerationem multorum, quæ circa Victimam holocausti fieri debebant extrà Altare, concluditur: *Adolebitque ea Sacerdos super Altare in holocaustum, & suauem odorem Domino.*

IX. *Altare est locus vbi Sacrificium consummatur.*

Respondemus ergo Sacrificium humanæ Redemptionis fuisse quidem consummatum in Cruce, vt reliqua omnia Sacrificia figuratiua in suo Altari. Sed ab ipso in Mundum introitu, & quasi ad ostium Tabernaculi, quod teste Philone Mundum totum repræsentabat, dicimus fuisse inchoatum.

X. *Christus ad ostium Mundi Hostia pro peccato.*

Atque hic animum subit dulcis æquè, & amara cogitatio super illis verbis Apostoli ad Hebr. 10. *Ideo ingrediens Mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*: quasi diceret ad hoc vsque tempus ad ostium Tabernaculi adducebantur victimæ pro peccatis, quæ victimæ omnes, mei corporis victimam promittebant. Omnia antiqua Sacrificia ait Anselmus erant quasi verba promittentis, nunc verò quoniam corpus victimæ aptasti mihi, ecce ego in hoc ingressu in Mundum, quasi ad Tabernaculi ostium accedo, suscepturus in me peccata totius Mundi: hæc planè fuit noua lex hostiæ pro peccato. Quia holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, hoc est hostiæ illæ antiquæ, ideo Pater, quod testatur Apostolus 2. Corinth. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, hoc est, filium innocentem, & immaculatum, fecit pro nobis hostiam pro peccato, ne nos quasi victimæ piaculares, illud æterna morte, & igne lueremus, hic est sensus germanus huius loci ex phrasi Scripturæ, vt rectè Cornelius ex Ambrosio, Theophilacto, Anselmo, & aliis; scriptura enim sæpè ipsam victimam piacularem, & expiatricem peccati, metonymicè peccatum vocat, eo quod in hostiam piacularem tota peccati pœna, noxa, & vltio transcribatur, atque hoc omnino significabat cæremonia illa impositionis manuum super victimam, per quam censebatur illa suscipere in se peccata totius populi, hoc est illorum pondus, pœnam, & vindictam. Manuum enim impositio, ait Eusebius lib. 1. de dem. Euan. cap. 10. Symbolum oblationis erat, & testimonium reatus in hostiam translati. Atque hoc planè significauit Isai. cap. 53. *Posuit*, inquit, *Deus in eo iniquitates omnium nostrum*, quod perinde fuit, ac dicere: posuimus omnes nos manus nostras super caput eius, Seniores populi, & Iuniores, pusilli, & magni, infantes ipsi, quorum est vnius diei vita super terram.

XI. *Oblatio cœpta statim.*

Itaque in ipso statim aditu, vitæque vestibulo, in quo Corpus immolationi aptatum fuit, vt loquitur S. Thomas. Inchoata statim est eius oblatio sacrificalis, quid enim prohibebat, quo minus statim inciperet, quid erat expectandum, numquid eidem, qui simul erat Sacerdos; opus erat dicere: *vbi est victima holocausti?* Aderat nimirum *caro Sacrificij nostri*, vt verbis vtar Augustini lib. 4. de Trinit. cap. 24. *Corpus effectum Sacerdotis nostri*. Prodiit ergo ex vtero iam factus

victima, peccatis Mundi onusta, quam agnouit Ioannes, cum ait: Ecce Agnus Dei; Agnus filium notat, ait Clemens Alexandrinus. Ecce qui tollit peccata Mundi, quasi victima Mundi, atque hoc modo, vt disertè affirmat S. Petrus. 1. Epist. cap. 2. ver. 24. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, hoc est tanquam victima piacularis totius Mundi, baiulauit, vt vertit Syrus, omnia peccata Mundi, eaque sustulit in corpore suo ad Crucem, vbi tanquam super Altari Sacrificium humanæ redemptionis consummatum est.

XII. *Tota Vita Christi oblatio Sacrificalis.*

Non omittam ad extremum addere, sententiam hanc de perpetuo Christi Sacrificio per totam vitam semper, & vbique producto, fuisse sententiam S. Thomæ pluribus in locis. Indicabo vnum communiter inobseruatum 3. par. quæst. 22. art. 1. ad primum, docet, Christum excellentiori modo Hierarchicam, seu Sacerdotalem potestatem præ Angelis habuisse, ita etiam, inquit, quod ipsi Angeli fuerunt Ministri Sacerdotij eius. Quod autem Angeli Ministri fuerint Sacerdotij eius, non aliunde probat, quàm ex Matthæi cap. 4. Secundum, inquit, illud Matthæi, *accesserunt Angeli, & ministrabant ei*; mirabar qua consequentia S. Doctor in aptandis Scipturæ locis solertissimus, hanc Euangelistæ authoritatem ad Angelos Sacerdotij Christi Ministros comprobandos, attulisset, sed quod planè mecum ipse reputabam, hoc expressè apud Caietanum tandem inueni in 3. par. Considera, inquit Caietanus, quod tota Vita Christi in terra fuit oblatio pro humano genere, & propterea Angeli Christo post ieiunium, & tentationem ministrantes in his, quæ ad refectionem corporis spectabant, Ministri Sacerdotij Christi dicuntur. Hæc ille. Quod si summus, & vnicus Mundi Pontifex Christus Iesus, *in diebus carnis suæ non solum preces, supplicationesque pro nobis offerebat*, vt testatur Apostolus ad Hebr. 5. quæ oblatio, ait S. Thomas erat actus Sacerdotij eius, respondens ei, quod dictum erat, *vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* Si, inquam, non solum in precibus, & supplicationibus, sed siue manducaret, siue biberet, siue aliud quid faceret, semper in summum Patris cultum, & gloriam pro totius Mundi salute, se ipsum Sacerdos idem, & victima offerebat. Licebit, & hoc quoque asserere, Pontifici Mundi, vbique pro potestate excellentiæ offerenti, ipsam totam terram fuisse Altare, quamuis conuenientissimum fuerit, vt pro eodem Sacrificio tandem perficiendo, certus eligeretur locus in Medio terræ, vbi erigeretur Altare, nam Golgotha, ait S. Cyrillus medium est terræ; neque mea, inquit, est sententia, Propheta dicit: operatus est salutem in medio terræ.

XIII. *Quando inchoatum fuit Sacrificium incruentum.*

Hactenus disseruimus de Sacrificio cruento, quod in propria, ac naturali specie viuentis peractum est. Quærimus hoc idem nunc de Sacrificio incruento, & sub exteriori specie non viuentis oblato, vnde illius initium sumendum est; an scilicet inchoatum, & ipsum fuerit in vtero Virginis, vbi cruentum inchoatum diximus. Et sanè si rectè ratiocinabimur, eadem ferè apparebit ratio de vtroque Sacrificio, nam quemadmodum actus, quo se Christus Dominus à primo suæ conceptionis instanti obtulit se destruendum in Cruce sub naturali specie viuentis in Sacrificium Redemptionis, fuit actus verè sacrificalis, & ipsius inchoatio Sacrificij Crucis, ita actus, quo ab eodem conceptionis instanti obtulit se consumendum sub specie non viuentis in Altari in Sacrificium perpetuum Christianæ Religionis, fuit pariter actus verè sacrificalis, & ipsius inchoatio Sacrificij

Altaris. Quod verò vtrumque actum oblationis Christus Dominus in primo illo instanti elicuerit, videtur mihi satis insinuatum ab Apostolo ad Hebr. 10. vbi ait. *Ideo ingrediens Mundum dicit, Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi: ecce venio.* Ex hoc loco habemus corpus Christi non solum esse aptatum in illo primo instanti in hostiam Sacrificij cruenti, sed etiam in oblationem Sacrificij incruenti: Est autem hæc differentia inter hostiam; & oblationem, vt docet S. Thomas super hunc locum, quod hostia est res viuens, vt Agnus, oblatio est res non viuens, vt Panis, ideo sub nomine hostiæ comprehenduntur omnia Sacrificia cruenta, sub nomine verò oblationis omnia incruenta. Cum igitur in primo instanti aptatum fuerit Christo corpus, non solum pro hostia, sed etiam pro oblatione, hinc fit, vt cum dixit: *Ecce venio*, non solum obtulerit se hostiam in Sacrificium cruentum, quod semel in Cruce consummandum erat, sed etiam obtulerit se oblationem in Sacrificium incruentum, quod consummandum infinities erat in Ecclesiæ Altaribus vsque ad consummationem Mundi. XIV. *Inchoatio Missæ in vtero Virginis.*

Fauet huic nostræ expositioni summopere Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 20. vbi agens de Sacrificio Ecclesiæ incruento: Mensa, inquit, quam Sacerdos noui Testamenti exhibet de corpore, ac sanguine suo est, id est enim Sacrificium quod successit omnibus Sacrificiis, quæ immolabantur in vmbra futuri: *propter quod etiam agnoscimus vocem illam eiusdem Mediatoris, corpus autem aptasti mihi;* quia pro omnibus illis Sacrificiis, & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur. Vides ex hoc loco Augustini quemadmodum vox illa: *Ecce venio*, fuit vox Mediatoris suum corpus offerentis in vtrumque Sacrificium, cruentum, & incruentum, ideoque ad vtrumque corpus aptatum accepisse, vt non solum ab illo instanti fuerit vera hostia cruentè immolanda, sed vera etiam oblatio offerenda incruentè. XV. *Vox Hostia incruenta.*

Atque hoc loco obseruare libet magnum discrimen inter Corpus Christi, & corpus aliarum quarumcumque rerum, quæ olim offerebantur in Sacrificio: nam Agnus exempli gratia non habebat corpus aptatum ad Sacrificium, quasi corpus illud fuerit ex propria natura corpus victimæ; neque enim Agnus concipiebatur, aut nascebatur victima Sacrificij, sed contingenter certo ritu, & cæremonia mysterium continente, ex prophano fiebat Sacer, & Deo dicatus; hinc Agnus erat victima accidentaliter. At verò Corpus Christi hoc singulariter habuit, vt primo, & per se, seu ex primaria intentione Agentis, & per substantialem actionem illius ad hunc finem per se ordinatam, productum fuerit corpus victimæ, planè factum immolationi: Quare Christus non fuit accidentaliter, sed substantialiter victima: atque adeo semper, & vbique fuit victima. Vnde de eo canit Ecclesia, *quod è Virginis sacrario intacta prodit victima.* Prodit, inquit, iam factus, & in primo ipso instanti conceptus victima. XVI. *Christus fuit Victima non accidentaliter sed substantialiter.*

Hinc Christus non solum in Ara Sacrificij fuit Agnus, sed toto vitæ tempore ideo à Io. Baptista multo ante Sacrificium etiam cum ambularet singulariter monstrabatur: *Ecce Agnus Dei,* Neque prætereunda hoc loco videtur obseruatio S. Thomæ in cap. 1. Ioan. quare Baptista testimonium Christo perhibens, Agnum specialiter nominauit, quia, inquit, cæteræ victimæ, erant certi temporis, at Agnus erat victima omnis temporis, nam vt habetur Numer. 24. licet alia XVII. *Cur Christus fuit præcipuè Agnus indigitatus.*

fierent Sacrificia in Templo certis temporibus, vnum tamen erat quotidianum, atque perpetuum, in quo iugiter vnus Agnus manè, & alius Vespere offerebatur. Alia verò ex adjuncto, quæ responsio illustrat quoque quod dicimus, videlicet Christum Dominum nunquam non fuisse victimam Sacrificij sui, & nunquam non sacrificalem sui oblationem continuasse, vt sicut ad vesperam vitæ, Sacrificium obtulit vespertinum, ita in eiusdem vitæ primordiis Sacrificium obtulerit matutinum iuxtà id, quod ait Bernardus serm. 2. de Præsentatione. Hodie, inquit, placabilis, & Deo placens host a virgineis manibus offertur in Templo, offerunt Ioseph, & Maria Sacrificium Matutinum. Agnum videlicet Dei in ipso mane Infantiæ suæ.

XVIII. *Christus fuit semper Panis sacrificalis.*

Pari omnino ratione Corpus Christi, & Christus ipse, sicut fuit Agnus Dei, ita etiam Panis Dei, ideo de se ipso dixit Ioan. 6. *Panis enim Dei est, qui de Cælo descendit,* neque obstat, quod dum hæc ipse diceret, non erat sub exteriori specie panis, nam neque cum illud diceretur à Ioanne erat Christus sub exteriori specie Agni; immò hinc sumitur argumentum dicendi magis propriè Christum Dominum dictum fuisse Panem, quàm Agnum, quia futurus aliquando erat sub vera forma panis, nunquam tamen sub vera forma Agni, propter quam fortasse rationem, non Agnum, sed Panem se frequentissimè nominauit, vt patet ex toto cap. 6. S. Ioan. *Ego sum Panis vitæ, Ego sum Panis viuus. Panis, quem ego dabo caro mea est. Hic est Panis, qui de Cælo descendit. Qui manducat hunc Panem viuet in æternum.* Quibus in locis ad litteram agitur de Pane oblationis Eucharistici Sacrificij, vt est communis sententia Patrum, tàm Græcorum, quàm Latinorum, item Interpretum ac Doctorum Scholasticorum apud Maldonatum, Toletum, Riberam, & Cornelium in Commentariis super hoc cap. 6. Ioannis.

XIX. *Alia est ratio de oblatione alia de Institutione.*

Illud ad extremum moneo, ne in æquiuoco laboremus, aliud esse quærere, quando Sacrificium Eucharisticum fuit oblatum, aliud quando institutum, & Ecclesiæ relictum, & quidem loquendo de Institutione certum est, institutum illud primo fuisse in Cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt ex Apostolo definit Trident. Sess. 22. cap. 1. At nos non loquuti sumus de Institutione, sed de oblatione, de qua diximus ex eodem Apostolo, Interprete Augustino cœptam à Mediatore nostro fuisse ab ipso in Mundum ingressu; quod verò illam semper continuauerit ad Cœnam vsque nouissimam, hoc, ex paritate rationis supra factæ de Sacrificio Crucis, satis superque compertum est.



QVÆSTIO XII.

Quænam ratio, ac definitio Sacrificij ex dictis colligatur.

I. *Postulatum pro definitione Sacrificij.*
II. *Definitio Sacrificij.*



RELIQVVM est iam, vt expectatam diu, multumque Sacrificij definitionem proferamus; conati sunt illam tradere Doctores quam plurimi, sed verè non pari omnes felicitate, quia tamen quicumque illam tradiderunt in eo conueniunt, vt Sacrificium sit *summus Latriæ cultus*, ideo antequam definitionis nostræ verba promamus, postulo, Mathematicorum more, concedi mihi, nomine summi cultus, illum intelligi, quo maior esse, aut excogitari non possit secundum quemcumque respectum, & rationem, ita vt neque ex parte eius à quo offertur Sacrificium, neque ex parte eius, quod offertur, neque ex parte eius cui offertur, neque ex parte modi, quo offertur, neque ex parte finis, ob quem offertur, maius aliquid esse, aut fingi possit. Hoc postulatum non videtur injustum, cum enim Sacrificij cultus inter omnes sit maximus, & propterea soli Deo addictus, tanquam debitus soli summo; vnde peccatum Idolatriæ maximè relucet in actione Sacrificij; æquum planè videtur, vt ex omni parte sit maximus, & summus; tandem si possibilis est cultus ex omni prorsus parte summus, & maximus, illud sit Sacrificium. Hoc postulato concesso. Sic definimus. I. *Postulatum pro definitione Sacrificij.*

Sacrificium est summus cultus, quo primogenitus omnis creaturæ offert se nomine publico realiter destruendum in protestationem quod Deus est, qui est, & præter Deum nihil est. II. *Definitio Sacrificij.*

Hæc definitio apicibus numeratis, & collatis, est viginti syllabis, breuior illa, quàm infra subjiciemus ex Bellarmini lib. 1. de Missa cap. 2. Vtrum autem sit æquè plena, hoc potius animaduersione dignum viri Theologi est. Interim ex concesso postulato, probo singulas illius partes hoc pacto.

Sacrificium est summus cultus; ergo est actus primogeniti omnis creaturæ. Cum enim cultus eò sit maior, quò est à nobiliori, & digniori persona, constat illum tantum cultum in vniuersa creaturarum Republica, & quasi familia, dici summum, qui est à primogenito omnis creaturæ; quare in lege naturæ ius Sacerdotij figuratiuè erat in primogenitis, & Capitibus familiarum, vide quæstionem quintam huius libri, vbi quæsiuimus, vtrum principalis Sacerdos, qui scilicet absolutè, & simpliciter est Sacerdos, sit necessario primogenitus omnis creaturæ; pergamus ad partes reliquas. III. *Sacrificium est actus Capitis rempublicam in se offerentis.*

Sacrificium est summus cultus; ergo est actus, quo primogenitus offert se ipsum nomine publico realiter destruendum. Sunt huius consequentiæ partes tres.

Prima *Actus quo offert se ipsum.* Secunda *Actus, quo offert se ipsum nomine publico.* Tertia. *Quo tradit se nomine publico realiter destruendum.* Omnes autem hæ partes probantur ex natura summi cultus: non enim quis ex parte rei oblatæ summè colit, qui rem non summam in cultum offert, ac tradit. Hinc fit vt creaturarum Respublica magis Deum colat offerendo se in suo primogenito, quàm in se ipsa, quia pluris ipsa valet in illo, qui valoris est infiniti, quàm valeat in se ipsa. At primogenitus ipse non potest summum cultum exhibere nisi offerendo se ipsum; quidquid enim offerat nisi se ipsum tradat, semper habebit rem maioris valoris, ac pretij quàm offerat. Quare in summo cultu principalis, idem necessario est offerens, & oblatum, Sacerdos, & Victima.

Inde etiam probatur altera particula de oblatione *nomine publico*, ad summum enim cultum pertinet, vt cultor se ipsum offerat, non tanquam rem priuatam, sed publicam, vt sic tota Respublica offerens denominetur, & sit. Est autem manifestum, cæteris paribus maiorem esse cultum publicum, quàm priuatum; ergo summus est nomine publico.

Tertia pars de oblatione per realem destructionem. Infertur clarissimè ex natura summi cultus, qui consistit in summa, & quidem reali externa minoratione colentis coràm maximo, loquimur enim de Sacrificio propriè dicto, quod est externum, & sensibile. Iam verò summa minoratio, illa dicitur, quæ ita appropinquat minimo, vt non possit magis appropinquare, sicut illa maioritas tantum est summa, quæ ita appropinquat maximo, vt non possit magis maximo appropinquare: Sicut enim omnis maioritas est per ascensum ad maximum, ita omnis minoritas est per descensum ad minimum; sed nunquam deueniri potest ad summum hunc descensum ad minimum, nisi per realem exinanitionem, destructionem, & quasi annihilationem; ergo tunc aliquis cultum summum exhibet, & maximum quando illum exhibet per realem destructionem.

IV. *Deus respicitur à Sacrificio tanquam is, qui solus est.*

Ostendendum tantùm restat, cur diximus actum Sacrificij in protestationem, *quod Deus est, qui est, & præter Deum nihil est.* Scio alias, alias veluti formalitates aperuisse sub quibus Deus respicitur à Sacrificio, nam quidam dixerunt respici tanquam principium creationis, quidam tanquam vltimum finem Beatitudinis. Alij tanquam Autorem vitæ, & mortis. Alij tanquam supremum Dominum Vniuersorum. Sed tres rationes cogunt, vt dicamus Deum à Sacrificio respici potius tanquam eum, qui *solus est.* Prima, quia vt docet S. Bernardus lib. 5. de Consider. quidquid de eo dixeris in hoc verbo instauratur. Si alia dixeris, nihil addidisti, si non dixeris nihil minuisti. Quis est? non sanè occurrit melius, quàm qui est, hoc ipse de se voluit responderi.

Altera ratio est, quia agnitio huius summi cultus ex parte illum exhibentium, est ipsorum non esse, immò non esse omnis creaturæ, propterea requiritur destructio, & immutatio in re, quæ in hunc summum cultum offertur, sicut autem creatura, quæ offert dicit de se dum offert: *Ego sum, qui non sum*, seu quod ferè in idem recidit: *Ego sum, qui mutor*, ita Deo cui offert dicit: *Tu solus es, & non mutaris*: nam vt docet S. Augustinus de eo, quod dictum est ad Moysen. *Sum qui sum.* Esse, nomen est incommutabilitatis, omnia enim, quæ mutantur desinunt esse, quod erant, in quo sensu, in omni Sacrificio mors quædam intercedat necesse est, nam vt pulchrè ait sanctus Bernardus Serm. 81. in Cant. Super illud Malach. 3.

V. *Cur mutatio propria Sacrificij.*

Malach.3. *Ego Dominus, & non mutor*, omnis mutatio, quædam mortis imitatio est, nunc enim, quod mutatur, dum de nouo ad aliud transit esse quodammodo necesse est moriatur, quod est, vt esse incipiat quod non est. Idem & adhuc expressius ad rationem Sacrificij dixerat S. Gregorius 12. Marc. cap. 17. Quid mutabilitas nisi mors quædam est, quæ dum rem quamlibet in aliud immutat quasi occidit quod fuerat. Est ergo humilis agnitio creaturæ, & professio maximè sacrificalis illa, qua dicit per suam realem immutationem Deo: *Tu autem idem ipse es, quia solus es.*

Verum huic definitioni, aliquorum sententia, in vniuersum obstabit, quod scilicet non videtur conuenire omni vero Sacrificio, nam certum est Sacrificia, tum Patriarchalia, tum Mosaïca fuisse verè, ac propriè dicta Sacrificia, & tamen de illis videtur prædicari non posse, quod fuerint summus cultus, quo primogenitus omnis creaturæ tradit se nomine publico realiter destruendum in protestationem quod Deus est, qui est, & præter Deum nihil est.

At nos planè sustinemus definitionem positam conuenire omni vero Sacrificio. Et quidem Sacrificium quodlibet, vel inspiratum, vel institutum à Deo in sacra Scriptura omnium Patrum suffragio fuit figuratiuè actus Christi. Quare omnia illa fuerunt vera Sacrificia per veram participationem Sacrificij, quod per essentiam est Sacrificium. Quod si quæratur, in quo consistebat huiusmodi participatio. Dicendum est, positam præcipuè fuisse in legitima substitutione horum trium, quæ sunt offerens, oblatio, & res oblata. Itaque illa dicta sunt vera Sacrificia in Scriptura, vbi erat aliquis substitutus loco primogeniti omnis creaturæ, qui est vnicus offerens, & aliquid loco eiusdem primogeniti, quod est vnica res oblata, & aliqua actio, & oblatio loco illius actionis, & oblationis, quæ absolutè, & simpliciter dicitur Actio, quia est principalis. Et quidem quod de facto res ita se habuerit, vt antiqua Sacrificia fuerint substituta tantùm, probatur, quia omnes Victimæ fuerunt substitutæ tantùm, & omnes Sacerdotes fuerunt pariter tantùm substituti. De Victimis est manifestum, qua enim ratione verum esset Victimam vnicam principalem semper oblatam fuisse in omnibus antiquis Sacrificiis, nisi victimæ omnium Sacrificiorum fuissent loco illius substitutæ? Quod autem de victimis dicitur, probat pariter de Sacerdotibus à paritate vtique rationis; nam qua ratione est verum, primogenitum omnis creaturæ tanquam Agnum occisum fuisse, etiam ab origine Mundi; est etiam verum eundem primogenitum fuisse etiam ab origine Mundi sui Sacrificij oblatorem; ergo sicuti victimæ, ita Sacerdotes erant substituti. Et sanè si antiqua Sacrificia, tum quoad victimas, tum quoad Sacerdotes non fuissent substituta, vtique ad principalis Aduentum Sacrificij, neque quoad victimas, neque quoad Sacerdotes cessassent. Quo videtur respexisse Augustinus lib. 1. contra Aduersarium legis, & Prophetarum cap. 18. Iam, inquit, Sacrificia talia non offert Dei populus Deo, posteaquam venit vnicum Sacrificium, cuius vmbræ fuerunt illa omnia, non hoc improbantia, sed hoc significantia; sicut enim res vna multis loquutionibus, & multis linguis significari potest, sic vnum verum, & singulare Sacrificium significatum figuris.

VI. *Omnia antiqua Sacrificia fuerunt substituta.*

Ex quo Augustini loco habes, sicut voces sunt substitutæ loco rerum, quas significant ex substitutione, ita Sacrificia vetera substituta fuerunt loco Sacrificij,

quod Augustinus hoc capite 18. vocat expressè singulare, & solum verum Sacrificium, ad quod significandum fuerunt omnia Sacrificia substituta.

Quod autem diximus de Sacrificiis Mosaicis, dicimus pariter de Patria chalibus. Quia non dicitur Agnus occisus ab origine legis scriptæ, sed ab origine Mundi. Sicut ergo omnia Sacrificia, etiam legis naturæ figuræ erant, & substitutiones magni Sacrificij, & in omnibus illis victimis ipse immaculatus typicè mactabatur; sic omnes illi Sacerdotes legis naturæ typi quidem erant primogeniti omnis creaturæ, & in omnibus sacrificantibus ipse sacrificabat, vt rectè Bellarminus lib. 1. cap. 6.

Itaque quod de facto Sacrificia antiqua fuerint substituta est manifestum. Quod verò non potuerint esse non substituta probo hoc argumento, quia si non fuissent substituta nulla modo participare potuissent rationem veri Sacrificij, qui in summo cultu consistit. Qua enim ratione oblationes habeant rationem summi cultus vbi principales offerentes nullius sunt dignitatis, & vbi res oblatæ nullius valoris, & protestatio nullius realis significationis; si enim victima neque principaliter, neque per substitutionem creaturarum omnium esse continebat; rogo quando illam obtulisti, quid magnum moraliter destruxisti?

Sed dices: Sacrificia Infidelium fuerunt etiam vera Sacrificia, & tamen nullo modo potest illis conuenire allata definitio: Illa enim aliquo modo præsupponit fidem in Christum.

VII. *Infidelium non fuerunt vera Sacrificia.* Respondeo. Sacrificia Infidelium nullo modo fuisse vera Sacrificia, quia nullo modo participare poterant rationem summi cultus Deo debiti; vnica enim via illam participandi est substitutio, quæ in illis esse non poterat, propterea deficiebant à ratione intrinseca, & essentiali Sacrificij, quæ consistit in reali, & effectiua destructione omnis creaturæ coràm illo, qui solus est: hæc autem perfici realiter non potest nisi per legitimam substitutionem factam loco victimæ principalis, in qua verè omnis creatura continetur.

Vbi aduertendum est dupliciter intelligi posse substitutionem necessariam ad Sacrificium, in cuius notam offerentes manus imponebant super caput victimæ, Leuit. 1. Altera quæ potuisset olim esse communis fidelibus, & infidelibus vt nimirum vita alicuius animalis offerentium vicem subiret, in cuius substitutionis signum sacrificaturi, victimam capite comprehensam, atque detentam, quasi pro suo capite Aris sistebant; cum enim ex vna parte ratio, pietasque dictaret, Deum, à quo omnes vitam accepimus, summo iure dignissimum esse, in cuius honorem ipsas nostras animas immolaremus, & ex altera hoc re ipsa exequi, nec generi humano expediret, nec per ordinariam Dei legem licitum foret, visum est rationabile vt animantium animæ, nostrarum subirent vicem, & pro illis substituerentur ad solemnem protestationem seruitutis nostræ. Hæc substitutio, vt dixi, potuit tempore legis esse communis etiam infidelibus, quia nullam per se continet inhonestatem, sed non fuisset sufficiens ad protestationem propriam Sacrificij. Alio modo intelligi potuit substitutio, vt nimirum animal, vel quæcumque alia res legitimè in Sacrificium offerenda non subiret immediatè vicem offerentium, sed vicem victimæ grandis, in qua suum esse morale, tanquam in capite habent omnes offerentes, ita vt victima illa legalis fuerit immediatè Vicaria victimæ principalis, non autem immediatè offerentium; & ad

hoc secundum genus substitutionis requiritur vera fides in Christum, ex cuius defectu Sacrificia Infidelium deficiebant à veritate essentiali Sacrificij, quæ necessario postulat, vt in toto aliquo, omne esse creatum continente, protestatio summa, & realis fiat, quod Deus solus est, & præter Deum nihil est.

Vrgebis, si Adamo non peccante Christus non fuisset incarnandus, adhuc in illo statu futurum fuisset verum Sacrificium, cui tamen allata definitio sine dubio non conueniret.

Respondeo illa hypothesi facta, non fuisse futurum verum, ac perfectum Sacrificium in illo statu. Ratio est apertissima, quia Sacrificium est essentialiter actus principalis Sacerdotis; in illa autem hypothesi non fuisset futurus Sacerdos principalis, cui enim hominum, aut Angelorum dicturus esset in illo statu Deus. *Tu es Sacerdos?* Quod si ponamus assumendum fuisse in illo statu à Deo, aliquem ex hominibus purum hominem, & pro hominibus constituendum, vt aliquid offerret in protestationem, quod Deus est, qui est, & præter Deum nihil est. Inquiro quid esset illud, quod principaliter in Sacrificium offerretur. Esset ne Sacerdos ipse, an aliqua alia pura creatura extrà Sacerdotem? si dicatur Sacerdos ipse; ergo ipse contra Aduersarios esset realiter in Sacrificio destruendus; nam ad verum Sacrificium requiritur, vt id, quod sic offertur, planè destruatur, vt superius probauimus, & constabit adhuc apertius ex libro tertio dicendis. Si verò dicatur aliquid aliud extrà Sacerdotem, duo sequerentur absurda. Primum est, quod Sacerdos principalis verè non coleret ipse Deum summo cultu, quia de ratione summi cultus est, vt cultor ipse in Dei honorem destruatur, vt patet ex natura summi cultus explicata quæstione prima. Secundum quia neque Sacerdos, neque Respublica intelligeretur moraliter sacrificari Deo in illa victima assumpta, puta vitulo, aut Agno, ratio est quia ille vitulus, aut Agnus non haberent qualitatem capitis respectu vniuersæ Reipublicæ, atque adeo illam in se non continerent quantum necessarium est ad fundandum verum cultum sacrificalem. Nam quod in Christo pro nobis realiter sacrificato vniuersa Ecclesia sacrificetur moraliter, ideo est, quia tota Ecclesia in Christo, tanquam in suo capite perfectiori adhuc modo est, quam in se ipsa, maioris enim valoris ac pretij solus est Christus, quàm vniuersa creaturarum Respublica; vnde Ecclesia cultu magis sacrificali Deum colit destruendo se moraliter in Christo, quàm si physicè se in Dei honorem destrueret in se ipsa. Quomodo ergo in tali statu fuisset summus, hoc est perfectissimus cultus Sacrificij?

VIII. *Christo non futuro non fuisset verum, ac proprium Sacrificium.*

Quod si Aduersarij hoc tantùm contendant, futurum etiam in illo statu fuisse cultum pro illo statu summum, quatenus in illo ordine, & statu rerum, nullus maior fuisset possibilis, si, inquam, hoc tantum contendunt, demus illi vltrò, futurum etiam in illo statu fuisse Sacrificium; sed quàm diminutum, quàm imperfectum, & quàm dictum impropriè Sacrificium? Nos autem definimus Sacrificium proprium, qui est actus publicus totius Mundi, qui profectò celebrari non potest sine victima Mundi; cedo autem mihi in illo statu victimam Mundi?

Neque dicas ad rationem, & perfectionem formalem Sacrificij satis esse significationem moralem nostræ inferioritatis, & Diuinæ Maiestatis supra nostram inferioritatem; nam non omnis significatio Diuinæ Maiestatis est sufficiens

Sacrificio, ſed illa tantum, qua non verbis, aut ſymbolis quibuſcumque, ſed facto ipſo, & re dicimus Deo: *Tu ſolus es*: quomodo autem exhibere, repræſentare, & facto ipſo externo hoc demonſtrare poterimus, niſi ipſum *nihil* omnis creaturæ exhibendo? Hæc autem exhibitio fieri non poteſt niſi per realem, & effectiuam deſtructionem, vel omnium, & ſingularum creaturarum in ſe ipſis, vel alicuius longè præſtantioris omnibus, & ſingulis, in quo legitimè omnes, & ſingulæ præcontineantur; ergo ſignificatio formalis, & propria Sacrificij non conſurgit ex deſtructione victimæ cuiuſcumque, ſed victimæ ita perfectionem omnis creaturæ continentis, vt in ſola ſui deſtructione, omnis creaturæ deſtructio habeatur. Quæ autem eſt, aut eſſe poteſt huiuſmodi victima niſi ſolus ille, qui quemadmodum ſolus eſt Mundi Sacerdos, & Pontifex ita ſolus eſt Mundi victima? Propter hæc, antequam definitionis noſtræ verba proferremus, poſtulauimus Mathematicorum ritu, nobis concedi, nomine ſummi cultus, dum de Sacrificio agitur, illum intelligi, quo maior ſecundum quemcumque reſpectum, & ordinem eſſe non poſſit.

Verum, vt comparatione definitionum fortaſſe non multo meliorum, noſtra hæc non omnino contemnenda videatur, recenſebo hoc loco definitiones, duorum, vel trium præcipui nominis Theologorum ex noſtris. Prima ſit P. Vaſquez

IX. *Definitio Sacrificij ex Vaſquez.*

diſput. ccxx. cap. 3. vbi dupliciter Sacrificium definit: & primo vt ipſe ait ex parte formæ, ſeu ſignificationis, his verbis. *Sacrificium eſt nota exiſtens in re, qua profitemur Deum Autorem vitæ, & mortis*: ex parte verò materiæ definit hoc modo. *Sacrificium eſt res, quæ per ſui immutationem Deo offertur*, ſeu *mutatio rei, quæ Deo offertur.*

Hæc definitio non videtur habere dotes, quas in bona definitione poſtulat Ariſtoteles 6. Topicorum. *Nam primo*, vix clarior eſſe dignoſcitur ſuo definito. *Secundo*, non videtur congruè prædicari de omni definito, neque enim quis aptiſſimè dixerit, Sacrificium Crucis, ſeu Sacrificium Euchariſtiæ. Eſt nota exiſtens in re, &c. *Tertio*, quia non videtur eſſe integra. Cum enim Sacrificium dicat eſſentialiter quatuor, nimirum, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, vt ſumitur ex Auguſtino lib. 4. de Trinitate cap. 14. Non video in hiſce definitionibus P. Vaſquez, qua ratione hæc omnia comprehendantur, non eſt autem magna laus bonæ definitionis nihil habere ſuperfluum, ſi aliquid habeat diminutum.

X. *Definitio Sacrificij ex Suarez.*

Propter hæc melior mihi viſa eſt definitio quam ante Patrem Vaſquez tradidit P. Suarez diſput. 73. Sect. 6. vbi ait, *Sacrificium eſt oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in ſignum legitimè inſtitutum Diuinæ excellentiæ & reuerentiæ.*

Neque tamen in hac definitione animus acquieuit, nam vt omittam cætera, cum Sacrificium ſit actus Sacerdotis, neceſſarium videtur, vt in illius eſſentia explicanda comprehendatur ordo ad Sacerdotem, quod verò talis ordo ſit eſſentialis fatetur P. Suarez Sect. 5. vbi ait eſſe de ratione actionis, quæ Sacrificium eſt, vt à legitimo Miniſtro fiat, quem Paulus Pontificem, ſeu Sacerdotem appellauit, vnde nullus alius poteſt legitimè hoc munus vſurpare, quod ſi id facere tentet, non erit Sacrificium, ſed ſacrilegium, quia vt dicitur ad Hebr. 5. ſolus Sacerdos eſt, qui pro hominibus conſtituitur, vt Sacrificium offerat, neque vllus

alius potest hunc honorem sibi vsurpare, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Addit verò rationem quia sicut Sacrificium propriissimè dictum prout nunc de illo loquimur, requirit, vt publica authoritate institutum sit, & vt nomine totius populi, seu Reipublicæ fiat, ita etiam postulat Ministrum habentem publicam, & communem authoritatem ad offerendum, quem Sacerdotem appellamus.

Rectius ergo, & plenius ante hos duos suam posuerat definitionem Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 2. his verbis. *Sacrificium est oblatio externa facta soli Deo, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem Diuinæ Maiestatis à legitimo Ministro res aliqua sensibilis, & permanens ritu mystico consecratur, & transmutatur.* Hæc definitio, inquit, illius Author, paulo longior esse debuit, vt omnes conditiones Sacrificij propriè dicti complecteretur, explicat autem singulas doctè, & eruditè. Et primo, inquit, dicitur *oblatio*, ad indicandum genus, Sacrificium enim pro actione acceptum, species est oblationis, id enim est Sacrificium quod propriè, & per se ad actionem Sacerdotis pertinet. Porrò Sacerdotis proprium munus est offerre, vt patet ex Paulo ad Hebr. 5. & ex Genes. 4. & 8. vbi pro eodem accipitur offerre, & sacrificare, & nomen ipsum indicat quo passim vtuntur Græci cum de Sacrificio loquatur nimirum προσφορὰ idest oblatio. XI. *Definitio Sacrificij ex Bellarmino.*

Secundo dicitur *externa*, duplex enim oblatio, & largo modo duplex Sacrificium distingui potest cum S. Augustino lib. 10. de Ciuit. cap. 5. inuisibile, siue internum, & visibile siue externum. Inuisibile, est pia voluntas, quæ Diuinæ Maiestati se, & sua omnia offert. Visibile autem est testificatio quædam externa interni affectus; quare ibidem Augustinus definiens visibile Sacrificium inuisibilis Sacrificij Sacramentum, idest sacrum signum esse dicit, quamuis autem inuisibilis oblatio sit nobilior, & melior visibili, & placeat Deo inuisibilis sine inuisibili, visibilis sine inuisibili Deo non placeat, tamen nomen, & ratio Sacrificij propriè non conuenit inuisibili oblationi, sed solum visibili, & externæ, oblatio enim inuisibilis, semper est occulta, & priuata; nomine autem Sacrificij propriè omnes intelligunt publicum, & manifestum honorem Deo exhibitum à communi, & publico Ministro. Itaque necessario requiritur ad Sacrificium propriè dictum, vt sit oblatio externa.

Tertio dicitur: *facta soli Deo.* Sacrificium enim propriè pertinet ad cultum Latriæ, qui soli Deo exhiberi potest; vt enim est interior quidam cultus, quem soli Deo exhibemus, cum eum agnoscimus primum, & summum bonum, & vt tali cor nostrum illi demississimè prosternimus, sic etiam debuit esse externum aliquod signum, quo protestaremur cultum istum soli Deo debitum. Tale autem signum non est nisi Sacrificium, nam omnis alia externa reuerentia, quam exhibemus Deo, solet etiam hominibus aliquando exhiberi, ideo dixit S. Augustinus lib. 1. contra Aduers. leg. & Prophet. cap. 18. Dæmon sibi Sacrificium non exigeret nisi Deo vero deberi sciret, nam obsequia cætera, quæ Diuinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbiæ fastu homines arrogare, rarissimi autem commemorantur, qui sibi, vt sacrificaretur cum regia potestate possent, ausi fuerint imperare, quicumque tamen ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt.

Quarto dicitur. Ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem Diuinæ Maiestatis, quoniam hic est finis generalis omnium Sacrificiorum, sunt enim

quasi tributa, quæ Deo redduntur in recognitionem supremi dominij ipsius, & nostræ subjectionis; & hæc est etiam ratio vnde laudem habet, & est opus virtutis actio sacrificandi, nam ex se opera indifferentia sunt occidere, & cremare animalia, & similia, sed cum illa fiunt ad significandum omnia à Deo procedere, & in ipsius honorem consumenda esse, iam sunt opera Religionis, & proinde bona, & laudabilia.

Quinto dicitur. *A legitimo Ministro*, non enim est cuiusque offerre Sacrificium, sed publici, & certi hominis, qui communi nomine id peragat: In lege quidem naturæ Sacerdotes erant vel capita familiarum vt Abraham, vel alij, quibus Deus id inspirabat. In lege autem scripta soli filij Aaron: in lege gratiæ soli Episcopi, & Presbyteri ritè ordinati. Atque hinc excluduntur à ratione Sacrificij propriè dicti multæ oblationes priuatorum hominum factæ soli Deo, vt cum fideles candelas accendunt, & consumunt in Templo ad honorem Dei.

Sexto dicitur. *Res aliqua sensibilis & permanens*, vt nimirum excludantur à ratione Sacrificij propriè dicti, actiones transeuntes in honorem Dei factæ, quales sunt Psalmodiæ, Preces, Genuflexiones, & alia, quæ fiunt à Sacerdotibus actu externo ad honorem Dei, & tamen Sacrificia propriè non dicuntur.

Septimo dicitur. *Ritu mystico consecratur*, nam debet res illa, quæ Deo offertur ex prophana fieri sacra, & Deo dicata, id enim significat sacrificare, sacrum facere. Ista autem consecratio, & dedicatio semper fiebat in lege veteri certo ritu, & cæremonia mysterium continente, & impositione manuum super victimam, vel eleuatione oblationis in altum.

Octauo dicitur. *Et transmutatur*, quia ad verum Sacrificium requiritur, vt id, quod offertur Deo in Sacrificium *planè destruatur*, id est ita mutetur, vt desinat esse id, quod ante erat, & in hoc maximè differt à simplici oblatione, quæ interdum ritu mystico eleuabatur coram Deo, sed non destruebatur nisi quando verè sacrificabatur. Ratio autem huius rei duplex esse videtur. Vna ob significationem mortis Christi, Deus enim, qui primus sine dubio inspirauit Abeli, & aliis Sanctis viris vsum Sacrificiorum, voluit per ea sacrificia sacrificium omnium sacrificiorum præstantissimum adumbrari, illud autem morte, & destructione rei oblatæ constabat. Altera ratio est quia Sacrificium, & summa protestatio subjectionis nostræ ad Deum, & summus cultus externus, qui exhiberi possit; summa autem ista protestatio requirit, vt non solum vsus rei Deo offeratur, sed ipsa substantia, & ideo non solum vsus, sed substantia consumatur.

XII. *Ratio definitionis nostra.* Totam hanc Bellarmini doctrinam, planè veram existimamus, sed ex illa, Sacrificij definitionem aliis verbis concipiendam putauimus. Ratio autem potissima, quæ me mouit, illa fuit, quia quantum Scripturæ, Patres, & Concilia docent: Mundi victima vna est, & vnus itidem Sacerdos Mundi. Loquimur de victima principali, non de victimis Vicariis, & substitutis. Similiter loquimur de Sacerdote principali, non verò de figurali, aut ministeriali, solus enim principalis absolutè, & sine addito Sacerdos est, vt patet Psalmo 109. & ex Apost. ad Hebr. 10. Igitur Sacrificium vnitate desumpta à Sacerdote, & victima, vnum essentialiter est, quia non potest esse nisi vnus Sacerdos Mundi, & vna Mundi Victima; ergo non potest esse, aut intelligi verum Sacrificium sine habitudine ad principalem Sacerdotem, & principalem Victimam; ergo non potest congruè

definiri sine formalissima expressione principalis Sacerdotis, & principalis Victimæ. Et sanè cum notio Sacrificij prout à nobis proponitur, planè constet ex fide Diuina, prout verò ab aliquibus proponitur, deriuetur potius ab vsu Ethnicorum, qui imitari voluerunt totam externam cæremoniam veræ Religionis, non video cur in definiendo vero Sacrificio, rationem vllam habere falsæ Religionis debeamus. Neque enim, vt Apostolus loquitur 2. ad Cor. cap. 6. *Iugum ducimus cum infidelibus, quæ enim participatio Iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo* Dei *cum Idolis?*

Quod si debemus loqui de vero Sacrificio tanquam de actu capitis, & functione præcipua primogeniti omnis creaturæ, profectò possumus sub iisdem terminis, ac vocibus illud definire, quia omne quodcumque verum Sacrificium est actus Capitis, & principalis Mundi Sacerdotis, qui primogenitus est omnis creaturæ. Si autem possumus, planè debemus, quia saltem hoc negari non potest, vsurpatas notiones, & voces in hac nostra definitione multo magnificentius facere ad Maiestatem Sacrificij hoc est summæ omnium Actionis, quotquot, aut humanitus exerceri vnquam potuerunt, aut diuinitus inspirati.




QVÆSTIO XIII.

An omnia antiqua Sacrificia fuerint destructiua, vbi de Sacrificio Melchisedech.

I. *Oblatio Melchisedech verum Sacrificium.*
II. *Qualis consumptio Sacrificij Melchisedech.*
III. *Opinio P. Vasquez.*
IV. *Omne Sacrificium consumatur in Altari.*
V. *Nullum Sacrificium consumatur in Clibano.*
VI. *Mincha quid, & quotuplex.*
VII. *Sacrificium coctum in Clibano consumabatur in Altari.*
VIII. *Non coquebatur manibus Sacerdotum.*
IX. *An Panes Propositionis cocti ministerio Sacerdotum.*
X. *Panes Propositionis non erant Sacrificium.*
XI. *Ritus sacrificandi Mincha.*
XII. *Sacrificium, Conuiuium.*
XIII. *Consumatio Panis per ignem in Altari.*
XIV. *Libamenta quæ.*
XV. *Ritus sacrificandi cum libamentis.*
XVI. *Responsio Bellarmini de destructione Sacrificij Melchisedech.*

XVII. *Responsio P. Leßij de consumptione per ignem.*
XVIII. *Ritus Aaronicus postulabat gladium, & ignem.*
XIX. *Et principalius ignem.*
XX. *Victima incendebatur, non iugulabatur super Altare.*
XXI. *Celebrans Sacrificium semper ipse per se incendebat.*
XXII. *Sacrificium aliquod sine gladio.*
XXIII. *Sacrificium incruentum.*
XXIV. *Nullum Sacrificium sine igne.*
XXV. *Holocaustum Auium sine ferro.*
XXVI. *Omnia Sacrificia etiam legis naturæ in igne & gladio.*



D generalem illam sententiam infirmandam, qua diximus omnia omnino, quæ in Scriptura dicuntur Sacrificia necessario peracta fuisse cum reali destructione rei in Sacrificium oblatæ objiciunt nonnulli Sacrificium panis, & vini, quod obtulit Melchisedech. Nam quod oblatio illa panis & vini fuerit verè Sacrificalis. Testatur tota Ecclesia in Canone nostræ Liturgiæ illis verbis: *Et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctum Sacrificium immaculatam hostiam*, & satis exprimitur à sacra Scriptura per causam, cur Melchisedech panem, & vinum protulerit. *Erat enim*, inquit, *Sacerdos Dei Altissimi* Genes. 14. quæ ratio, inquit Bellarminus lib. 1. cap. 6. contra Kemnitium, ab ipso Spiritu Sancto reddita omnino cogit, vt intelligamus panem, & vinum prolata fuisse ad Sacrificium; præsertim quod nisi oblatio significata hoc loco Genesis fuerit sacrificalis, nulla esset in tota sacra Scriptura mentio Sacrificij Melchisedech, nusquam enim alibi fit. Non est autem intelligibile qua ratione Scriptura tot in locis describat Sacerdotium Melchisedech, vt distinctum ab Aaronico, & vt simillimum Sacerdotio Christi, & alicubi non tradat quale fuerit Sacrificium Melchisedech. Si quidem ad Sacrificium ordinatur Sacerdotium, & Sacrificio ignorato, necesse est etiam Sacerdotium ignorari. Negari ergo non potest à viro Catholico oblationem panis, & vini factam à Melchisedech Genes. 14. fuisse sacrificalem, & in ea præfiguratum esse Sacrificium Christi, quod in vltima Cœna sub specie panis, & vini peractum est, vt communis Patrum Ecclesiæ consensus docet.

I. *Oblatio Melchisedech verũ Sacrificium.*

II. *Qualis consumptio Sacrificij Melchisedech.*

Ex altera verò parte nihil habemus in Scriptura vnde affirmemus Melchisedech panem, & vinum sua sacrificali oblatione consumpsisse, immò aliqui contendunt panem sanctificatum & Deo oblatum distributum à Melchisedech fuisse in corporalem refectionem Abrahami, & sociorum eius, qui fatigati à prælio reuertebantur.

III. *Opinio P. Vasquez.*

Scio quid ad hoc argumentum respondet Vasquez disput. 220. cap. 3. Quod in gratiam Scripturalium opere pretium erit examinare. Ait ergo, Melchisedech oblationem immutatiuam & sacrificalem panis, quæ erat hostia sui Sacrificij, perfecisse per coctionem in Clibano. Hoc autem infert, & probat, quia eo genere immutationis simile panis Sacrificium perficiebatur in lege, quod manifestè, inquit, consistit ex Leuit. 2. vbi dicitur: *cum autem obtuleris sacrificium coctum in Clibano de simila, panes scilicet absque fermento, &c.* Mutabatur igitur,

igitur, ait Vasquez hoc genus Sacrificij coctione facta in Clibano, & Sacerdotes huic ministerio coquendi panes, non minus attendebant, quàm ministerio occidendi, & mactandi animalia, quæ occisione, & mactatione in Sacrificium offerebantur. De eodem Sacrificio in Clibano sermo fit Leuit. 7. & 24. eodem etiam capite fit mentio Sacrificij frixi in sartagine, cuius immutatio ibi fiebat, & eodem modo genus erat Sacrificij, quod per contusionem immutabatur, & ideo dicebatur immolatio, nimirum quia mola conterebatur, & hoc fiebat ex materia inanimata, solida, & sicca, nempe ex hordeo, cum ex illo fiebat far; hoc enim ministerio Sacerdotis immutabatur; sic igitur intelligere debemus Melchisedech panem Domino obtulisse. Hæc P. Vasquez.

Verum hæc responsio, mea quidem sententia inuoluit multa, ingeniosè magis excogitata, quàm solida.

IV. *Omne Sacrificium consumatur in Altari. Genes. 8.*

Et primo displicet intueri Melchisedech Sacerdotem Dei Altissimi, panis Sacrificium consumantem in Clibano, præsertim si ille fuit idem, ac Sem filius Noë, quod docent multi, discere enim facile debuisset à Patre, ab initio ipso Mundi Sacrificia, non alibi consumata fuisse nisi in Altari. *Ædificauit autem Noë Altare Domino, & obtulit holocausta super Altare:* quamuis autem hoc ædificatum à Noë, primum sit Altare, quod legitur in Scriptura; tamen vt rectè obseruant Interpretes, minimè dubium esse debet alia prius extitisse, vt illud, in quo sacrificauit Abel; nam quia sacrificatio actio sacra est, publica, & solemnis, ideo decentissimum semper fuit, certum, ac sacrum locum destinare, in quo, & actio illa fieret, & res Deo oblata constitueretur, & offerretur. Nunc autem locum Altare vocamus, de quo dixit Augustinus lib. 2. contra Faustum cap. 27. sicut Sacrificium soli Deo offertur, ita & Altare, solum in Diuinum honorem erigitur, quia nimirum non nisi ad sacrificandum construitur. Cum ergo à Mundi initio, ante omnem legem scriptam, locus Sacrificiis deputatus, fuerit Altare, quis credat Melchisedech religiosissimum virum, assimilatum Filio Dei, suum Sacrificium extrà Altare consumasse?

V. *Nullum Sacrificium consumatum in Clibano.*

At Sacrificium Panis, cuius mentio fit Leuit. 2. consumabatur in Clibano, & non in Altare. Hoc si probasset P. Vasquez, aliquid euicisset, sed profectò probare non potuit, quia ex toto illo capite constat oppositum. Et quoniam operis nostri argumentum est de Sacrosancto, ac Diuino Sacrificio, non pigebit, quæ de hoc peculiari ad rem nostram faciunt breuiter enucleare.

Describitur toto illo secundo capite Leuit. Sacrificium, quod Hebraïcè dicitur, *Mincha*, vnde incipit, *Anima cum obtulerit oblationem sacrificij Domino*, Hebraïcè, *oblationem Mincha* Domino, vbi diligenter obseruandum præcepit Cornelius passim per Leuiticum, oblationem Mincha vocari absolutè Sacrificium, quia, inquit ille, alia Sacrificia peculiare habent nomen; hinc noster Interpres passim per Leuiticum, Mincha vocat absolutè Sacrificium, quod non crediderim vacare mysterio. Est autem Mincha Hebræis propriè Sacrificium rerum inanimatarum, quod ex farre, aut simila fit. Quare Aquila teste Isychis in cap. 10. oblationem Mincha, vertit donum de frumento; Vatablus vertit, Sacrificium Cibarium, Cornelius, Sacrificium fareum. Lorinus, farinaceum. Habes materiam quasi remotam huius Sacrificij. Iam quod magis pertinere videtur ad materiam proximam. Triplex erat species huius Sacrificij. Prima erat Sacrifi-

VI. *Mincha quid & quotuplex.*

cium similæ puræ, & incoctæ, & peculiari quodam modo præparatæ. Secunda Sacrificium similæ subactæ, & coctæ, seu panis. Tertia Sacrificium spicarum. Controuersia nostra est de secunda specie Mincha, hoc est de Sacrificio ex simila cocta; siue Clibano, siue Sartagine, siue Craticula: quot enim modis coquitur panis, totidem modis illum sibi in Sacrificium præparari voluit Deus, vt sicut panis tripliciter coquitur, scilicet Clibano, Sartagine, & Craticula, ita & Mincha panum esset triplex, scilicet Clibani, Sartaginis, & Craticulæ, fortasse propter insignem allegoriam, quam Isychius indicat; allegoricè enim Mincha est caro Christi; primo in Clibano, idest vtero B. Virginis in Incarnatione cocta; secundo in Sartagine, idest Passione Crucis frixa; tertio in Craticula eiusdem Crucis mortua, vt percoctum nobis in Venerabili Sacramento Eucharistiæ præbeat panem, & alimentum.

Ostendo iam hoc Sacrificium panum ex simila cocta in Clibano, de qua loquitur P. Vasquez, oblatum Deo fuisse, non in Clibano, sed in Altari, quod non potest solidius demonstrari, quàm ex verbis clarissimis textus. Sic enim habet.

VII. *Sacrificium coctum in Clibano consumabatur in Altari.*

Cum obtuleris Sacrificium coctum in Clibano de simila, &c. Trades manibus Sacerdotis, qui cum obtulerit, tollet memoriale de Sacrificio, & adolebit super Altare in odorem suauitatis Domino. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron, & filiorum eius. Habes hic offerentem distinctum à Sacerdote. Offerens erat populus, qui offerebat ad Tabernaculum panes coctos in Clibano. Cum obtuleris Sacrificium coctum trades manibus Sacerdotis: certè antequam traderetur manibus Sacerdotis, oblatio sacrificalis non erat facta; hæc enim est essentialiter actio Sacerdotis. Quomodo ergo ex hoc loco potuit venire in mentem P. Vasquez, mutatum fuisse hoc genus Sacrificij coctione facta in Clibano ministerio Sacerdotis? Vnde colligere potuit hoc ministerium Sacerdotum? Fortasse fun-

VIII. *Non coquebatur manibus Sacerdotum.*

damentum huius erroris fuit, quod apud S. Hieronymum in cap. 1. Malach. dicitur de panibus Propositionis. Panes Propositionis iuxtà traditiones Hebraicas, ipsi Sacerdotes serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebant. Sed quidquid sit de hac traditione Hebræorum, quæ valde suspecta est, & parum

IX. *An Panes Propositionis cocti ministerio Sacerdotum.*

conformis verbis Scripturæ, vt ait Ribera lib. 2. de Templo cap. 10. certè Abulensis, qui mordicus tuetur panes Propositionis saltem subigi, & coqui debuisse manibus Sacerdotum, qui iuxtà Paral. 23. *Erant super panes Propositionis*, disertè fatetur, & docet hoc factum non fuisse cum reliquis panibus, qui in Sacrificium offerebantur à populo, & plures causas diuersitatis affert. Prima, quia panes Propositionis erant sanctiores, eo quod ponerentur intra Tabernaculum, & manebant ibi septem diebus coram Domino. Secunda, quia erant determinati à lege, & constabat Sacerdotibus, quot essent semper noui per singula Sabbatha præparandi: cum de reliquis esset incertum. Tertia, quia difficillimum valde fuisset Sacerdotibus suis manibus coquere, & conficere omnes panes, quos populus oblaturus erat, quæ difficultas non erat in certis statisque, & ordinariis; quæ rationes si benè examinentur, suum habent pondus, sed quæ omnino conuincit, est quia de panibus Propositionis fundamentum aliquod habemus in Scriptura, quod coquerentur à Sacerdotibus; quod verò panes Sacrificij Mincha, de quibus agitur Leuit. 2. citato à Vasquez, coquerentur à Sacerdotibus non solum non habemus fundamentum in sacro Textu, sed habemus oppositum,

vt obſeruauit idem Abulenſis. Dicitur enim de illo Sacrificio rerum inanimatarum comprehendente omnes illas tres ſpecies. *Anima cum obtulerit oblationem Sacrificij Domino.* Anima ideſt homo, quis homo? Laicus, an Sacerdos? profectò Laïcus, ſubditur enim: deferet ad Sacerdotes: ergo Laicus, qui offerre volebat, coquebat, & poſtea ferebat ad Sacerdotes.

Coctio ergo panis offerendi in Sacrificio Mincha, non erat Sacerdotalis, ſed Laïcalis. Coctio verò panum Propoſitionis, quamuis fuerit Sacerdotalis, hoc eſt manibus Sacerdotum, non tamen fuit ſacrificalis, quia oblatio panum Propoſitionis non erat Sacrificium propriè dictum, vt cum communi docet Cornelius in cap. 24. Et ſi Sacrificium fuiſſet propriè dictum, fieri debuiſſet in Altari Sacrificiorum, quod erat vnicum in Atrio Sacerdotum. Menſa autem panum Propoſitionis nullo modo erat Altare, & erat intra Tabernaculum iuxtà Sancta Sanctorum; quare parum facit ad rem, quod loco citato ſubdit P. Vaſquez, quod ſcilicet de panibus Propoſitionis nullam aliam mutationem præter eam, quæ fiebat in Clibano factam legimus. Tum quia non fuiſſet ſufficiens, nam in Clibano, ait Cornelius, Farina immutabatur, non panis; tum quia non erat neceſſaria, cum oblatio talium panum, vt dixi non eſſet Sacrificium.

X. *Panes Propoſitionis non erant Sacrificium.*

Sed redeamus ad textum de vero Sacrificio panis cocti, aut Clibano, aut Sartagine, aut Craticula, certè ſi in ſacro textu non haberetur modus, quo à Sacerdote illud Sacrificium immutabatur in Altari, habuiſſet occaſionem aliquam P. Vaſquez ad Clibanum recurrendi, ſed ex ſacro textu clarè habetur, quemadmodum Sacerdos tollebat de omnibus oblationibus iam dictis, puta Clibani, Sartaginis, & Craticulæ, & illarum partem cumburebat, & ſacrificabat in Altari, per quam partem teſtabatur totum Mincha eſſe Deo oblatum, atque hæc pars, quæ oblatione deſtructiua ſacrificabatur, erat memoriale, de quo in textu dicitur. *Tollet memoriale de Sacrificio, & adolebit ſuper Altare in odorem ſuauitatis Domino.* Memoriale, inquam, vt perinde ac ſi totum fuiſſet crematum, Deus, offerentis recordaretur. Et cum tam clarè agatur in textu de omnibus illis ſpeciebus Sacrificij cocti, mirandum planè eſt, qua ratione potuerit addere illud Vaſquez; Cum non legamus panem aliquo modo conſumi conſueuiſſe in Sacrificium, neque per ſe, neque vt libamentum, dubitari certè non poteſt, Sacrificium eorum in Clibano fieri ſolitum. Sed quo ſenſu dicere potuit, panem nullo modo conſumi conſueuiſſe in Sacrificium, vt libamentum, ſi de pane cocto in Clibano, dicitur, & adolebit ſuper Altare in odorem ſuauitatis Domino? Immò verò, quod miror, tantum virum prætériiſſe, nullum ferè erat Sacrificium Animalis, in quo panis, vt libamentum non offerretur; hoc autem patet, quia Sacrificium erat quaſi Conuiuium Deo inſtructum, cuius conuiuij menſa erat Altare, vt vocatur Malach. 1. ver. 7. & 12. Quod conuiuium, vt eſſet perfectum iuſſit Deus in omni Sacrificio Animalis, offerri panem, vel eius materiam, puta ſimilam, vinum, & ſal, quia in omni conuiuio, inquit Cornelius in cap. 2. Leuit. requiritur caro, & panis ad cibum, vinum ad potum, ſal ad condimentum; atque in ea conjunctione Sacrificij carnei cum additamentis panis, & vini, fundant plerique Allegoriam de Chriſti carne, etiam panis, rationem habere in Euchariſtia, vnde, & caro Chriſti vocatur panis, Ier. 11. 19. Ioan. 6. ver. 35. 47. 51. 58. Sed non eſt cur contra P. Vaſquez in hoc probando diutius immoremur, nam ipſemet

XI. *Ritus ſacrificandi Mincha.*

XII. *Sacrificium Conuiuium.*

disput. 86. super quæst. 22. S. Thomæ cap. 4. in responsione ad argumentum Kemnicij contendentis in Sacerdotio Leuitico fuisse etiam Sacrificium panis, & vini, sicut in Sacerdotio Melchisedech, ait, licet legatur Leuiticos Sacerdotes obtulisse panem, & vinum, nusquam tamen legi vtrumque simul obtulisse, aut ita per legem statutum fuisse. Panes quidem legimus oblatos à Leuiticis Sacerdotibus, Exodi 29. & Leuit. 9. & 24. tamen sine vino; contra legimus quidem eos aliquando obtulisse vinum, Num. 28. non tamen simul cum pane, sed cum aliquo cruento Sacrificio vt condimentum illius, nempe in iugi Sacrificio Agni anniculi, in quo offerebatur certa mensura ad libandum, sicut etiam vt condimentum offerebatur simila conspersa oleo.

XIII. *Consumatio panis per ignem in Altari.* In qua responsione licet inuoluantur quædam alibi examinanda, habemus tamen intentum, nimirum Sacrificium panis consumatum fuisse in Altari per ignem, non autem in Clibano, vt patet ex locis ab illo citatis; nam Exod. 29. dicitur: *Suscipiesque vniuersa de manibus eorum, & incendes super Altare in holocaustum.* Et Leuit. 9. legitur: *Fecit holocaustum addens in Sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, & adolens ea super Altare.* Qui locus planè facit contra P. Vasquez non solum quatenus ait non legi panem consumptum in Altari, sed etiam quatenus in ea responsione ad Kemnitium dicit, nunquam legi Leuiticos Sacerdotes vtrumque simul, nimirum panes, & vinum obtulisse: dicitur enim hic expresè addens in Sacrificio, hoc est in Mincha, vt est in Hebræo, quod significat Sacrificium ex simila, & pane, libamenta, quæ pariter offeruntur; quæro, quæ nam sunt libamenta, quæ pariter offeruntur, & quidem ex præscripto legis?

XIV. *Libamenta quæ.* Profectò libamentorum vocabulo, noster Interpres intelligere solet ea, quæ offerebantur cum Sacrificio, nimirum panem, seu quidquid ad eum pertinet, cuiusmodi est simila, vinum etiam, ita Lorinus in cap. 23. Leuit. immò libamentum præcipuè dicitur de liquidis, inter quæ præcipuum est vinum, vt apertè constat ex toto Leuitico, & ex lib. Numer. cap. 15. locus citatus cap. 25. Leuit. non facit ad rem, quia agitur ibi de panibus Propositionis, quos diximus nunquam oblatos esse tanquam Sacrificium. Locus alius citatus Num. 28. ex quo contendit in Iugi Sacrificio oblatum esse vinum, sed non simul cum pane, verè non conuincit, immò ex illo capite iuxtà communem Interpretum expositionem habetur oppositum, quia ibi dicitur offerendum Sacrificium Iuge vespertinum iuxtà omnem ritum Sacrificij Matutini, & libamentorum eius. Quid autem libamentorum nomine intelligatur dictum iam est. Tangam tamen paucis plenum ritum sacrificandi, & libetandi ex nostro Cornelio in cap. 15. Numer. Sacerdos

XV. *Ritus sacrificandi cum libamentis.* victimæ carnes, vel Adipem, si is solum cremandus erat, imponebat Altari, deinde ex simila, quæ sale, & oleo commixta, & condita erat, tollebat pugillum, eumque victimæ cremandæ imponebat, simulque non super similam tantum, sed & super ipsam victimam vini portionem effundebat, denique thus victimæ imponebat, ac mox subjectis lignis ignem excitabat, eoque victimam cum libaminibus Deo concremabat. Atque hoc totum dicebatur Panis, seu cibus Dei, vt patet Leuit. 21. vers. 21. & cap. 22. vers. 25.

Nullo ergo fundamento subsistere potest responsio P. Vasquez, quod scilicet Sacrificium Melchisedech immutatum fuerit in Clibano: præsertim quod illa immutatio nullo modo fuisset panis consumptio, & destructio, quæ planè

requiritur ad Sacrificium in quantum à ſimplici oblatione diſtinguitur.

Quid ergo reſpondebimus ad exemplum Melchiſedech, in cuius Sacrificio, panis, & vini nulla legitur facta deſtructio? Bellarminus lib. 1. cap. 2. Fatetur Scripturam non explicare modum illius Sacrificij, ſed ex aliis, inquit, locis colligimus eum more ſolito ſacrificaſſe, ita vt panem illum, & vinum ad honorem Dei conſumpſerit. XVI. *Reſponſio Bellarmini de deſtructione Sacrificij Melchiſedech.*

Hanc reſponſionem ſequuntur communiter recentiores, quæ abſolutè bona eſt, ſed tamen non ſatis plena, & fortaſſe pro præſenti controuerſia aliquantulum ieiuna. Aduerſarij enim negant in Sacrificio Melchiſedech interceſſiſſe deſtructionem, non præcisè per hoc, quod Scriptura eius non meminerit, quia neque meminit deſtructionis in Sacrificio Abelis, de quo tantùm dicit Geneſ. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Sed quia non apparet probabilis, & rationabilis modus deſtructionis in oblatione panis, & vini factæ à Melchiſedech. Ex quo inferunt, aut illam oblationem non fuiſſe ſacrificalem, quod eſt hæreticum, aut falſum eſſe quod aſſerimus in hac quæſtione, oblationem ſcilicet ſacrificalem diſtingui à ſimplici oblatione per deſtructionem. Poſtulat ergo ſtatus præſentis controuerſiæ, vt quantum fieri poteſt oſtendatur probabilis, & congruus modus deſtructionis, & conſumptionis in ſacrificio Melchiſedech; quamuis enim in oblatione Agni Abelis, modus congruus ſit per ſe notus, non eſt tamen per ſe notus modus congruus in oblatione panis, & vini prout fieri debuit à tali Sacerdote, qualis fuit Melchiſedech.

Merito ergo conantur aliqui talem modum inſinuare, vti fecit P. Leſſius, qui lib. 2. de Iuſtitia cap. 38. non videtur, inquit, dubitandum, quin eo modo, quo aliæ res inanimæ ſacrificari ſolent, id fecerit Melchiſedech, nimirum ſiſtendo totum in Altari coram Deo, deinde aliquam partem in igne conſumendo, vel libando: fruges enim in Sacrificiis torreri, vel incendi ſolent, & liquida effundi nec opus erat totum ita conſumi, quando non erat holocauſtum, ſed particulam aliquam, reliquis reſeruatis Sacerdoti, qui Sacrificij debebant eſſe participes, vt fieri ſolet in hoſtiis pacificis. XVII. *Reſponſio P. Leſſij de conſumptione per ignem.*

At neque huic reſponſioni animus acquieſcit, quia confundit ordinem, & ritum Aaronicum cum ordine, & ritu Melchiſedech, quos ritus ex Apoſtolo ad Hebr. 7. conſtat eſſe maximè oppoſitos, vnde nullo modo licet ex vno ad alterum facere conjecturam. Porro ritus Aaronicus neceſſario, & per ſe poſtulabat gladium, & ignem; Et gladium quidem, quia illius ſacrificium per ſe erat cruentum, atque adeo rei viuentis, vt patet ex cap. 1. 3. 4. 5. & 6. Leuitici vbi enumerantur tres ſpecies Sacrificiorum, quarum prima erat holocauſtum, ſecunda victima pacifica, tertia hoſtia pro peccato, & materia omnibus hiſce ſacrificiis aſſignata, erant tantum illa ſex habentia vitam cum ſanguine, videlicet Oues, Capræ, Boues, Columbæ, Paſſeres, & Turtures. Nec enim alia animantia ſacrificari poterant. XVIII. *Ritus Aaronicus poſtulabat gladium & ignem.*

Verum eſt, quod in omnibus hiſce Sacrificiis cruentis erant aliquæ veluti partes incruentæ, quædam videlicet oblationes ex non viuentibus. In quocumque enim Sacrificio carneo, & cruento integrum quaſi conuiuium inſtruebatur Deo, vt ſuperius dicebamus, in quo neceſſarium erat apponi illa quinque, nimirum farinam, ſeu panem, vinum, oleum, ſal, thus, tanquam appendices, & condi-

menta; cæterum totum sacrificium principale dicebatur, & erat cruentum, ac proinde gladium postulabat, quidquid sit, vtrum aliquando seorsim, & per se se aliqua tantùm non viuentia in sacrificium offerrentur.

Alterum, quod ritus Aaronicus semper, & per se, & fortasse principalius postulabat, erat ignis. Dixi semper, & per se, quia nullum poterat esse sacrificium sine rei oblatæ, aut totius, aut partis perfecta, ac summa consumptione in honorem Dei, hoc exigente natura summi cultus, vt ad nihilum coràm Deo deueniatur; perfecta autem, ac summa, siue totius, siue partis consumptio, & quasi annihilatio aliunde haberi non poterat nisi ab igne. Ideo in cap. 6. Leuit. legitur: *Ignis autem in Altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies. Ignis est iste perpetuus; qui nunquam deficiet in Altari.* Dixi principalius, quia si quæramus quid est magis intrinsecum ritui Aaronico, gladius, an ignis, iugulatio victimæ, an incensio, & consumptio, inueniemus magis proprium, & intrinsecum illi fuisse consumptionem per ignem, quam iugulationem per gladium, hoc autem.

XIX. *Et principalius ignem.*

XX. *Victima incendebatur non iugulabatur super Altare.*

Probo primo, quia ritus Aaronicus non postulabat vt animalia iugularentur super Altare, postulabat vero vt super Altare comburerentur; ideo Leuit. cap. 1. vers. 11. dicitur: *Immolabitque ad latus Altaris, quod respicit ad Aquilonem.* Altare enim, ait Abulensis igne erat plenum, neque potuisset Sacerdos eleuare Bouem super Altare tàm altum; vnde, & aspergebatur Altare sanguine victimæ, post quam illa alibi esset immolata: membra vero victimæ iugulatæ concisa imponebat Sacerdos super Altare, vt in eo cremarentur: immo Abulensis in cap. 7. Leuit. quæst. 18. absolutè ait: nullum animal oblatum iugulatum fuisse super Altare. Contra verò in omnibus sacrificiis hoc generale fuisse, vt nihil extra Altare cremaretur, sed vniuersa in holocaustorum Altari vorarentur.

XXI. *Celebrans sacrificium semper ipse per se incendebat.*

Probo secundo, quia non exigebat ritus Aaronicus, vt Sacerdos celebrans sacrificium, victimam iugularet; exigebat verò, vt ipse per se incenderet. Hoc patet ex cap. 1. Leuit. vbi plures describuntur Sacerdotes ministrantes in holocausto, quorum vnus animal iugulabat, alius sanguinem offerebat, &c. Sed de Sacerdote celebrante, cui scilicet tunc contingebat facere sacrificium principaliter, dicitur, *& oblata omnia adolebit Sacerdos super Altare in holocaustum, & odorem suauissimum Domino.* Super quem locum Abulensis quæst. 22. ait, hoc fuisse quasi proprium Sacerdotis, qui erat loco Aaronis, qui ab aliis Sacerdotibus, paribus quidem in gradu Sacerdotali, sed minoribus tunc in officio, & ministerio, quasi Diaconis, & Subdiaconis accipiebat oblata, & ex officio sacrificantis proprio, super Altare adolebat.

XXII. *Sacrificium aliquod sine gladio.*

Probo tertio; quia potuit aliquando celebrari sacrificium secundum ordinem Aaronis sine gladio, nunquam tamen potuit sine igne; nam licet sacrificium principale Aaronis esset cruentum, negari tamen non potest illum etiam interdum obtulisse sacrificium incruentum, alioquin frustrà esset illa diuisio sacrificij legalis ex parte materiæ in tria genera, in victimas, in immolationes, & in libamenta, ita vt nomine victimæ, seu hostiæ intelligatur sacrificium ex animantibus; nomine immolationis intelligatur sacrificium ex rebus inanimis solidis, & nomine libamenti de rebus inanimis liquidis, de qua partitione agit S. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 3. Et quamuis immolationes, & libamenta, quæ cum victimis

carneis offerebantur, pertinuerint ad species sacrificiorum ex animantibus, ita vt cum istæ oblationes fierent in holocaustis, essent holocausta, aut potius partes holocausti, & cum fierent in victimis pacificis, aut in hostiis pro peccato, essent partes illarum victimarum, & possent etiam dici pacifica, & pro peccato, vt rectè docuit Abulensis in cap. 2. Leuit. quæst. 1. tamen quando offerebantur seorsim, quartam per se speciem sacrificij absolutè incruenti constituebant: talis erat oblatio Mincha, siue panis, aut similæ, quam fuisse verum, & propriè dictum sacrificium, conuincit, inquit Cornelius in cap. Leuit. vox Mincha, quam tàm Malachias, quam septuaginta, & noster Interpres vertunt sacrificium, & patet ex ritu, quo panis, aut simila immutabatur, & consumebatur ad Dei honorem. Hoc enim planè arguit, inquit Cornelius, Mincha fuisse verum sacrificium, non tantùm simplicem oblationem, quæ integra offerebatur. Hoc igitur sacrificium si seorsim, & per se offerebatur, & non conjunctim cum oblatione victimarum, vt videtur colligi ex toto capite 2. Leuit. vbi fusè describitur hoc genus sacrificij nulla prorsus facta mentione victimarum. Si, inquam, per se, & non tanquam pars alterius sacrificij offerebatur, erat planè sacrificium incruentum, atque adeo gladium non postulabat, nullo tamen modo hoc idem sacrificium consistere poterat sine igne, vnde expressè præceptum ibi est: & adolebit super Altare in odorem suauitatis Domino.

XXIII. *Sacrificium incruentum.*

XXIV. *Nullum Sacrificiū sine igne.*

Quia tamen ne quid dissimulem, controuersum est, an hoc ipsum sacrificium Mincha, seu panis, oblatum seorsim vnquam fuerit, & non potius semper, vt pars quædam, & quasi appendix, & condimentum alterius sacrificij, vt sentit Bellarminus lib 1. cap. 4. Ideo satis nunc sit ad confirmandum quod dicebamus, potuisse videlicet aliquando sacrificium esse sine gladio, & non sine igne: satis sit, inquam holocaustum Auium, de quo sic habetur Leuit. 1. *Offeret eam Sacerdos ad Altare, & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, configetque ascellas eius & non secabit, neque ferro diuidet eam, & adolebit super Altare lignis igne supposito.* Cuius exemplum præcessit ante legem, nam Abraham Genes. 15. iussus sacrificium offerre, Aues non diuisit, & tamen facula transiens Aues etiam absumpsit, & consumpsit, vt hoc modo perficeretur Abrahæ sacrificium, vt ait Chrysostomus Homil. 37.

XXV. *Holocaustum Auium sine ferro.*

Atque hic aduertendum est, quod quando dicimus proprium esse Sacerdotij Aaronici, gladium, & ignem, sub nomine talis Sacerdotij comprehendimus quodcumque Sacerdotium oppositum Sacerdotio Melchisedech, quale censendum etiam est Sacerdotium Patriarchale, & quodcumque aliud legis naturæ. Quare ab Abel Sacerdote vsque ad Aaron semper in gladio, & igne sacrificatum est. Ideo Abraham Sacerdotem agens, *tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac puerum suum, ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium.* Quare nos discedimus à Lessio non solum quia consumptionem sacrificij Melchisedech, factam dicit eo peculiari modo, quem præscribebat ritus Aaronicus, sed quia simpliciter affirmat per ignem factam, quod genus consumptionis erat omnibus omnino sacrificiis commune, etiam ante Aaronem, quia Sacerdotium Melchisedech singulare omnino fuit, & nullam prorsus connexionem habuit cum aliis Sacerdotiis quibuscumque. Vnde non licet ex illis certum vllum sumere argumentum, aut conjecturam.

XXVI. *Omnia Sacrificia etiam legis naturæ in igne, & gladio.*

Genes. 22.

Authoris Sententia.

XXVII. *Quo ritu Melchisedech suum Sacrificium consumabat.*

XXVIII. *Via indagandi certa, & vtilis.*
XXIX. *Regressus non vitiosus.*
XXX. *Non quidquid est in figura pertinet ad figuram.*
XXXI. *In quo Sacrificium Christi, & Melchisedech fuerunt figuratum, & figura.*
XXXII. *Præstantia Sacrificij Melchisedech.*
XXXIII. *Visibile vtriusque, planè idem.*
XXXIV. *Ritus Melchisedech in consumatione Sacrificij.*
XXXV. *Sumptio Sacramentalis, & Sacerdotalis in quo differunt.*
XXXVI. *Consumatio est pars essentialis Sacrificij.*
XXXVII. *Christus consumauit per sumptionem.*
XXXVIII. *Inquiritur modus consumationis in figura ipsa.*
XXXIX. *Abraham sumpsit Sacramentum communionis.*
XL. *Panis Melchisedech consecratus in Typum Eucharistiæ.*
XLI. *Argumentum ex veneratione Abraham.*
XLII. *In lumbis Abrahæ omnis Ecclesia.*
XLIII. *Solus Christus in lumbis Abrahæ non fuit decimatus.*
XLIV. *Sermo grandis, & in interpretabilis.*
XLV. *Communionis generalis figura.*
XLVI. *Corpus Christi est omnis Victima.*
XLVII. *Eucharistia Conuiuium Castrense.*
XLVIII. *Ex distributione infertur consequentia sumptionis Sacerdotalis.*



XXVIII. *Via indagandi certa & vtilis.*

VNICA ergo via indagandi modum, quo Melchisedech suum Sacrificium consumabat, est obseruare Sacrificium, cum quo illud habuit connexionem in ratione repræsentantis, & repræsentati, figurantis, & figurati. Hæc via optima est ad indagandum, quia de ratione figuræ, & figurati est vt quidquid in figurato apparet expressum, insit, & saltem lateat occultum in figura: habent enim figura, & figuratum rationem communem delineationis, & imaginis; de ratione autem bonæ delineationis, & bonæ imaginis est, vt nihil sit in vna secundum eam rationem, secundum quam comparantur ad inuicem, vt tales sunt, vt nihil inquam sit in vna, quod in altera non reperiatur; diuersimodè tamen, nam quidquid est in imagine expressum & coloratum, reperiri debet saltem ruditer, & vmbraticè in delineatione, & quidquid

quid est in delineatione adumbratum, reperiri in imagine debet perfectè expressum, & coloratum.

Porrò Sacerdotium, & sacrificium Melchisedech, sicut nullam habuit connexionem, & similitudinem cum reliquis cuiuscumque legis, & ordinis Sacerdotiis, & Sacrificiis, ita habuit summam, & singularem cum Sacerdotio, & Sacrificio Christi, & Christianæ Religionis.

Vnde illud consequens est ad rem nostram, quod sicut frustra sumimus ab aliis conjecturam, ita si perfectè scrutemur sacrificium Christi, & Christianæ Religionis, inueniemus omnino in eo expressum, quod non ita clarè deprehenditur, & cernitur in sacrificio Melchisedech.

Et sanè quod Dialecticis in suis argumentationibus non est negatum, omnino licet Interpreti sacræ Scripturæ, non solum à figura cognita descendere ad cognoscendum figuratum, sed rursus à figurato, non iam in figura, sed in se cognito regredi ad figuram perfectius cognoscendam, id quod vt in re nostra solidè fiat. XXIX. *Regressus non vitiosus.*

Statuendum firmiter est, in quo hæc duo sacrificia, Christi scilicet, & Melchisedech, se habuerint vt figuratum, & figura; seu quidnam est illud, quod in sacrificio Melchisedech pertinet ad figuram, & rursus in sacrificio Christi pertinet ad figuratum: non enim quidquid est in figura pertinet ad figuram, exempli gratia. Sacrificium Abelis non solum figura fuit sacrificij Crucis, verum etiam, vt docet Tertullianus, figura fuit sacrificij Altaris, immò S. Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 20. & lib. 1. contra Aduer. leg. & Prophet. cap. 18. & S. Leo Serm. 8. de Passione Domini docent, omnia sacrificia antiqua, quantumuis cruenta, figuras fuisse sacrificij Eucharistiæ, vt supra monuimus. Sacrificium ergo Abelis fuit figura sacrificij Altaris, sed non quidquid fuit in illo sacrificio pertinuit ad hanc figuram, licet enim oblatio Agni ad Eucharistiam pertinuerit, quatenus in Eucharistia vera caro & sanguis Christi Agni immaculati immolatur, tamen modus cruentæ mactationis, & consumptionis factæ per ignem in illo sacrificio, ad figuram sacrificij Altaris non pertinuit. Quare cum plurimæ, & inter se contrariæ figuræ idem sacrificium Eucharisticum figurauerint, hanc generalem regulam elicio ex Bellarmino lib. 1. cap. 7. Ad figuram Eucharistiæ, illa tantùm in singulis figuris pertinere, quæ non pugnant cum impletione aliarum figurarum. Quærimus ergo iam quid est illud, quod in sacrificio Melchisedech pertinet ad figuram? certè substantia panis, & vini ex Regula data non pertinet, quia pugnaret cum omnibus aliis figuris aliorum Sacrificiorum, quæ cum sacrificia ex viuentibus, & animantibus essent, veram carnis substantiam requirebant in figurato, alioquin figuratum fuisset sua figura vilius, & ignobilius. Quod ergo pertinet ad hanc figuram est forma, seu species externa sacrificij Eucharistici, cum qua exteriori, & visibili forma, interior, & inuisibilis viuentis substantia, cuius omnia alia sacrificia fuerunt figuræ, non pugnant. XXX. *Non quidquid est in figura pertinet ad figuram.* XXXI. *In quo Sacrificium Christi & Melchisedech fuerunt figuratum, & figura.*

Statuamus ergo tanquam certum, sacrificia Christi, & Melchisedech habuisse inter se rationem figuræ, & figurati in facie visibili, & externa sacrificij, ita vt per hanc faciem singulariter, tàm sacrificium Melchisedech, quam sacrificium Christi, & suæ Ecclesiæ, dignoscatur, & differat ab omnibus aliis antiquis sacrificiis. Quo planè sensu intelligendus est locus egregius Augustini lib. 16. de Ciuit. cap. 22. de sacrificio Melchisedech. *Ibi primum*, inquit, *apparuit Sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo, toto orbe terrarum.* Nota, ibi primum ap-

V

paruit, non dicit, ibi primum fuit, quia verè etiam ante Diluuium ab origine Mundi in omnibus sacrificiis hoc nostrum fuit, sed ibi primum apparuit, quia sacrificium Melchisedech est ipsa facies sacrificij nostri.

XXXII. *Præstantia Sacrificij Melchisedech.*

Atque hinc apparere incipit præeminentia sacrificij Melchisedech præ omnibus aliorum sacrificiis. Primogenitus enim omnis creaturæ volens sacrificium visibile offerre, & instituere, non solum exclusit interiorem substantiam aliarum victimarum, verum etiam omnia illarum sensibilia accidentia: Neque enim solum noluit in sui sacrificium offerri Agnum, tanquam substantiam à se diuersam, sed neque se ipsum, suamque substantiam sub specie, & accidentibus visibilibus Agni, at omnino voluit totam externam faciem, omnia visibilia accidentia habere communia cum sacrificio Melchisedech, vt quoniam interior substantia sacrificij nostri necessario debebat esse diuersa, quia præstantior, esset saltem tota exterior species, & visibilis forma, planè eadem. Hinc Tridentinum Sess. 22. cap. 1. mirificè ad rem præsentem agens de Christo. Vt dilectæ, inquit, sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit. Expende illud, *vt visibile relinqueret Sacrificium, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se declarans, &c.* Sacrificium ergo Ecclesiæ in toto eo, quod est, & debet esse visibile, est omnino idem cum sacrificio Melchisedech.

XXXIII. *Visibile vtriusque planè idem.*

Atque hanc quidem summam in externo Symbolo, & ritu mystico similitudinem Patres omnes agnouerunt; quorum pauca quædam testimonia sed selecta subjiciam.

Primum sit S. Cypriani lib. 2. Epist. 3. ad Cæcil. Christus, inquit, obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat; pondera *illud hoc idem*, at Melchisedech obtulit panem, & vinum, Christus corpus & sanguinem? *Hoc idem*, pergit Cyprianus, idest panem, & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem, idem ergo in tota visibili facie Sacrificij.

Secundum testimonium sit Eusebij Cæsariensis in 5. lib. demonstr. Euang. cap. 3. Christus ipsius Melchisedech ritu, ea quæ ad Sacerdotium spectant per suos Ministros perficit. Nota illud: *Ipsius Melchisedech ritu.*

Tertium sit S. Ambrosij in cap. 5. ad Hebr. Constat manere Melchisedech *institutum* quod toto orbe terrarum in Sacramentorum erogatione celebratur. Inquire, quid est Melchisedech *institutum*. Idem habet Cassiod. in Psal. 109.

Quartum sit Hieronymi in Epist. ad Marcellam. Melchisedech Mysterium Christianum in Saluatoris sanguine, & corpore dedicauit. Vide exterioris symboli identitatem.

Quintum S. Augustini Epist. 95. ad Innocentium. Melchisedech *prolato* Sacramento mensæ Dominicæ, nouit æternum eius Sacerdotium figurare. Nota: cum suum sacrificium obtulit, *protulit* Sacramentum Mensæ Dominicæ.

Sextum Eusebij Emisseni Serm. 5. de Paschate Melchisedech. Hoc, quod in Eucharistia celebratur, Christi Sacrificium, figurauit. Attende ad illud. *Hoc quod in Eucharistia celebratur.*

Septimum Eucherij lib. 2. cap. 18. in Genes. Vt non secundum Aaron pecudum victimas, sed oblationem panis, & vini, idest corporis, & sanguinis eius Sacramentum in sacrificium offeramus. Siste, si neque pecudum, neque panis, & vini substantiam offerimus, cur illa nullo modo, hæc verò sunt totum nostrum Sacrificium?

Octauum Primasij in cap. 5. Epist. ad Hebræos. Vnde patet Sacrificium pecudum periisse, quod fuit ordinis Aaron, & illud manere potius, quod fuit ordinis Melchisedech, quod Christus *corroborauit*, & Ecclesiam tenere docuit. Considera illud: quod Christus corroborauit, *idem corroboratum*.

Nonum Ioannis Damasceni lib. 4. de Fide cap. 14. Mensa illa Melchisedech, mysticam hanc adumbrat, quemadmodum & Sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram, & imaginem præse ferebat. Vis cognoscere quam propriè hæc mensa sit illa? Vide apud Paulum Hebr. 7. vt hic Sacerdos, sit ille.

Decimum Oecumenij in cap. 5. ad Hebr. Melchisedech fuit primus, qui hostiam sine sanguine, panem, & vinum obtulit. Pulchrè dictum. *Hostiam sine sanguine* Hostia seu victima dicitur Sacrificium ex animantibus.

Vndecimum Theophilacti in cap. 5. ad Hebr. de Christo hæc habet. Hic enim, & solus Melchisedech in morem illius, pane, & vino sacrificabat. *In morem illius*, tene hoc verbum.

Duodecimum, quem inter Sanctissimos Patres nominatum volo, sit Cardinalis Bellarmini lib. 1. cap. 6. ex quo præcipua hæc delegimus, & attulimus testimonia. Sacrificium, inquit, Ecclesiæ est verè secundum ordinem Melchisedech, quia in Symbolo exteriore planè conueniunt; quod autem substantia interior sit diuersa, non refert, quia significatio, seu repræsentatio in accidentibus, non in substantia est.

Sed quorsum tot testimonia, quorsum tàm iterata confirmatio propositionis non obscuræ, quod scilicet sacrificium Christi, eiusque Ecclesiæ, in eo, quod visibile est, sit planè idem cum sacrificio Melchisedech. Quorsum? vt propositum initio rem explicarem satis obscuram, qua videlicet ratione, ritu, & forma Melchisedech suum Sacrificium consumabat.

Hæc igitur esto nostra Conclusio.

Melchisedech Sacerdos Dei Altissimi non alio modo, ac ritu, suum panis ac vini sacrificium consumabat, quàm per eiusdem panis, & vini sumptionem Sacerdotalem XXXIV.

Ritus Melchisedech in consumatione Sacrificij.

Dixi sumptionem Sacerdotalem, ad distinguendam sumptionem propriam sacrificij, seu sacrificalem à sacra sumptione, non propria Sacrificij, sed merè Sacramentali.

Est autem magnum discrimen inter sumptionem sacrificalem, & sumptionem Sacramentalem; & hoc loco valdè notandum: ac primum quidem discrimen est ex parte sumentis, nam in sumptione merè Sacramentali, qualis à laïco fit, vel XXXV.
etiam à Sacerdote extrà Sacrificium, sumens se habet, vt priuata persona, at in sumptione sacrificali, sumens, se habet vt legitimus Minister, & persona publica ad illam actionem deputata, & ordinata. Quare S. Thomas 3. par. quæst. 80. art. 12. ad 3. agens de laïcis non sumentibus sanguinem sub specie vini. *Sacerdos*, inquit, *in persona omnium sanguinem offert, & sumit.* Alterum discrimen est ex parte finis, quia in sumptione merè Sacramentali, non tam attenditur consumptio,

Sumptio Sacramentalis & Sacerdotalis in quo differunt.

quàm ſumptio, quia non tam attenditur cultus Dei, quàm propria ſpiritualis vtilitas; At in ſumptione ſacrificali magis attenditur conſumptio, quàm ſumptio, quia non tam ordinatur ad propriam vtilitatem, quàm ad cultum, & honorem Dei. Quare laicus conſumat, quia ſumit: at Sacerdos ſumit, vt conſumat; hinc eſt, vt ſumptio laicalis per ſe non requirat Altare, requirit verò ſumptio Sacerdotalis. Et ratio horum omnium petenda eſt à natura ipſa Sacrificij, & Sacramenti. Nam Sacrificium ita continet Dei cultum, vt immediatè referatur ad illum, & inſtitutum per ſe ſit propter illum: Sacramentum verò licet etiam ſuo modo contineat cultum Dei, non tamen immediatè, ſed mediatè tantum ordinatur ad illum, quatenus immediatè ad ipſos cultores Dei, quos diſponit, ſeu ſanctificat ad cultum Dei; atque hinc fit, vt ſumptio ſacrificalis conſiſtat in actione aliqua, quæ eſt in genere oblationis, quæ ad Deum refertur: ſumptio verò Sacramentalis, potius in receptione, quàm in actione conſiſtit, & in quadam quaſi paſſione, quæ in Dei cultoribus aliquo modo ſuſcipiatur; atque hinc tandem oritur, vt vna numero ſumptio ſacrificalis, poſſit à multis offerri, & omnibus prodeſſe: Vna verò ſumptio Sacramentalis in vno tantùm recipiatur, & vni tantùm, hoc eſt ſumenti proſit. Volui diuerſitatem inter vtramque ſumptionem ſignificare, quia vidi doctiſſimos viros parum illam aduertere, cum tamen in tota materia de Sacrificio valde ſit neceſſaria, vt præ oculis habeatur.

Probo iam poſitam concluſionem ex ſuperius dictis hoc modo. Ritus externus Sacrificij viſibilis, quo vtebatur Melchiſedech eſt omnino idem cum ritu externo Sacrificij viſibilis, quo in Cœna vſus eſt Chriſtus, & ex eius inſtitutione iam vtitur Chriſtiana Religio ſeu Eccleſia. Hoc probant allata teſtimonia Sanctorum Patrum, ex quibus docemur propterea Sacerdotium Eccleſiæ eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech propter ritum videlicet Sacrificij diſſimilis à quocumque alio, & conſimilis Melchiſedech. Vbi eſt valde notandum, non tantum à Patribus agnoſci ſimilitudinem vtriuſque in re oblata, ſed etiam in ritu, & forma oblationis, quia Sacrificium propriè in actione ſacrificali conſiſtit; & ideo in eius definitione res oblata ponitur in obliquo, oblatio verò in recto, & in Pſalmo non dicitur præcisè ſecundum victimam Melchiſedech, ſed ſecundum ordinem, hoc eſt ſecundum ritum, ſecundum morem, & vt ex Hebræo, & Græco explicat Genebrardus, ſecundum ea omnia, quæ pertinent ad Sacerdotium, & ſacrificium Melchiſedech. Hinc dixit Theodoretus, Chriſtum à Melchiſedech exorſum fuiſſe ſuum Sacerdotium, & Sacrificium; & Auguſtinus, in Melchiſedech primum Chriſti ſacrificium apparuiſſe, & Primaſius, manere adhuc ſacrificium Melchiſedech, quod Chriſtus corroborauit tantum per interiorem ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ſui, cæteris viſibilibus immutatis. Maneat ergo fixum idem externum, & viſibile ſacrificium fuiſſe Chriſti, & Melchiſedech quoad omnia eſſentialia externa, & viſibilia: Quod planè poſtulat ſingularis perfectio huius figuræ ſuper omnes alias, vt ſupra meminimus.

XXXVI. *Conſumatio eſt pars eſſentialis Sacrificij.*

Ergo modus, quo Melchiſedech ſuum Sacrificium conſumabat eſt planè idem cum modo, quo Chriſtus in Cœna ſuum Sacrificium conſumauit, & ſuæ Eccleſiæ conſumandum reliquit. Hæc conſequentia probatur facile, quia conſumatio Sacrificij eſt pars eſſentialis, & potiſſima ipſius Sacrificij. Cum enim Sacrificium formaliter in ſacrificatione ſeu oblatione ſacrificali conſiſtat, & oblatio ſacrificalis, vt conſentiunt Aduerſarij in præſenti quæſtione diſtinguatur à ſimplici obla-

tione per hoc quod sit essentialiter consumptiua rei, quæ offertur in Sacrificium; necessario sequitur consumationem Sacrificij, quæ habetur per Hostiæ, seu victimæ consumptionem, esse partem maximè intrinsecam, & essentialem sacrificio. Cum ergo sacrificium Christi, & Melchisedech sit planè idem quoad essentialia externa, & visibilia sacrificij, planè conficitur, modum, quo Melchisedech suum Sacrificium consumabat, eundem fuisse cum modo, quo Christus in Cœna suum Sacrificium consumauit.

Pergamus. Sed Christus in Cœna suum sacrificium non alio modo, ac ritu præterquam per sumptionem Sacerdotalem consumauit; ergo Melchisedech non alio modo, ac ritu præterquam per eandem sumptionem Sacerdotalem, suum panis, ac vini sacrificium consumabat, quæ erat nostra Conclusio. XXXVII. *Christus consumauit per sumptionem.*

Tota ergo difficultas eo redacta est, vt ostendamus Christum per sumptionem, suum sacrificium consumasse; sed Authores quibus cum in præsenti disputamus, hoc vltrò concedunt, quantum pertinet ad consumationem visibilem, & realem, quæ posita sit in destructione visibili rei oblatæ saltem concedunt omnes, si ad sacrificium necessaria est destructio visibilis rei oblatæ, eam abunde haberi quantũ postulat Sacrificium per sumptionem; quare si concedatur ex figurato similem quoque Sacerdotalem sumptionem præcessisse in figura, illa omnino sufficiens est ad consumationem sacrificalem, vt necessarium non fuerit ad alium destructionis modum per ferrum, & ignem confugere. Sed qua ratione sumptio pertineat ad essentiam Sacrificij nostri, quod est secundum ordinem Melchisedech, redibit sermo inferius. Interim experiri libet, an quod de figura cognouimus ex figurato tantùm, iam non ex figurato, sed in figura ipsa deprehendamus; hæret enim animo, quod antea diximus, quidquid in figurato expressum patet, saltem adumbratum latere in figura ipsa, ibique quandoquidem inest, reperiri tandem posse, si diligentius inquiratur; ergo ex figura ipsa Melchisedech provt exponitur Genes. 14. Sic iterum argumentor. Melchisedech proferens panem, & vinum communicauit Abraham Patriarcham communione Sacramentali; ergo prius eiusdem panis, & vini Sacrificium consumauit sumptione Sacerdotali. Antequam consequentiam probemus explicandum est antecedens, cuius veritas non aliundè ostendenda est, quam ex ipsa Geneseos historia, non à Caluino, & Kemnitio, sed à sapientissimis, sanctissimisque Ecclesiæ Doctoribus explicata. XXXVIII. *Inquiritur modus consumationis in figur. ipsa.* XXXIX. *Abraham sumpsit Sacramentum communionis.*

Itaque Caluinus, & qui eum sequuti sunt Sectarij contendunt, Melchisedech distribuisse panem, & vinum Abrahamo, sociisque eius in solam, & meram corporalem refectionem illorum, quippe qui fatigati ex prœlio reuertebantur. Contra verò Doctores Catholici ostendunt primo loco nullam fuisse necessitatem, cur Melchisedech in solam corporalem refectionem panem, & vinum proferret. Nam vt habet Scriptura cap. 14. quam benè ponderat P. Vasquez disput. 126. cap. 3. post Bellarminum, rediit Abraham ex prœlio cum ingenti præda, in qua erant etiam ea, quæ ad cibum pertinent, vt in sacro Textu apertè dicitur; immò in fine capitis additur, milites Abrahæ cibum sumpsisse, antequam eis occurreret Melchisedech. Quid igitur, ait Bellarminus, opus erat pane, & vino iis, qui spoliis abundabant, & paulò ante comederant, & biberant? Quod si Melchisedech Rex voluisset communi, & vsuali epulo magnum Abrahamum excipere, non protulisset tantùm, quòd etiam obseruauit Vasquez disp. 86. cap. 3. panem, & vinum: & quod planè conuincit, si illa tantùm tanquam cibum planè communem, & vsua-

lem protulisset, non addidisset illam causam Scriptura. *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*, nam particula illa causalis, nullius planè rei causam reddidisset: immo prorsus inepta fuisset, ait Suarez, nisi illa prolatio ad munus Sacerdotale pertinuisset, aut saltem omnino superflua, vt sentit Abulensis in cap. 14. quia ad solam, inquit, præsentationem cibi non requirebatur quod esset Sacerdos.

XL. *Panis Melchisedech consecratus in typum Eucharistiæ.* Ideo Sanctissimi Ecclesiæ Patres docuerunt Melchisedech, qui conditionibus personæ suæ præfigurauit Christi Sacerdotium in ea distributione panis, & vini præfigurasse distributionem Eucharistiæ; quæ fidelibus Ecclesiæ militantibus, post partam de peccatis victoriam in alimentum spirituale cedit; & quondam nocte Cœnæ Christus ipse perfecit, distribuens discipulis suis, & dicens: *Accipite, & comedite, hoc est enim corpus meum.* Hinc Clemens Alexand. lib. 4. Stromatum propè finem. Melchisedech, inquit, Rex Salem Sacerdos Dei Altissimi, qui vinum, & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum *Eucharistiæ.* Vides, ait Bellarminus super hunc locum, panem non prophanum in refectionem ventris, vt Aduersarij volunt, sed à Melchisedech vt Sacerdote Dei sanctificatum dari. Autor quæstionum veteris, ac noui Testamenti apud Augustinum ait Melchisedech obtulisse Abrahamo Eucharistiam Corporis, & Sanguinis Domini, quod etiam ex antiquis Magistris Hebræorum docuit Samuël libro de Aduentu Messiæ cap. 19. Sic inquit: Melchisedech Sacrificium Dei instituit in pane, & vino, ex quibus communicauit Abraham amicum Dei, in quam sententiam dixit sanctus Ambrosius libro de iis, qui initiantur cap. 8. Melchisedech dedisse quæ Abraham veneratus accepit: per verbum illud veneratus, ait P. Suarez satis declarans panem illum non fuisse vulgarem, sed in figuram Corporis Domini sub illis speciebus aliquando continendi consecratum.

XLI. *Argumentum ex veneratione Abraham.* Et sanè ex veneratione Abrahæ erga Melchisedech, cui tanquam Summo Pontifici decimas dedit, & à quo, vt à maiore suo benedictionem accepit, validum argumentum sumere licet Magni Mysterij in illa prolatione panis, & vini. Quod sine dubio fuit argumentum Apostoli ad Hebræos 7. *Intuemini autem quantus sit hic*, ait Apostolus, *cui decimas dedit Abraham Patriarcha.* Tota emphasis comprehensa est illo verbo *Abraham Patriarcha.* Fuit Abraham, ait Cornelius, Patriarcha per excellentiam, primus, & maximus, atque adeo parens omnium Patriarcharum: Patriarcha enim, idem est quod Princeps, & Pater patrum, siue à quo multi Patres cum suis familiis descendunt, neque fuit tantum omnium Patriarcha, ait Cornelius quoad generationem naturalem, sed etiam quoad Sacerdotium, sicut enim Abraham omnium duodecim Tribuum fuit Pater, & Patriarcha, ita & eorumdem Summus fuit Sacerdos Pontifex, nam capita familiarum earumdem erant Sacerdotes: Ius enim Sacerdotij illo tempore per generationem carnalem deuoluebatur in posteros, scilicet in primogenitos, & in Capita familiarum, ac consequenter omne Sacerdotium Hæbræorum descendit ab Abrahamo, eiusque Sacerdotio.

XLII. *In lumbis Abraha omnis Ecclesia.* Rursum, quod ex eodem Apostolo habemus, Abraham in ea propriæ inferioritatis, & minoritatis agnitione, & professione summæ dignitatis Pontificiæ in Melchisedech, non priuatam, sed publicam, & verè Patriarchalem personam gessit, ita vt quidquid venerationis, & officij præstitit Melchisedecho, non suo tantum nomine, sed omnium quotquot erant in lumbis eius nomine præstiterit.

Hinc Apostolus grauissimè intulit, totam Tribum Leuiticam, & Aaronem cum

tota sua familia Sacerdotali, per Abraham decimas Melchisedecho pendisse, & soluisse, atque adeo se inferiorem, & minorem agnouisse. *Adhuc enim* ait Apostolus, *in lumbis Patris erat quando obuiauit ei Melchisedech.* Atque hoc quidem genus argumentandi ab Apostolo vsurpatum, occasionem Theologis fecit inquirendi; An verè omnes, qui in lumbis Abrahæ tunc erant, fuerint in illo decimati: ex eo enim consequens videtur esse, non solum Patriarchas duodecim Tribuum Israël, sed etiam Apostolos, qui fuerunt Patres, & Patriarchæ Ecclesiæ immò Reginam ipsam Patriarcharum, quæ cum Apostolos omnibus Hebræis, ipsa etiam Hebræa, erat in lumbis Abrahæ: consequens, inquam, ex illa ratione est, vt Regina ipsa cum omnibus, qui pro patribus nati sunt illi filij, & constituti sunt principes super omnem terram, per Abraham, & in Abraham, Melchisedech tanquam maiorem, & Superiorem, Summumque Pontificem agnouerint, & adorauerint, ab eoque benedictionem reuerenter acceperint. Quam consequentiam Theologi negare non sunt ausi: propterea S. Thom. 3. par. quæst. 31. art. 8. vbi quærit; vtrum Christus in lumbis Abrahæ fuerit decimatus, vt eximat illum ab ea professione inferioritatis respectu Melchisedech, non ad aliam rationem recurrit, nisi ad illam, qua vsus fuerat Aug. lib. 10. super Genes. ad litteram cap. 20. post medium, tom. 3. Quia nimirum Christus non continebatur in lumbis Abrahæ secundum seminalem rationem, secundum quam cæteri omnes filij Abrahæ continebantur in illo, sed tantum secundum corpulentam substantiam, cuius distinctionis vim explicat P. Suarez in Commentario sancti Thomæ; quia, inquit, filij contenti in seminali virtute parentis, sunt propriè in virtute, & quasi in naturali potestate eius, & ideo operari potest parens, vt Caput, & Principium eorum, at verò filius contentus solum secundum corpulentam substantiam, est in illo tantum secundum potentiam passiuam, & quasi obedientialem saltem quoad modum generationis, & propagationis, & ideo non operatur propriè huiusmodi pater, vt caput, & principium talis filij, ita vt operationes eius ad filium aliquo modo pertinere censeantur. Quæ ratio, quia singulariter probat de Christo, ideo concludit S. Thomas, quem sequuntur Theologi omnes, etiam Magnam Dei Matrem fuisse tunc in Abraham decimatam.

XLIII. *Solus Christus in lumbis Abrahæ non fuit decimatus.*

Iam verò considerato Abrahæ Patriarchatu cum continentia sic explicata. Intueamur iterum, quantus fuerit hic Melchisedech, cui nimirum decimas dederit Regina ipsa omnium hominum, & Angelorum? Necessario fatendum est, quod Patres affirmant; Abrahamum in Melchisedech Sacerdotio, & Sacrificio præcognouisse, quæ post ferè quingentos annos nouit Moyses, cum illum introduxit tanquam Sacerdotem æternum sine patre, sine matre, sine genealogia, & quæ post duo, & eo amplius annorum millia Paulus intellexit, cum dixit ad Hebr. 5. *Appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech, de quo nobis grandis sermo, & in interpretabilis ad dicendum quoniam imbecilles facti estis ad audiendum;* quem sermonem grandem esse de Sacrosancto, ac diuinissimo Eucharistiæ Sacrificio, & Sacramento consentiunt Interpretes cum S. Hieronymo epist. 126. ad Euagrium: & verè ait Bellarminus, cum Apostolus omnia planè exposuerit, quæ de Melchisedech dicuntur in Genesi, excepto oblatione panis, & vini, negari non potest quin per sermonem in interpretabilem, cui non erant idonei Hebræi, intelligi debeat Mysterium Eucharistiæ.

XLIV. *Sermo grandis & in interpretabilis.*

Hoc nimirum fidei Mysterium cognouit Abraham, & tanquam Pater cre-

dentium, obtulit primo loco Sacrificium, vt ait S. Ambrosius lib. 1. de Abrah. cap. 3. non quidem vt Sacerdos ipse, sed vt lib. 3. de Fide cap. 5. explicat idem Ambrosius, obtulit tanquam Ecclesia, quam in lumbis gerebat per Melchisedech, tanquam per Sacerdotem Summum illum Melchisedech, ait Ambrosius, per quem Abraham hostias Deo obtulit; Neque per Melchisedech tanquam per eum, qui erat, sed tantùm per eum, quem repræsentabat Sacerdotem Æternum, & Mundi Pontificem, è cuius manibus Sacrificatum panem, & vinum, tanquam Corpus, & Sanguinem Domini veneratus accepit, quod apertè docet S. Ambrosius, qui libro de initiandis cap. 8. cuius capitis titulus est, de sacra sancti Corporis Dominici communione, ex hoc loco Genesæos probat Ecclesiæ Sacramenta antiquiora esse, quàm Synagogæ.

XLV. *Communionis generalis figura.*

Vides obiter primam, & luculentissimam vmbram generalis communionis, quam non solum Ecclesiæ Patres, sed Philo ipse Hebræus agnouit lib. 1. de Abraham, vnde agens de Melchisedech: mactatis, inquit, victimis splendidum epulum sociis omnibus dedit. At quas victimas mactauit Melchisedech, qui nunquam Sacrificium cruentum obtulit, qui pro suo singulari ordine, ritu, & instituto, obtulit semper in Sacrificium, solum panem, & vinum? Ita planè panis, & vinum, vt est Oecumenio vidimus in cap. 5. ad Hebr. Victima fuit incruenta, & hostia sine sanguine, quam primitus obtulit Melchisedech. De hisce victimis sermo est Prouer. 9. & 11. *Sapientia immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Victimas, inquit, non victimam, quia vnica victima sacrificij Ecclesiæ, quod est corpus aptatum Sacerdoti nostro, infinitis victimis æquipollet, immò ipsum est omnis victima, & sola victima. Hoc enim sacrificium corporis, ait August. lib. 17. de Ciuit. cap. 20. successit omnibus sacrificiis, quæ immolabantur in vmbra futuri, propter quod etiam vocem illam agnoscimus; corpus autem aptasti mihi, quia pro illis omnibus oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur: & nota quàm aptè huius typicæ mensæ conuiuæ fuerint milites Abrahæ: *pone mensam*, ait Isai. cap. 21. ver. 5. *pone mensam, contemplare in specula comedentes, & bibentes, surgite Principes, & arripite clypeum,* nimirum, Conuiuium hoc quasi Castrense est, ad quod ab armis, & à quo iterum ad arma eundum est; ideo conuiuæ vocantur ad Arcem, & ad mœnia Ciuitatis. Sed de his alibi. Nunc quoniam satis explicuimus, & confirmauimus sententiam Patrum de distributione facta à Melchisedech Abrahæ, eiusque sociis in typum Eucharistiæ, indicemus consequentiam, quam ex illa distributione inferebamus, nimirum Melchisedech per sumptionem eiusdem typici panis, ac vini, Sacerdotalem suum sacrificium consumasse.

XLVI. *Corpus Christi est omnis Victima.*

XLVII. *Eucharistia ConuiuiumCastrense.*

XLVIII. *Ex distributione infertur cōsequentia sumptionis Sacerdotalis.*

Hanc autem, quam breuissimè ostendo ex doctrina S. Thomæ 3. par. quæst. 82. art. 4. vbi hæc habet: per hoc quod Sacerdos Sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem Diuinorum, quorum ipse primo debet esse particeps, sicut Dionysius dicit in libro Ecclesiast. Hierar. & ideo ipse ante sumere debet, quam populo dispenset; vnde in Concilio Toletano legitur: quale est Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Per hoc autem fit particeps quod de Sacrificio sumit secundum illud Apostoli 1. Corinth. 10. *Nonne qui edunt hostias participes sunt Altaris;* & ideo necesse est, quod Sacerdos, quotiescumque consecrat, sumat integrè hoc Sacramentum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER



LIBER TERTIVS.

De Naturâ huius Montis,

QVI EST

Secundus de Essentia Sacrosancti Ecclesiæ Sacrificij.



T propius ad essentiam incruenti Sacrificij explicandam accedamus, necessarium erit in examen vocare celebrem controuersiam, & à Theologis, tum antiquioribus, tum recentioribus, diu, multumque agitatam, in qua nimirum parte Sacrosanctæ nostræ Liturgiæ inuenitur ratio Sacrificij propriè dicti, & supra definitione explicati. Vt enim ad Ecclesiæ Sacrificium funditus extirpandum ratiocinantur Hæretici apud Bellarminum lib. 1. cap. 27. Si Missa Sacrificium esset propriè dictum, certè in aliqua eius parte inueniretur essentia Sacrificij, nulla autem est huiusmodi pars assignabilis, nam post Missam Cathecumenorum, in qua certum est non consistere Sacrificij rationem quinque partes inueniuntur. *Prima*, oblatio panis, & vini. *Secunda*, consecratio, & transmutatio panis in Corpus, & vini in Sanguinem Domini. *Tertia*, oblatio corporis, & sanguinis per expressa verba. *Quarta*, fractio, & commixtio Sacramenti. *Quinta*, distributio, & consumptio eiusdem.

Et quidem in oblatione panis, & vini Sacrificium Missæ non consistere, extrà controuersiam est; non enim res terrenæ esse possunt illud vnicum Sacrificium, quod in Ecclesia vigere pro omnibus veteribus Sacrificiis Patres affirmant.

In Consecratione, quæ est secunda pars, non apparet vlla oblatio, quæ tamen


de intrinseca ratione Sacrificij est. Præterea non fit in consecratione vlla sensibilis immutatio rei, quæ offertur, quæ mutatio ad rationem externi Sacrificij pertinere videtur.

Oblatio corporis, & sanguinis, tertia videlicet pars, quæ sequitur ad consecrationem, ad essentiam Missæ pertinere non potest, proinde neque in ea ratio Sacrificij constitui debet; nam Christus Dominus, quem huius sacrificij Authorem habemus, post consecrationem continuò Sacramentum distribuit, ac manducari præcepit; sic enim ait: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum.* Nullum igitur fuit tempus, in quo Dominus consecratum panem Deo offerre potuerit. Deinde si verum est, quod S. Gregorius scribit lib. 7. Epist. 63. Solummodo Orationem Dominicam Apostolos addidisse ad verba consecrationis; certè nec ipsi faciebant illam oblationem, quam nos post consecrationem facimus; non igitur illa oblatio ad essentiam Sacrificij pertinet.

Porrò fractio, quæ quarta pars est, sine dubio non habet Dominum Authorem, Dominus enim fregit quidem panem, sed fregit, vel ante consecrationem, vt multi volunt, vel statim à consecratione, vt distribueret eius Discipulis. At nostra fractio fit post consecrationem multis aliis actionibus interjectis, & non fit ad distribuendum, sed ad certum mysterium significandum.

Denique manducatio, seu consumptio non videtur propriè Sacrificium, cum non fiat à solo Sacerdote; & quamuis ad essentiam Sacrificij pertineret, non potest tamen in ea sola tota essentia Sacrificij constitui, nam sine oblatione, & dedicatione præcedente Sacrificium esse non potest.

Hanc objectionem ait Bellarminus faciunt partim Hæretici, ad Missam oppugnandam, partim etiam Catholici ad rem melius explicandam. Nos igitur, vt vtrisque ea soliditate, quam rei grauitas postulat respondeamus, grauiores aliquot quæstiones, & maximè controuersas apud Catholicos ipsos, agitabimus ex quibus facillimum erit reliquas definire.



QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum essentia Sacrificij Missæ consistat in Consecratione.

I. *Nostra Sententia eiusque fundamentum.*
II. *Materia Sacrificij nostri est Corpus Christi.*
III. *Corpus Christi vna pro omni Victima.*
IV. *Corpus Christi vt est extrà Sacramentum non est materia Sacrificij.*
V. *Materia Sacrificij est Panis Cælestis.*
VI. *Probatur paritas Incarnationis, & Consecrationis.*



SENSVS huius controuersiæ perspicuus est, an scilicet oblatio Sacrificalis posita formaliter, & essentialiter sit in actione ipsa consecrationis, ita vt sacrificatio idem sit, quod consecratio. Diuisi sunt Authores vtrinque. Pro affirmante citantur plurimi, quos congerit noster Fagundez lib. 3. primi præcepti Ecclesiæ cap. 4. Pro negante citantur ab Aduersariis ipsis, vt videre est apud eundem Fagundez. Albertus Magnus in 4. dist. 13. art. 24. Scotus in eodem 4. distinct. 13. quæst. 2. Gabriel ibidem quæst. 1. Ledesma 1. p. 4. quæst. 23. art. 4. & alij, qui docent consecrationem esse quidem aliquid necessario præuium ad Sacrificium; propriè tamen non esse partem essentiæ Sacrificij ad eum planè modum, quo Incarnatio necessaria quidem fuit ad Sacrificium Christi cruentum, non tamen fuit pars eius, sed veluti præpara-

tio quædam rei offerendæ ſeu materiæ ſacrificandæ iuxtà illud ad Hebr.7. *Corpus autem aptaſti mihi.*

I. *Noſtra Sententia eiuſque fundamentum.* Nos expenſis pro vtraque ſententia rationum momentis, ad hanc poſteriorem partem inclinamus. Ponimus autem noſtrum fundamentum hoc modo.

Oblatio ſacrificalis præſupponit conſecrationem; ergo oblatio ſacrificalis non conſiſtit in conſecratione. Antecedens, in quo tota vis eſt, probatur. Oblatio ſacrificalis præſupponit Corpus Chriſti ſub eſſe Sacramentali; ergo præſupponit conſecrationem, per quam Corpus Chriſti eſt ſub illo eſſe. Probo hoc antecedens. Corpus Chriſti ſub eſſe Sacramentali eſt materia oblationis ſacrificalis; ergo oblatio ſacrificalis præſupponit Corpus Chriſti ſub eſſe Sacramentali. Conſequentiam admittunt omnes, quia materia cuiuſcumque Sacrificij, circa quam verſari debeat oblatio ſacrificalis, præſupponitur oblationi ipſi ſacrificali; ideo P. Suarez, qui docet conſecrationem pertinere intrinſecè ad oblationem ſacrificalem, cohærenter negat Corpus Chriſti ſub eſſe Sacramentali eſſe materiam & P. Vaſquez, qui concedit Corpus Chriſti eſſe materiam, negat eſſe materiam ſub eſſe Sacramentali, quia ſentit cum P. Suarez, conſecrationem pertinere intrinſecè ad oblationem ſacrificalem. Neque enim poteſt intelligi, materiam, circa quam aliqua actio verſatur, ad illam non præſupponi. Si ergo nos probauerimus oblationem ſacrificalem verſari circa Corpus Chriſti, vt eſt ſub eſſe Sacramentali; euincemus apertè conſecrationem, per quam Corpus Chriſti habet eſſe Sacramentale, antecedere, & præſupponi ad oblationem.

II. *Materia Sacrificij noſtri eſt Corpus Chriſti.* Probo igitur. Corpus Chriſti ſub eſſe Sacramentali eſſe materiam oblationis. Corpus Chriſti eſt materia oblationis, ſeu res oblata, tanquam materia; ſed non eſt talis, vt eſt extrà Sacramentum, in ſuo eſſe naturali, vt Aduerſarij fatentur; ergo eſt materia prout eſt in Sacramento ſub eſſe Sacramentali.

Et primo, quod Corpus Chriſti, ſeu Chriſtus ſit res oblata tanquam materia principalis huius Sacrificij probatur, quia in quocumque Sacrificio materia principalis oblationis eſt victima, ſeu hoſtia Sacrificij, vt patet ex omnibus Sacrificiis figuralibus. Sed victima & hoſtia Sacrificij noſtri eſt Corpus Chriſti, ſeu Chriſtus; ergo Chriſtus eſt materia principalis Sacrificij noſtri.

Hæc propoſitio Aduerſarios Catholicos vehementer vrget, quia ex vna parte negare non poſſunt; Victimas, & hoſtias antiquorum Sacrificiorum fuiſſe veram materiam oblationum ſacrificalium; quis enim negabit, Agnum, quem obtulit Abel Geneſ. 4. fuiſſe veram, & principalem materiam Sacrificij ſui? Ex altera verò parte tenentur fateri, Agnum Sacrificij noſtri eſſe ipſum Chriſtum. Hoc, eſt quod ſanctus Andreas Apoſtolus dixit Proconſuli: *Ego immaculatum Agnum in Altari offero, cuius carnes poſteaquam omnis populus credentium manducauerit, Agnus, qui immolatus eſt, integer perſeuerat, & viuus.* Hoc, eſt, quod S. Gregorius Niſſenus Orat. 1. Paſch. profeſſus eſt. *Arcano*, inquit, *Sacrificij modo ipſe eſt Sacerdos, & Agnus.* Hoc, eſt quod explicauit Greg. Homil. 22. in Euang. *Quid*, inquit, *ſit ſanguis Agni, non audiendo, ſed bibendo didiciſtis.* Hoc, eſt denique, quod Apoſtolus ipſe teſtatur 1. Cor. 5. *Paſcha noſtrum*; hoc eſt:

III. *Corpus Chriſti vna pro omni Victima.* Agnus noſter *Paſchalis immolatus eſt Chriſtus.* Quid ergo ad conſequentiam reſpondebunt? Aiunt, quod eſt planè mirabile, fuiſſe quidem Agnos illos figurales, propriè materiam veterum oblationum; ſed Agnum noſtrum verum non eſſe

propriè materiam Sacrificij nostri. At clamat Chrysost. Homil. 24. in 1. Cor. *Pro victimarum, & pecorum cæde se ipsum offerendum præcepit.* Clamat Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 20. *pro illis omnibus Sacrificiis, & oblationibus corpus eius offertur.* Clamat S. Leo Serm. 7. de Pass. Vt vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruantia nouo tollitur Sacramento: *Hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit.* Clamat Beda in cap. 22. Lucæ: *Pro carne Agni, ac sanguine, sui corporis, sanguinisque Sacramentum instituit.* Ex quibus Patrum testimoniis sic argumentor. Corpus Christi fuit aptatum à Spiritu Sancto iuxtà illud: *corpus autem aptasti mihi*, vt succederet victimis omnibus omnium Sacrificiorum, & vt vtar verbis S. Leonis Serm. 8. de Passione: *Vt omnes differentias hostiarum, vna corporis, & sanguinis eius impleret oblatio*; ergo ita comparatur Corpus Christi, seu Christus ad vnicum Sacrificium nostrum, sicut comparabantur omnes victimæ antiquæ ad omnia antiqua Sacrificia, sed illæ se habebant propriè vt materia oblationis sacrificalis; ergo ita se habet in Sacrificio nostro Corpus Christi.

Altera propositio, quæ erat, Christum non esse materiam oblationis, provt est extra Sacramentum, & in suo esse naturali facile admittitur ab Aduersariis, quia materia, quæ ad Sacrificium sensibile supponitur, debet esse sensibilis, vt constat ex definitione Sacrificij in genere, & inductione omnium veterum Sacrificiorum: Christus autem, vt existens in propria specie, & provt est in Cœlo, perinde nobis est, ac si esset insensibilis, & inuisibilis; propterea Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. ait: Christus Dominus noster in nocte Cœnæ, vt dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ *visibile*, sicut hominum natura exigit relinqueret Sacrificium, Corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & Sacerdotibus, vt offerrent præcepit. Et infra. Nouum instituit Pascha se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes *sub signis visibilibus* immolandum; ex quibus verbis manifestè constat materiam huius Sacrificij, quod est visibile, non esse qualemcumque, sed visibilem, atque sensibilem, hoc est, vt Concilium loquitur: Corpus ipsum, & sanguinem sub speciebus, & signis visibilibus. Quod etiam planè demonstrant verba nostræ oblationis: dicimus enim offerre nos *Panem sanctum* vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ. Est autem Christus panis sanctus, vt existit sub speciebus panis, & cum illis constituit vnum visibilem cibum & in quantum talis cedit in vsum fidelium, & in verum cibum. Vnde nouam vim sumit argumentum, quia illud offertur in Sacrificium, quod accipitur vt Sacramentum, sed accipitur vt Sacramentum panis Cœlestis; ergo panis Cœlestis, seu Christus sub specie, & forma panis offertur in Sacrificium. Materia ergo, circa quam versatur oblatio sacrificalis, est Corpus Christi, seu Christus, factus per consecrationem ipsam panis Cœlestis, atque adeo, quod erat nobis probandum; oblatio sacrificalis non consistit in consecratione, sed illam essentialiter præsupponit.

IV. *Corpus Christi vt est extrà Sacramentum nō est materia Sacrificij.*

V. *Materia Sacrificij est Panis Cœlestis.*

Atque ex his tandem intelligitur satis aptè explicari nostram sententiam exemplo Incarnationis. Sicut enim per Incarnationem, licet fiat aliquod sacrum, vt quidam Theologi loquuntur, nempe humanitas Deitate ipsa vncta, & consecrata, tamen per eam formaliter nihil sacrificatur, & immolatur, sed præparatur tantùm, vt in Sacrificio offerri, & immolari possit, ita per consecratio-

VI. *Probatur paritas Incarnationis, & consecrationis.*

nem Corporis Christi, quæ iuxtà nobiles Theologos est veluti quædam productio ipsius Christi in esse Sacramentali, etiamsi per illam fiat aliquod sacrum, nihil tamen offertur formaliter, & immolatur, sed præparatur tantùm, & aptatur proximè ad immolationem id, quod eandem ferè vim habet in opinione affirmantium, consecrationem non esse productionem, sed adductionem tantùm Christi in Eucharistia; nam sicut adducere agnum non est ipsum immolari, ita etiam adducere Christum eo modo, non est ipsum in Sacrificium offerre.

Neque vllo modo admitti potest disparitas, quam indicat P. Suarez disput. 75. Sect. 4. vbi ait non esse simile quod de Incarnatione affertur, tum quia Christus, vt homo viuus fuit materia Sacrificij cruenti, tum etiam quia idemmet fuit principale offerens, non vt Deus tantùm, sed vt Deus homo, quomodo per Incarnationem esse cœpit: at verò in præsenti Christus, vt principale offerens supponitur ante consecrationem, quia non offert, vt est sub speciebus, sed vt in propria specie existit, offertur autem vt est sub speciebus.

Hæc, inquam, disparitas admitti non potest, neque secundum priorem partem, quia sicut Christus, vt homo viuus sub specie, & forma hominis viuentis fuit materia Sacrificij cruenti, ita Christus iam homo viuens, sub specie, & forma non viuentis est materia Sacrificij incruenti; ergo sicut Christus sub specie, & forma viuentis, qualis est forma hominis præsupponitur oblationi Sacrificij cruenti, ita idem sub specie, & forma non viuentis, qualis est forma panis præsupponitur oblationi Sacrificij incruenti; ergo eo modo, quo ibi præsupponitur per actionem Incarnationis, præsupponitur hic per actionem consecrationis.

VII. *Christus est offerens, vt est sub speciebus.* Posterior verò pars disparitatis falso nititur fundamento, nimirum quod Christus non offert, vt est sub speciebus, sed vt in propria specie existit: Hoc, inquam, fundamentum est falsum, vt alibi ostendimus, & nunc iterum eius falsitatem confirmamus, quia idem est Christus, qui offert, & qui offertur; ergo in eo signo, in quo Christus intelligitur offerri à se ipso, intelligitur etiam se ipse offerre, sed intelligitur offerri à se ipso sub speciebus; ergo intelligitur etiam offerre se ipse sub speciebus; ergo sicut Christus, vt est res oblata formaliter, non supponitur ante consecrationem; ita idem, vt est offerens formaliter, neque supponitur ante consecrationem; quod vel ex eo tenetur admittere P. Suarez, quia ipse docet existentiam Christi naturalem in propria specie nihil ad hoc Mysterium pertinere. Quomodo ergo non pertineret, si non posset intelligi principale offerens nisi existens in propria specie? Sicut ergo Christus non solum fuit res oblata, sed principale offerens respectu Sacrificij cruenti, & non prius fuit formaliter offerens, quàm res oblata; materialiter autem prius fuit res oblata, seu materia oblationis, quàm offerens formaliter: ita respectu Sacrificij incruenti non solum Christus est simul offerens, & res oblata, sed non prius formaliter oblata, materialiter verò prius est res, seu materia oblationis, quàm sit formaliter offerens. Et sicut non potuit se ipsum offerre naturaliter antequam esset per Incarnationem; ita neque potest se offerre Sacramentaliter antequam sit per consecrationem; nam sicut illa oblatio est actus existentis in esse naturali, ita hæc est actus existentis in esse Sacramentali. Par ergo omnino est ratio de Incarnatione, & Consecratione.

VIII. *Fundamentum* Contra hanc sententiam mirum quam multi recentiores insurgunt, quia ta-

men omnium ferè Agmen ducit P. Suarez, qui disput. 75. Sect. 4. conatur illam euertere septem Argumentis in speciem validissimis, ideo necessarium ducimus fideliter illa proponere, & quanti tandem sint ponderis explorare. *contraria sententia.*

Primum igitur argumentum, quo probat P. Suarez, consecrationem esse omnino intrinsecam Sacrificio ducitur ex facto Christi, prout ab Euangelistis narratur; nam expresse solum dicunt consecrasse panem, & dedisse Discipulis suis, & ex hoc solum colligimus cum Patribus illum sacrificasse; ergo maximè ratione consecrationis; distributio enim non pertinet ad Sacrificium; ergo consecratio est de essentia Sacrificij: neque enim est verisimile Euangelistas prætermisisse actionem maximè essentialem huic Sacrificio. Et confirmatur ex illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus consecratio principaliter præcepta est, nam per illam Christi Passio expressius repræsentatur, dum Corpus, & Sanguis ex vi verborum separatim consecrantur. Hoc est primum argumentum. IX. *Primum ex facto Christi.*

Respondeo. Falsum esse, quod ex sola Consecratione colligimus cum Patribus, Christum sacrificasse: immò ex consecratione præcisè id nullo modo colligimus, & potius colligimus ex distributione. Non colligimus, neque colligere possumus ex consecratione, quia consecratio præcisè est ad summum Sacramenti confectio, non verò formaliter Sacrificij oblatio, vt rectè aduertit Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. Quare hæ duæ actiones distinctæ sunt inter se, & in aliquorum opinione etiam separabiles, quatenus potest in aliquo casu confici Sacramentum, & non Sacrificium vti multi affirmant Christum Dominum fecisse quando in Emaus cum duobus Discipulis accepit panem, benedixit, fregit, dedit eis, &c. Luc. 24. Ex distributione verò id potius colligitur præsuppositiuè, quia sacrum Conuiuium præsupponit immolationem, & ex immolatis præparatur, vt idem Suarez probat Sect. 3. tum ex Prouerb. 9. *Immolauit victimas suas, posuit mensam suam*, tum ex 1. ad Cor. 5. *Nonne qui edunt hostias participes sunt Altaris?* Dixi ex verbis consecrationis præcisè non posse colligi; nam ex verbis consequentibus, & adjunctis, quæ tamen non pertinent ad essentiam consecrationis in sententia P. Suarez, optimè colligimus Eucharistiam non tantùm in Sacramentum institutam esse, sed etiam in Sacrificium. Etenim ad verba essentialia consecrationis Corporis additur Luc. 22. *Quod pro vobis datur*, & pariter ad verba essentialia consecrationis sanguinis additur, *qui pro vobis fundetur*, ex eo autem, quod Dominus non dixit, Vobis, sed pro vobis, colligunt Doctores Catholici illa verba, dari, & effundi, non significare dari, & effundi Apostolis in Conuiuium, tunc enim Christus dixisset: Vobis, & multis, non pro vobis, & pro multis, sed dari, hoc est offerri, & libari Deo in Sacrificium; neque enim Sacrificium hominibus, sed Deo tantum pro hominibus offertur, quo argumento vtuntur contra Hæreticos nostri Controuersistæ, vt libro primo indicauimus. Cæterùm licet rectè ex his verbis inferatur, in sacra illa Cœna oblationem sacrificalem intercessisse, nunquam tamen ex illis, aut ex aliis ostenditur eam oblationem in consecratione positam fuisse. X. *Sacrificium nō colligitur præcisè ex verbis consecrationis.* XI. *Potius colligitur ex distributione.* XII. *Ex quibus verbis institutionis colligitur.*

Neque verò fuit opus vt Euangelistæ expressam mentionem facerent oblationis sacrificalis: Sicut enim non fuit opus, vt clariorem mentionem facerent Sacrificij, ita neque oblationis, in qua formalissimè Sacrificium consistit, & sicut XIII. *Non fuit necesse, vt Euangelistæ oblationem exprimerent.*

omnes Doctores Catholici conueniunt ex facto Christi Eucharistiam oblatam, & institutam esse in Sacrificium, quæcumque tandem dicendæ sint partes essentiales illius, ita omnes debemus fateri, Sacrificio iam probato ex facto Christi, veram oblationem intercessisse, quantumuis expressa non sit, quia oblatio est de essentia Sacrificij, hoc modo contra Hæreticos negantes Melchisedechum, panem, & vinum obtulisse, quia non legimus suam oblationem consumpsisse; Respondent Controuersistæ satis esse ex Scriptura haberi, illum sacrificaliter obtulisse: nam quod suam oblationem consumpserit, hoc habemus ex generali ratione Sacrificij.

XIV. *A Christo præcepta fuit oblatio.* Ad confirmationem, in qua dicitur illis verbis: *Hoc facite.* Consecrationem principaliter præceptam esse. Est pariter falsum, præcepta enim principaliter fuit oblatio, quod clarissimè explicat Trident. Sess. 22. cap. 1: *Apostolis*, inquit, *eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem.* Est quidem verum, quod in præcepto offerendi includitur etiam præceptum consecrandi; quia non nisi res consecrata in Sacrificium offertur. Sed hoc non facit, vt consecratio principaliter sit præcepta.

XV. *Oblatio Altaris est imitatio, oblationis Crucis.* Neque absolutè est admittendum in consecratione repræsentari expressius Passionem, quàm in oblatione: nam cum oblatio sit corporis, vt mortui, & sanguinis vt effusi, præsupponit tanquam suum essentialem terminum, Corpus, & sanguinem consecratum sub duplici specie separata, & præterea importat, & repræsentat formalissimum Sacrificium Passionis, & Crucis; Sacrificium enim, non in re oblata, sed in oblatione consistit. Porrò repræsentatio, quæ fit in Missa non est Passionis, & mortis Christi quomodocumque, sed quatenus Sacrificium quoddam fuit; ideo signanter dixit Tridentinum Sess. 22. cap. 1. Christum reliquisse Sacrificium incruentum, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur. Illa ergo actio fuit principaliter præcepta, quæ non corpus, & sanguinem præcisè, sed oblationem corporis, & sanguinis refert, & repræsentat: hæc autem actio non est præcisè consecratio, sed oblatio.

XVI. *Secunda objectio ex Sacerdotio.* Secundum argumentum ex Sacerdotio legis nouæ, in quo præcipua potestas datur supra Corpus Christi verum, ad consecrandum, seu conficiendum illud. Nam forma, quæ formaliter, & essentialiter constituit Sacerdotem nouæ legis, est Character Sacerdotalis; hic autem Character per se primo, est potestas consecrandi, in qua fundatur alia potestas in Corpus Christi Mysticum. Atque ita Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 1. Primum omnium dicit, datam esse Sacerdotibus potestatem consecrandi, quam in cap. 4. dicit dari per impressum Characterem. Est ergo potestas consecrandi de essentia Sacerdotis nouæ legis; ergo & consecratio ipsa erit de essentia Sacrificij. Probatur consequentia, quia Sacerdotium per se primo est propter Sacrificium; ergo illa actio, ad quam per se primo datur Sacerdotalis potestas, erit etiam primario de essentia, seu de ratione Sacrificij.

XVII. *Potestas offerendi præsupponit potestatem consecrandi.* Solutionem huius argumenti satis plenam tangit ipse Pater Suarez; vnde statim objicit sibi. Dices, hoc argumento solum probari consecrationem necessario supponi ad Sacrificium, ideoque datam esse Sacerdoti potestatem consecrandi, quia data est potestas offerendi, quæ potestates in re sunt vna, prout tamen ratione distingui possunt: potestas consecrandi dicetur prior ordine executionis,

tionis, quia consecratio antecedere debet; & hoc sensu verum est primo datam esse illam potestatem ad conserandum; ordine autem intentionis dicetur prior potestas offerendi, quia consecratio est propter oblationem, & ita in hoc genere erit oblatio prior consecratione.

Hæc vt dixi est vera responsio, & solutio argumenti, tamen contra illam sic vrget P. Suarez, quia, inquit, si hoc verum esset, non esset per se loquendo necessarium habere potestatem consecrandi eum, qui habet potestatem offerrendi; cur enim non posset aliquis offerre ab alio consecrata? Etenim si nunc potest oblatio fieri ex præ consecratis, potest vnus Sacerdos offerre hostiam ab alio consecratam; ergo similiter posset etiam aliquis non habens potestatem consecrandi, offerre consecratam ab alio. Sicut Sacramentum Extremæ Vnctionis dari non potest nisi ex oleo benedicto ab Episcopo, tamen quia benedictio rei non est pars essentialis, aut intrinseca ipsius Sacramenti, sed quædam conditio necessario præsupponenda ex parte materiæ, ideo potest Sacerdos simplex habere potestatem conferendi illud Sacramentum, licet non habet potestatem benedicendi oleum, quia potest vti oleo ab Episcopo benedicto. Et idem suo modo est in Confirmationis Sacramento. Sic igitur in præsenti, si consecratio non est de essentia, sed præsupposita ad Sacrificium, posset aliquis sacrificare præconsecratum ab alio; Et tunc non posset reddi ratio cur potestas offerendi non posset conuenire, vel committi ei, qui non habet potestatem consecrandi, verbi gratia Diacono, cui interdum etiam committitur dispensatio huius Sacramenti consecrati, solum quia dispensatio non includit intrinsecè consecrationem, sed supponit eam, & ita potest illam supponere, vt ab alio factam.

Respondeo certum esse, potestatem offerendi, & consecrandi esse in re inseparabiliter conjunctam in eodem supposito, quomodocumque comparentur inter se tales potestates, idque ex Christi ordinatione, & institutione, vnde vtraque potestas simul, & vnico verbo, & influxu, vt loquitur ipse P. Suarez confertur per illa verba: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo.* Ex eo autem quod sit vna, & eadem potestas saltem realiter, & identicè, certum est, quod non licet inferre identitatem, neque inseparabilitatem in actibus talis potestatis, vt manifestum est in actibus voluntatis, & cuiuscumque alterius potentiæ simplicissimæ; immò quod in casu nostro sit quædam inter ipsos actus, tum distinctio, tum coordinatio, satis demonstrat Tridentinum Sess. 23. cap. 1. vbi ait, Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam *consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem eius*: & rursus Canone 1. Si quis dixerit non esse potestatem aliquam *consecrandi, & offerrendi verum corpus, & sanguinem Domini*. Anathema sit. Sed sicut ex simplicitate, & vnitate potentiæ non licet negare compositionem, & distinctionem, immò etiam separationem actuum inter se, ita ex distinctione, & ordinatione actuum, non licet inferre separabilitatem ipsorum ab eodem supposito, quia ex Christi institutione, & ordinatione tales actus ita possunt in vno colligare, vt qui exercet alterum, teneatur etiam alterum exercere, seruato debito ordine inter illos.

XVIII. *Potestas offerendi inseparabilis à potestate consecrandi.*

XIX. *Actus consecrandi, & offerendi inter se distincti.*

Neque quidquam vrget paritas de Sacramento Extremæ Vnctionis, quia confectio illius Sacramenti, & consecratio materiæ illius pertinent ad diuersas potestates, altera ad potestatem Episcopalem, altera ad potestatem Sacerdo-

Y

talem; at in re noſtra vterque actus pertinet ad poteſtatem vnam, eandemque Sacerdotalem, idque ex Inſtitutione Diuina. Neque propterea hic definimus noſtrum Sacerdotium ita eſſe inſtitutum, vt nemo poſſit offerre niſi idem ipſe præconſecret, quod videtur affirmare Henriquez lib. 9. de Sacrif. Miſſæ cap. 9. quia, inquit, ſine ſuo libero conſecrationis actu non haberet Sacerdos ius in rem oblatam quaſi propriam, ne de alieno ſacrificare videatur. Quare requiritur, inquit ille noua materiæ conſecratio pro nouo Sacrificio, vt pro noua abſolutione requiritur noua, aut eiuſdem, aut alterius peccati confeſſio, quæ ſit materia proxima Sacramenti. Non inquam hoc definimus, quia in multorum ſententia, Feria ſexta Paraſceues offertur verum Sacrificium, & tamen non requiritur tanquam quid eſſentiale, vt res illo die oblata in Sacrificium, fuerit ab eodem numero celebrante die præcedente conſecrata.

XX. *Tertia obiectio ex Patribus.*

Tertium argumentum ſumitur ex teſtimoniis Patrum, qui conſecrationem ipſam, oblationem, ſeu immolationem vocant. S. Ambroſius in Pſalm. 39. Vidimus, inquit, Principem Sacerdotum ad nos venientem, vidimus, & audiuimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum; nunquam autem audiuimus Chriſtum offerentem pro nobis ſanguinem ſuum, niſi quando dixit: *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur;* hanc igitur conſecrationem vocauit Ambroſius oblationem, vnde ſubdit apertius, tunc ipſe offertur in terris, quando corpus Chriſti offertur, & tunc ipſe offerre manifeſtatur in nobis quando ſermo eius ſanctificat Sacrificium, quod offerimus. Cyprianus in Serm. de Cœna Domini: Ex quo dictum eſt à Domino, *hoc facite in meam commemorationem, Hoc eſt corpus meum: & Hic eſt ſanguis meus*, quotieſcumque his verbis, & hac Fide actum eſt, panis iſte ad totius hominis vitam, ſalutemque proficit, ſimul medicamentum, & holocauſtum exiſtens. Senſit ergo verbis illis fieri Chriſtum holocauſtum, & offerri. Vnde Gregorius 4. Dialogi cap. 56. conſecrationem ipſam, immolationem vocat, dum inquit; Quis fidelium habere in dubium poſſit, ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri, Angelorum Choros adeſſe, &c. Hoc autem certum eſt, dictum eſſe propter conſecrationem, ipſam ergo conſecrationem, immolationem vocat. Hæc tria teſtimonia affert P. Suarez. Sect. 3.

Reſpondeo, à nemine ex allatis Patribus conſecrationem ipſam vocari oblationem, immò omnes ſupponunt conſecrationem iam factam in articulo oblationis, quod vt intelligatur ſuppono ex ſententia ipſius P. Suarez diſp. 75. Sect. 1.

XXI. *Chriſtus vt in propria ſpecie non eſt res oblata.*

Chriſtum vt in propria ſpecie exiſtentem nullo modo eſſe rem oblatam in hoc ſacrificio, & nullo modo, vt eſt in propria ſpecie pertinere ad ipſum. Quare quando Patres loquuntur de oblatione Corporis, & ſanguinis Chriſti, ſemper loquuntur de corpore, & ſanguine, vt exiſtentibus ſub ſpecie aliena. Et ratio P. Suarez eſt optima, quia materia, quæ ad Sacrificium ſenſibile ſupponitur, debet eſſe ſenſibilis, & in Altari ſenſibili. Ita enim ſeruatum videmus in omnibus aliis ſacrificiis, quia hic eſt modus connaturalis homini vtenti ſenſibus, & exercenti actiones ſenſibiles. Chriſtus autem, vt exiſtens in propria ſpecie, nec eſt præſens in Altari ſenſibili, nec nobis eſt naturaliter ſenſibilis; ergo vt ſic, non eſt materia huius oblationis, atque adeo nec res oblata vllo modo in hoc Sacrificio; ergo corpus oblatum in hoc Sacrificio eſt corpus vt exiſtens ſub ſpecie

panis, & sanguis oblatus, est sanguis vt existens sub specie vini; ergo corpus, & sanguis, vt iam consecrata, per consecrationem enim primo existunt sub speciebus, modo Sacramentali. Quando ergo Ambrosius ait: audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum, loquitur de sanguine vt existente non modo naturali, sed modo Sacramentali, sub quo tantùm est materia oblationis; ergo præsupponit consecrationem iam factam in articulo oblationis. Et quia hæc responsio generalis est; ideo superuacaneum nunc duximus, illam ad singula testimonia applicare. XXII. *Quod censetur tempus oblationis.* Illud tamen monemus, tempus oblationis appellari à Patribus, totum illud temporis spatium, quo dicitur Sacrificium celebrari, Christo tanquam re, quæ offertur in Altari, præsente, sicut oblationem ipsam sæpissimè sumunt pro vna quadam actione morali comprehendente omnes actiones, quæ faciunt ad Sacrificium eo modo, quo sub nomine actionis principalioris includuntur minus principales. Vnde cum Ambrosius dicit: tunc ipse offertur in terris quando, &c. Illud tunc appellat totam horam, & tempus immolationis, & sacrificij: Et quando Gregorius, ipsa immolationis hora Angelorum Choros adesse dicit, loquitur de toto tempore, quo Christus adest tanquam res oblata, & quia primo fit materia oblationis per consecrationem, ideo bene dicit ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri, vt sic aperti maneant vsque ad consummationem.

XXIII. *Quarta obiectio ex congruitate actionis.*

Quartum argumentum ex congruitate ipsius actionis. Est enim consecrationis actio ad sacrificandum aptissima; nam & est maximè sacra, & per eam fit aliquid maximè sacrum, scilicet caro, & sanguis Christi, quibus Deus maximè colitur, fitque admirabili modo, in quo Diuina Omnipotentia, & Sapientia maximè declaratur. Vnde fit, vt per huiusmodi actionem, & eius vsum, fiat quædam professio, & recognitio Diuinæ Omnipotentiæ. Est ergo huiusmodi actio ad rationem Sacrificij aptissima; cur ergo dubitabimus hanc potissimum eleuasse, & imposuisse Christum Dominum, vt esset nouæ legis Sacrificium?

XXIV. *Christus vt existens Sacramentaliter, est materia Sacrificij incruenti.*

Respondeo. Christum non eleuasse consecrationem, vt ipsa esset oblatio Sacrificij, quia prærequiritur necessario ad constituendam materiam proximam, & aptam Sacrificio; atque adeo necessario antecedit ipsum Sacrificium, quia sicut Christus, vt existens in suo esse naturali, fuit materia Sacrificij cruenti; ita idem Christus vt existens in esse Sacramentali, est materia sacrificij incruenti; ergo sicut existentia naturalis præcessit oblationem sacrificij cruenti, ita existentia Sacramentalis, quæ est per consecrationem, præcedit oblationem sacrificij incruenti; neque quidquam facit, quod alibi indicat P. Suarez, quod Christus, vt offerens supponitur ante consecrationem, eo quod non offert, vt est sub speciebus, sed vt in propria specie existit; nam vt dicamus existentiam Sacramentalem præcedere oblationem, satis est, si illa sit necessaria ad hoc vt Christus sit res oblata: est autem necessaria, quia vt fatetur P. Suarez, Christus non offertur nisi vt est sub speciebus, siue ergo prærequiratur, vt Christus offerat, siue vt Christus offeratur, modo prærequiratur, hoc satis est ad dicendum, consecrationem antecedere oblationem; atque adeo non fuisse hanc à Christo positam in consecratione. Cæterum vt nos alibi ostendimus, Christus in Altari est principalis offerens, vt existit sub speciebus, atque adeo ad oblationem principalem Christi eo modo, quo fit, præcedit consecratio, etiam vt offerentis.

XXV. *Quinta obie-*

Quintum argumentum sumitur ex optima, vt inquit P. Suarez, conjectura.

ctio à persona offerentis. Nam principale offerens in hoc ſacrificio eſt Chriſtus; ergo illa actio maximè eſt de eſſentia huius ſacrificij, quæ potiſſimum fit in perſona Chriſti; hæc autem eſt actio conſecrandi. Conſequentia per ſe nota videtur, quia in tantum Chriſtus eſt principale offerens, in quantum in nomine eius, & in perſona eius actio ſacrificandi exercetur; quod verò actio conſecrandi potiſſimum fiat in perſona Chriſti, prǽterquam quod eſt communis ſententia Sanctorum, præſertim Ambr. lib.3. & 4. de Sacramentis, probatur ſufficienter ex verbis conſecrationis, quæ in perſona Chriſti proferuntur, quia non materialiter, ſed formaliter dicuntur: cætera verò fieri poſſunt à Sacerdote, vel in perſona propria, vel vt à publico Miniſtro Eccleſiæ, vt ſunt Sacramenti ſumptio, & aliæ cæremoniæ, vel orationes.

XXVI. *In persona Christi formaliter, & principalius fit oblatio, quàm conſecratio.* Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Illa actio maximè eſt de eſſentia huius ſacrificij, quæ potiſſimum fit in perſona Chriſti, vt principale offerens eſt, concedo conſequentiam, non vt principale offerens eſt, ſed potius vt inſtrumentale Agens eſt, nego conſequentiam. Huiuſmodi autem actio, non eſt conſecratio, ſed oblatio. Quare notandum eſt alio modo Chriſtum concurrere ad conſecrationem, & alio modo ad oblationem. Ad conſecrationem concurrit phyſicè inſtrumentaliter, ad oblationem moraliter, ſed principaliter. Quamuis autem, vt notat ipſe P. Suarez diſp. 77. Sect. 1. Efficientia illa phyſica inſtrumentalis aliquid conferat ad rem, de qua agimus, quia vnum ex requiſitis ad offerendum Sacerdotali modo in hoc ſacrificio eſt, vt qui offert, concurrat ad actionem ſacrificandi, non tamen hæc ſola ratio per ſe ſufficit, vt Chriſtus dicatur principale offerens; quia alia eſt habitudo efficientis, alia offerentis; Deus enim efficit eandem conſecrationem, & tamen non offert. At verò ad oblationem, Chriſtus, qua homo eſt, concurrit principaliter, & ideo Miniſter offerens in perſona illius reſpicit, vt ſic illum, vt principalem offerentem, quia in eo ſe habet vt legatus eius, ipſum repræſentans. Neque verò facienda eſt vis in eo, quod verba conſecrationis videantur expreſſius referri ex perſona Chriſti, per hoc, quod dicitur. Hoc eſt Corpus meum, non hoc eſt Corpus Chriſti: nam ſi verba conſecrationis fuiſſent, Hoc eſt Corpus Chriſti, adhuc principale offerens eſſet Chriſtus, & eodem modo Sacerdos offerret in perſona Chriſti; immò eodem modo eius humanitas concurreret ad actionem conſecrationis; ergo quod verba conſecrationis ſint potius Corpus meum, quam Corpus Chriſti, materialiter ſe habent ad fundandam habitudinem principalis offerentis.

XXVII. *Sexta objectio ab excluſione aliarum actionum.* Sextum argumentum ſumitur ex aliis actionibus. Etenim ſi conſecratio excluditur ab eſſentiali ratione Sacrificij nulla remanet actio, in qua poſſit hæc eſſentia conſiſtere præter ſumptionem Sacramenti, quia omnes aliæ actiones, de quibus poſſet eſſe aliqua apparentia, vel dubitatio, excluſæ ſunt. Incredibile autem videtur totam eſſentiam huius Sacrificij in ſola ſumptione Sacerdotis poſitam eſſe.

Primo quidem, quia conſecratio eſt multo excellentior actio, & maiora continet Myſteria.

Secundo, quia ſumptio magis pertinet ad vſum Sacramenti, magiſque videtur conſiſtere in receptione, quàm in actione ad offerendum accommodata.

Tertio, quia aliàs quoties Sacerdos aliquis communicaret, offerret, vel ſaltem

possset offerre, si vellet ea intentione id facere, nam quod sit indutus vestibus sacris, vel alias cæremonias adhibeat, vel omittat, non obstat quo minus Sacrificium factum teneat, quamuis fortasse illicitè fiat, cum illa omnia non sint de essentia, sicut si verum est Sacrificium in consecratione consistere, quoties Sacerdos consecrat sacrificat, etiamsi ex malitia id faciat sine vestibus, aut cæremoniis sacris, & hoc eodem exemplo satis probatur prima sequela, & ratio eius est manifesta, nam potestas offerendi est inseparabilis, & indelebilis à Sacerdote, ita vt licet per Ecclesiam ligari possit quoad vsum, non tamen radicitus auferri quoad vim, & facultatem; ergo si aliàs sufficiens ratio ad sacrificandum est sola sumptio Sacramenti à Sacerdote facta animo offerendi, nihil vetat quo minus Sacerdos quoties communicat possit habere hunc animum, & consequenter verum vsum talis potestatis, ac denique quod verum sacrificium efficiat, quod tamen per se videtur satis absurdum.

Quarto, quia hinc sequitur sacrificium hoc in exteriori actioni visibili non differre ab vsu Sacramenti, sed solum in intentione interna, vel ad summum in conditione personæ, scilicet quod debet esse Sacerdos, vt sumptio eius sit sacrificalis, tamen in ipsomet Sacerdote non poterunt distingui nisi per intentionem internam, supponendo præcipuè, quod ipsemet sumat vtramque speciem, & non ab alio recipiat: Hoc autem, & per se incongruum videtur, nam visibile Sacrificium debuit etiam in ipso ritu externo distingui aliquo modo ab vsu Sacramenti, & nulla etiam ratione suaderi, aut probari potest.

Respondeo nos ponere essentiam sacrificij in illa actione, quæ est formaliter oblatio: esse autem in sacrificio nostro actionem aliquam, quæ sit formaliter oblatio, fatendum ab omnibus est, quia teste ipso P. Suarez disput. 73. Sect. 5. omnes conueniunt de necessitate actionis, quæ est sacrificium, esse vt sit oblatio, immò in sacra Scriptura idem est offerre, ac sacrificare, vt patet Genes. 4. vbi primo fit mentio sacrificij. *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain, Abel quoque obtulit, &c.* Et Paulus non alio modo dixit Christum se sacrificasse, aut esse sacrificatum, nisi dicendo se obtulisse, aut esse oblatum, sic ad Hebr. 9. *Per Spiritum Sanctum,* inquit, *semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Et infrà. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Itaque quod Sacrificium sit oblatio fatentur omnes; quia tamen, licet omne Sacrificium sit oblatio, non omnis oblatio est Sacrificium, sed illa tantùm, quæ pro suo termino habet consumptionem, & destructionem rei, quæ in Sacrificium offertur, vt patet ex definitione Sacrificij in genere ab omnibus recepta. Ideo assignando terminum essentialem sacrificalis oblationis in Eucharistia, dicimus illam terminari ad illius consumptionem, quæ per ipsam Sacerdotalem sumptionem fit, atque adeo per ipsam sumptionem, totum sacrificium, & oblationem Eucharisticam consummari. Quamuis autem nos non dicimus totam essentiam huius sacrificij in sola sumptione Sacerdotis positam esse, quia sacrificium in recto importat oblationem, tamen quia dicimus per sumptionem Sacerdotis sacrificium consummari, atque adeo ad ipsum pertinere tanquam partem essentiæ ipsius. Ideo ad instantias P. Suarez quatenus contra hanc partem faciunt, respondemus.

XXVIII. *Sacrificium cõsistit in ea actione quæ est oblatio.*

XXIX. *Terminus oblationis sacrificalis.*

XXX. *Consecratio excellentior, sed*

Ad primam ergo Licet consecratio multo excellentior actio sit, quàm sumptio ex ea parte qua supernaturalis est; hinc tamen non probatur esse magis

oblatio principalior. intrinsecam sacrificio tanquam partem ipsius. Quia actus sacrificij est per se actus humanus mere naturalis, licet in sacrificio nostro præsupponatur materia præparata supernaturaliter.

XXXI. *Sumptio Sacerdotalis est actus sacrificalis.* Ad secundam, negamus sumptionem Sacerdotalem magis pertinere ad receptionem Sacramenti, quàm ad actum sacrificij; immò vnum ex argumentis, quo Catholici controuersistæ probant Eucharistiam non esse solum Sacramentum, sed sacrificium, sumitur à sumptione Sacerdotali. Nam commune est omnibus puris Sacramentis, vt ab alio dentur, ab alio accipiantur, neque vllus sibi ipsi Sacramentum administrat. Quare nemo se ipse baptizare sinitur in Ecclesia, etiamsi extrema adsit necessitas, pari ratione nemo se ipse confirmat, nemo se absoluit, nemo se sacris Ordinibus initiat, nemo se inungit, ex quo principio inferunt, vt videre est apud Bellarm. lib. 1. cap. 22. de Missa. Quod si Eucharistia solummodo Sacramentum esset, ne Sacerdos quidem eam sibi ministrare posset. Est ergo sumptio Sacerdotalis potius, & principalius actus sacrificij, quàm receptio Sacramenti.

XXXII. *Sumptio Sacerdotis extra actum proprij Sacrificij non potest esse sacrificalis.* Ad tertiam. Negamus sequelam illam, quod quoties Sacerdos communicaret extrà Missam, posset sacrificium verum offerre. Falsitas autem sequelæ ex duplici capite oritur. Primo quia in probabili sententia, potestas offerendi est alligata ad vsum potestatis consecrandi, vnde superius diximus ex Henriquez, non posse Sacerdotem offerre quod ipse non consecrauit. Secundo, quia licet potestas offerendi sit inseparabilis, & indelebilis à Sacerdote. Valde tamen dubium mihi est: Vtrum ad vsum illius, non dico licitum, sed etiam validum satis sint ea solum, quæ sufficerent alioquin ad conficiendum valide Sacramentum. Neque facile concesserim etiam in casu, quo Sacrificium in consecratione consisteret, quod Sacerdos consecrans sine vestibus, & sine vllis sacris cæremoniis, sacrificaret, alioquin definitio Sacrificij, qua dicitur esse oblatio externa, & sacra cæremonia, qua res à legitimo Ministro ritu mystico consecratur, & transmutatur, non esset tradita per essentialia: qua enim ratione ritus mysticus, & sacra cæremonia saluaretur? Sed de hoc aliàs.

XXXIII. *Sumptio sacrificalis vt differat ab vsu Sacramenti.* Ad quartam. Non video, cur magis incongruum sit, quod in exteriori actione visibili, consummatio sacrificalis non differat ab vsu Sacramenti, quàm quod oblatio sacrificalis in exteriori actione visibili non differat à confectione Sacramenti, vt sentit P. Suarez: quod si consummatio sacrificalis debet etiam in ipso ritu externo distingui aliquo modo ab vsu Sacramenti in ipso Sacerdote; pari, & fortasse potiori ratione, etiam in ritu externo distingui debet oblatio sacrificalis à confectione Sacramenti, atque adeo illa sola, & præcisa non sufficeret ad sacrificandum. Cæterum in sumptione Sacerdotali, dum Sacerdos ipse Sacramentum sibi ipse ministrat, sufficienter apparet ritus externus, quo consummandi actus à mero vsu Sacramenti distinguitur.

XXXIV. *Septima objectio ab inconueniente.* Septimum, & vltimum argumentum P. Suarij, sumitur ab inconueniente; nam si consecratio non est de essentia Sacrificij, sed solum quid præuium, & sacrificatio consistit solum in vsu rei præconsecratæ. Inquiro, cur non possit consecratio fieri, etiamsi sacrificatio subsecutura non sit? Suppositis enim illis principiis, nulla sufficiens huius rei ratio dari potest. Quia illa duo non sunt per se, & essentialiter connexa, immò sacrificatio dicitur posse fieri sola, & separata

à consecratione, quæ multo tempore antecessit; ergo pari ratione poterit consecratio fieri sola, & separata à sacrificatione; facilius enim prius separatur à posteriori, quàm è conuerso: posset autem id fieri, vel propter sacrificationem longo post tempore futuram; vt verbi gratia, possit sacrificatio publicè, & coram populo, si fortasse tunc non posset fieri commodè consecratio. Exemplum esse potest in die Parasceues, si verbi gratia in die Cœnæ oblitus esset Sacerdos consecrare hostiam pro sequenti die, cur non posset peracta Missa illius diei nouam hostiam consecrare? Non vt tunc sacrificaret iterum, sed pro die sequenti, vel certè posset hoc fieri propter alios fines, vt verbi gratia propter communicandum ægrotum in periculo mortis existentem.

Respondeo: Spectatis naturis rerum, consecrationem omnino separabilem esse à sacrificatione, & oblatione, quia consecratio habet conceptibilitatem adæquatam omnino independentem ab oblatione, quod manifestè infero à modo, quo Concilium Tridentinum tradit, notionem vtriusque actionis: nam Sess. 13. adæquatissimè tradit doctrinam de Eucharistia, vt Sacramentum est per conceptus, & verba, quæ nullam per se connexionem habent cum oblatione, & sacrificatione, neque supponunt Eucharistiam esse etiam sacrificium. Sessione verò 22. agit de eadem Eucharistia, vt sacrificium est. Sicut ergo, vt patet ex Sess. 13. Institutio Sacramenti habet suam adæquatam conceptibilitatem objectiuam antecedenter ad omnem conceptibilitatem Institutionis Sacrificij, ita posset à parte rei habere suam existentiam, non solum antecedenter ad omnem existentiam sacrificij, sed nullo etiam futuro sacrificio.

XXXV. *Consecratio natura sua separabilis à sacrificatione.*

Cur verò Christus ita hoc Mysterium instituerit, & præceperit, vt quotiescumque conficitur hoc Sacramentum, offeratur statim in sacrificium; plures rationes esse possunt, & fortasse potissima est, quia per consecrationem huius Sacramenti habet Ecclesia in suis bonis Corpus, & Sanguinem Christi Domini; ratio autem postulat, & dictat, debere Deo offerri id, quod in bonis propriis habemus optimum; nam sicut ad substantiam Religionis pertinet sacrificium Deo offerre, ita saltem ad perfectionem eius spectat, vt ex melioribus bonis sacrificium Deo offeratur. Et natura ipsa præstantissimi boni postulat statim, vt non sit sine optimo vsu, qualis est solius sacrificij, propter quem vsum præcipuè instituit Deus, vt inter omnia Sacramenta, hoc solum contineret re ipsa Christi corpus: nam si præscindamus ab vsu sacrificij huius, potuisset Eucharistia verè, & propriè Sacramentum esse, & verum instrumentum nostræ sanctificationis, etiamsi Christi corpus re ipsa non contineret, vt alibi notauimus cum Bellarmino lib. 1. de Missa cap. 22. Sed de hac mutua connexione inter hoc Sacramentum, & sacrificium, & cur à Sacerdote ipso consecrante debeat offerri, & ab ipso offerente debeat consecrari, instituetur seorsim non inutilis disputatio.

XXXVI. *Cur ex præcepto non possit consecratio fieri sine Sacrificio.*



QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Sacramenti consumptio vt sit à Sacerdote sacrificante sit pars essentialis Sacrificij Eucharistici.

XXXIII. *Sacerdos etiam dum consumit, publicam gerit personam.*
XXXIV. *Consumptio Sacerdotalis fit in persona Christi.*
XXXV. *Quarta objectio ex superfluitate sumptionis tanquam partis essentiæ.*
XXXVI. *Necessitas sumptionis in Sacrificio quanta & vnde.*
XXXVII. *Sumptio Sacerdotalis potius est vsus Sacrificij, quàm Sacramentum.*
XXXVIII. *Ante sumptionem non est Sacrificium.*



HABET hæc etiam controuersia vtrinque Theologos magni nominis; sed celebrem eam tandem reddiderunt duo nostri Ordinis Doctores præclarissimi, & non minus de Christiana, quàm de litteraria Republica optimè meriti. Robertus Bellarminus, & Franciscus Suarez.

Tuetur affirmantem partem Bellarminus. Itaque lib. 1. de Missa cap. 27. cum dixisset consumptionem, quæ fit à Sacerdote sacrificante, non tam esse comestionem Victimæ, qualis est sumptio, quæ fit à populo, quàm consummationem Sacrificij, & propriè combustioni holocausti respondere, sic probat esse essentialem, quia, inquit, in tota actione Missæ nulla est alia realis destructio victimæ præter istam: requiri autem realem destructionem ex definitione Sacrificij constat; Vnde Abraham Patriarcha, licet filium iam colligasset, & super Aram constituisset, & manum ad mactandum sustulisset, quia tamen defuit realis occisio non dicitur, eum nisi voluntate sacrificasse. I. *Sumptio est pars Sacrificij.*

Contra verò P. Suarez disput. 75. Sect. 5. negantem partem propugnat, ea præsertim motus ratione, quia sola consecratio est sufficiens de se ipsa, vt in ea tota essentia huius Sacrificij consistat: quia in illa potest fundari tota significatio, tàm mystica, quàm moralis ad Sacrificium sufficiens: Quare ait, sumptionem Sacerdotalem non requiri necessario, tanquam partem essentialem, sed solum pertinere ad perfectionem quasi extrinsecam talis mysterij. Quam igitur necessitatem Bellarminus affirmat, hanc Suarez constantissimè negat. Quidquid sit in præsenti; an potuerit etiam sumptio institui à Christo ad constituendum essentialiter vnum Sacrificium.

Nos vt quæstionem faciamus maximè de re, examinabimus articulum necessitatis: Vtrum possit nostri sacrificij tota essentia saluari præcisa consumptione Sacerdotali. Et quia planè sentimus cum Bellarmino, qui scripsit ante Patrem Suarez, afferemus huius responsionem ad fundamentum Bellarmini, eamque pro Bellarmino refellemus.

Igitur P. Suarez proponit sibi hoc modo fundamentum Bellarmini. De essentia Sacrificij est, & præsertim holocausti, vt tota victima consumetur, & realiter immutetur, sed hoc non fit in hoc Sacrificio nisi per sumptionem Sacerdotis, vt constat, quia ante illam Christus realiter manet sub speciebus, & vt sic est victima sacrificanda; ergo sumptio, per quam quodammodo perfectè immutatur, & amittit illud esse, quod sub speciebus habet, est de essentia Sacrificij; num hoc Sacrificium est etiam holocaustum, in quo victima debet perfectè consumi. II. *Fundamentum Bellarmini.*

Ad hæc fundamentum, quod fideliter sanè proponit, vt solet, mirum est quantum respondendo laboret P. Suarez. Ait ad rationem Sacrificij posse suffi-

cere transmutationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, quæ per consecrationem fit.

III. *Non satis est ad Sacrificium transmutatio panis in Corpus.* Sed Bellarminus hanc respondendi viam iam ante præcluserat tribus argumentis validissimis. Primum erat, quia, inquit, sequeretur propriè solum panem triticeum sacrificari, id enim propriè sacrificari dicitur, quod realiter mutatur; id autem absurdissimum esse, nemo negare potest, quia si ita esset, haberet Ecclesia Sacrificium inanimum, & vilius multò quàm habuerint olim Hebræi. Deinde mutatio, qua ponitur quasi forma sacrificij sensibilis, & externa, debet esse externa, & sensibilis. At mutatio panis in Corpus Christi, est omnino interna, & nullo sensu, sed fide sola perceptibilis. Tertio non esset idem sacrificium Ecclesiæ, & sacrificium Crucis quoad rem oblatam, nec esset verum quod Patres dicunt, in sacrificio Missæ eundem esse sacrificium, & Sacerdotem, neque illud, quod Chrysostomus, Ambrosius, Primasius, & alij notant in cap. 10. Epist. ad Hebræos. Sacrificia Hebræorum fuisse multa, quia hodie vnum Agnum, cras alium offerebant; nostrum autem esse vnum, quia semper eundem offerimus Christum; nam & nos, si de pane agamus, non semper eundem offerimus.

Non potuit P. Suarez hanc præclusionem sibi non opponere, ideo videns totam vim in eo positam esse, quod illud propriè, & realiter sacrificatur, quod propriè, & realiter, & quidem ad sensum destruitur, & immutatur, contendit in hoc generali principio non comprehendi sacrificium nostrum; hoc, inquit, est

IV. *Introducitur Sacrificium productiuum.* singulare, & excellens in vno nostro sacrificio, quod per se primo potius est propter efficiendum, quàm propter destruendum. Itaque statuit duplex genus sacrificij, alterum destructiuum, alterum productiuum. In omni enim, inquit, sacrificio, quod per realem immutationem fit, inuenitur destructio alicuius rei oblatæ, ex qua necessario resultat aliud quasi consurgens, & oblatum in honorem Dei. Est tamen differentia inter vetera sacrificia, & hoc nostrum, quod illa, quia erant imperfecta, & fiebant per actiones merè naturales, & humanas, potissimum consistebant in destructione alicuius rei, per quam significabatur Deum esse Authorem omnium, vel quid simile, vnde quod principaliter offerebatur, erat res illa interficienda, vel destruenda in Dei honorem, consequenter etiam, quod inde resultabat, offerebatur in honorem Dei, seu intendebatur in odorem suauissimum Domino, vt sæpè dicitur in Leuitico; at verò in nostro sacrificio, quia per actionem supernaturalem, & Diuinam perficitur, licet substantia panis, & vini destruatur, tamen quod potissimum intenditur est effectio, & præsentatio, vt sic dicam, Corporis, & Sanguinis Christi super Altare Dei, in honorem eius, & ideo res oblata in hoc sacrificio principaliter, ac simpliciter est Christus, qui est terminus talis actionis; vnde necesse non est, vt materia, quæ transmutatur sit semper res principaliter oblata, si terminus actionis qua sacrificium perficitur sit magis intentus, tàm ex vi talis actionis, quàm ex intentione sacrificantis, & de se, etiamsi sit dignior, & ad cultum Dei magis pertinens, tunc enim illa esse potest præcipua res sacrificata, & ita contingit in præsenti sacrificio. Hæc ille.

Itaque ait P. Suarez in antiquis sacrificiis id, quod principaliter offerebatur, illud in Dei honorem destruebatur, at in sacrificio nostro id, quod destruitur, substantia videlicet panis, non principaliter offertur: sed principaliter offertur

id, quod principaliter intenditur, quod est Corpus Christi. Quid enim principaliter intenderetur per actionem tàm supernaturalem, & Diuinam? Itaque in antiquis sacrificiis idem offerebatur, & idem destruebatur. In nostro autem alterum destruitur, & non principaliter offertur, alterum offertur simpliciter, & non destruitur, sed potius producitur in honorem Dei. Hoc enim, inquit, sacrificium potius est propter efficiendum, quàm propter destruendum. Quare duplex datur sacrificium, alterum destructiuum, quale fuit antiquum, alterum productiuum quale est nostrum.

Sed contra hanc doctrinam, quam paulò fusius enucleare oportuit, insurgeret sine dubio acriter Bellarminus. Primo, quia pugnat cum definitione sacrificij in genere ab omnibus admissa, in qua dicitur sacrificium esse oblationem externam, qua res aliqua sensibilis, & permanens ritu mystico consecratur, & transmutatur. Eadem ergo res, quæ in sacrificio est oblata, est consecrata, & transmutata. V. *Sacrificiū productiuum pugnat cum definitione.*

Quomodo autem hoc nostrum est verum sacrificium, si vera definitio in genere illi non congruit? aut qua ratione possumus contra Hæreticos sustinere, & probare ex conditionibus sacrificij in genere sacrificium Ecclesiæ esse proprium sacrificium, si hæc omnium potissima vocatur in dubium?

Secundo. In sacrificiis antiquis ideo destruebatur id, quod principaliter offerebatur, quia id, quod offerebatur, principalius in Dei honorem intendebatur; ergo ex eo quod per actionem consecrationis magis intendatur Corpus Christi, quàm desitio panis, apertè sequitur magis sacrificare debere, atque adeo in Dei honorem transmutari corpus, quam panem. Ad quid enim fit illa supernaturalis actio transsubstantiua panis in corpus, nisi vt Corporis sacrificium fiat? Si ergo per illam actionem Corpus Christi aptatur in victimam sensibilem, atque visibilem, quomodo non suscipit conditiones generales victimæ, quarum primaria est, vt in sacrificio sensibili, sensibiliter destruatur, & consummetur. VI. *Pugnat cum ratione.*

Tertio, quia illa partitio sacrificij in destructiuum, & productiuum est planè inaudita, & noua, & pugnans cum primo conceptu, & vocibus, tum Hebraicis, tum Græcis, sacrificij, & quod caput est cum vsu Scripturæ, in qua, vt constanter contra Hæreticos pronuntiat Bellarm. lib. 1. cap. 2. omnia omnino, quæ dicuntur sacrificia, necessario destruenda erant, siue per occisionem, siue per combustionem, siue per effusionem pro diuersa victimarum, & oblationum qualitate. Vnde ergo emersit notio hæc sacrificij productiui? Immò cum omnia antiqua sacrificia figuratiua Sacrificij nostri, & illa omnia fuerint destructiua, dicendum necessario est, etiam nostrum esse destructiuum, & quidem quod omnia sacrificia antiqua, figuratiua fuerint non solum sacrificij cruenti, verum etiam incruenti, docent communiter Patres tum Græci, tum Latini vt ostendimus lib. primo; ex quibus habetur, quod disertè docuit Augustinus lib. 17. de Ciuitate, & contra Aduers. leg. & Proph. Quod sicut omnia sacrificia etiam incruenta, fuerunt figuræ sacrificij Crucis, seu Redemptionis; ita omnia etiam cruenta fuerunt pariter figuræ sacrificij Altaris, seu Religionis. Quod verò ex hoc sequatur etiam sacrificium nostrum esse destructiuum, probo ex illo principio vniuersalissimo, quod quidquid est perfectionis in figura, debet esse in re figurata, ad eum modum, quo quidquid est perfectionis in rudi delineatione imaginis, debet esse, & quidem exactiori modo in ipsa imagine. Res enim figurata, qua talis, perfectior

VII. *Pugnat cum vsu Scripturæ.*

VIII. *Omnia antiqua Sacrificia fuerunt figura sacrificij Ecclesiæ.*

IX. *Antiqua sacrificia vt destructiua, erant etiam figuratiua.*

est sua figura, sicut imago ipsa perfectior est, qua talis sua delineatione. Cum ergo omnes figuræ, & delineationes sacrificij nostri contineant tanquam perfectionem, & partem essentialem, hostiæ consumptionem, seu destructionem, eamque realem, externam, & sensibilem, consequens est, vt ista quoque perfectio in nostro sacrificio tanquam pars suæ essentiæ reperiatur.

X. *Destructio est perfectio sacrificij.*

Neque vllo modo admittendum est quod indicare videtur P. Suarez, ideo sacrificia fuisse destructiua, quia erant imperfecta, quasi destructio non sit perfectio in sacrificio; nam verè ratio consumptionis maximè pertinet ad perfectionem sacrificij, quia maximè pertinet ad perfectionem cultus, qui est summus in sacrificio, vt enim optimè ratiocinatur Bellarminus lib. 1. cap. 21. Sicut sine controuersia res verbis præstant, & inter res, Sacræ prophanis, & inter Sacras publicæ priuatis, ita inter publicas præstant illæ, quarum ipsa substantia in Dei honorem consumitur; quàm illæ, quarum solus vsus. Itaque ratio realis consumptionis cum maximè pertineat ad rationem summi cultus, pertinebit maximè ad perfectionem sacrificij. Vnde sic iterum vrgeo. Sacrificia antiqua in quantum erant vera, & propria sacrificia, erant figura sacrificij nostri, alioqui non rectè ex illis probarent Patres veritatem, & proprietatem sacrificij nostri in ratione sacrificij; ergo quidquid erat in illis formaliter pertinens ad veritatem, & proprietatem sacrificij debet reperiri in sacrificio nostro; vt enim figura, & figuratum respondeant inter se, illa duo requiruntur. Primum vt quidquid est in re figurata, repræsentetur aliquo modo per figuram. Secundum, vt quidquid repræsentatur per figuram, perfectius reperiatur in re figurata. Cum ergo in sacrificiis figuratiuis ratio consumptionis pertineret ad perfectionem cultus, debuit in Institutione Sacrificij nostri illa ratio perfici, & non tolli, vt de facto accidit in Institutione nouorum Sacramentorum.

XI. *Ratio cur antiqua Sacrificia erant destructiua.*

Et ratio à priori est, quia sacrificia antiqua non aliunde erant destructiua nisi ratione significationis, tum mysticæ, tum moralis, vt fatetur P. Suarez ex communi doctrina, quam paucis nos declarauimus lib. 2. quæst. 12. verbis Bellarmini, qui ait, ad significationem antiquorum sacrificiorum mysticam pertinere repræsentationem mortis Christi, sacrificij videlicet omnium sacrificiorum præstantissimi, quod destructione rei oblatæ consummatum est. Ad significationem verò moralem pertinere ait protestationem summam creatæ subjectionis ad Deum, & summum cultum externum, qui exhiberi possit. Summam autem istam protestationem requirere, vt non solum vsus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia, & ideo non solum vsus, sed substantia consummatur. Ratione igitur

XII. *Eadem planè ratio militat in Sacrificio Ecclesiæ.*

vtriusque huius significationis antiqua sacrificia fuerunt destructiua, & præcipuè ratione significationis moralis, quæ quia suo modo reperiebatur in sacrificiis falsæ Religionis, ideo etiam illa erant destructiua. Iam verò sacrificium nostrum vtramque habet significationem, nam, & habet significationem moralem inseparabilem à quocumque sacrificio, per quam sacrificium est summus Latriæ cultus externus, & habet præterea significationem Mysticam expressissimam Passionis, & Mortis Christi; ergo si sacrificia antiqua ratione huius duplicis significationis fuerunt destructiua, debet, & nostrum necessario esse destructiuum.

Fortasse propter hanc consequentiam satius tandem duxit P. Suarez in dubium reuocare, An omnia, quæ in Scriptura dicuntur sacrificia, necessario fue-

rint destructiua. Proponit ergo iterum sibi idem Bellarmini fundamentum hoc alio modo. Si quis Agnum viuum sumeret, eumque Deo offerret, solum præsentando illum super Altare, & illum non interficiendo, neque immutando, illud non satis esset ad Sacrificium, sed esset quædam simplex oblatio; ergo similiter sola consecratio, per quam Christus præsentatur Deo in Altari, si non intercedat alia sumptio, vel immutatio non potest sufficere ad Sacrificium.

Quid ad hoc argumentum respondit P. Suarez? Hic planè tenetur suam mentem aperire. Respondetur, inquit, licet quod in antecedente assumitur frequentius, ita factum fuerit iuxtà communem vsum veterum Sacrificiorum; tamen simpliciter id non esse necessarium, posset enim sacrificari Agnus absque immutatione reali, & physica, si aliquid aliud sacrum circa illud fieret, quo censeretur manere moraliter sanctificatus, & ad sacros vsus deputatus, nam non est de absoluta ratione Sacrificij realis immutatio, seu destructio alicuius materiæ oblatæ, quia & in Leuitico interdum legimus Sacrificia facta sine tali immutatione, vt patet cap. 23. & 24. & ipsum nomen Sacrificium solum postulat, vt circa rem oblatam fiat aliquod sacrum, quo Diuina excellentia recognosci possit, quod non repugnat alio modo fieri, quàm per realem immutationem. XIII. *Dubitatur de antiquis Sacrificiis an fuerint necessariè destructiua.*

Hæc responsio valdè improuisa, & inexpectata mihi fuit. Primo quia non videbatur cohærere cum doctrina paulo ante tradita, quod scilicet singulare sit in Sacrificio nostro non esse destructiuum, eo quod per se primo, potius est propter offerendum, quàm propter destruendum. Iam enim admittit Sacrificia alia sine vlla physica, & reali immutatione, & destructione. Immò multò minus destructiuum fuisset Sacrificium illud Agni, quam nostrum, quia in nostro est saltem transmutatio, & destructio substantiæ panis etiam in cultum Dei, in illo autem nulla supponitur fieri realis, & physica immutatio. XIV. *Improbatur dubitatio.*

Secundo, quia intolerabile videbatur in Agno relicto integro, & viuo admittere veram, & realem rationem Sacrificij, tàm apertè reclamante S. Thoma 2. 2. quæst. 86. art. 1. vbi tradens discrimen inter oblationem simplicem, & Sacrificium, ait: *id quod exhibetur Deo in Sacrificium consumendum est, quod exhibetur, vt integrum maneat, erit oblatio, & non Sacrificium.* Super quem locum Theologi communiter docent id, quod contra Caluinum egregiè probat Bellarminus lib. 1. cap. 2. Quod licèt secundum Scripturæ vsum, omne Sacrificium oblatio quædam sit, non tamen omnis oblatio est Sacrificium, quia Sacrificium præter oblationem requirit mutationem, & consumptionem rei, quæ offertur, quam non requirit simplex oblatio. Quare falsum est ad Sacrificium illius Agni satis fuisse, si aliquid aliud sacrum circa illum fieret, quo censeretur manere moraliter sanctificatus, & ad sacros vsus deputatus, nisi enim ad hoc vltimum sacrum veniatur vt res oblata in Dei honorem, & cultum destruatur, nunquam propriè dicitur sacrificata. XV. *Sacrificium differt à simplici oblatione per cõsumptionem.*

At in Leuitico cap. 23. & 24. legimus Sacrificia facta sine tali immutatione? Quid ad propositionem huiusmodi responderet Scripturarum peritissimus Bellarminus? Afferantur, diceret, sacri Codices, recitetur totum Leuiticum, certè in citatis capitibus 23. & 24. vel hoc non legitur, vel oppositum legitur. Etenim cap. 23. de tribus tantum sacris oblationibus fit mentio. Prima est de oblatione Spicarum, quæ fiebat in Paschate. Altera de oblatione Panum primitiarum, XVI. *Nulla oblatio sacrificalis in Leuitico sine destructione.*

quæ fiebat in Pentecoſte, cap. verò 24. fit mentio oblationis panum propoſitionis, quæ fiebat ſingulis Sabbathis. Prima erat Sacrificium, ſed falſum eſt in illo non interceſſiſſe phyſicam, & realem immutationem. Altera non erat cum phyſica, & reali immutatione, ſed non erat Sacrificium. Tertia, neque erat Sacrificium, neque fiebat cum aliqua immutatione. Ac primum quidem, quod oblatio, ſeu Sacrificium Spicarum fieret cum immutatione apertè traditur Leuit. 2. vbi dicitur : *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in modum farris, &c. de qua adolebit Sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti.* Farinam ait Abulenſis de illis ſpicis teneris adhuc, & humidis, vocat far fractum, neque prætereundus eſt ritus huius oblationis, quem refert noſter Cornelius in cap. 23. E faſciculis, inquit, ſpicarum Sacerdos accipiebat vnum, quem Deo offerebat, oblatum torrebat, & ſiccabat, ſiccatum excutiebat, granaque excuſſa comminuebat, atque ex farina comminuta impoſito ſimul thure, & oleo, pugillum accipiebat, quem cremabat, & adolebat Domino. Ecce quot immutationes, quàm reales, & quàm ſenſibiles.

XVII. *Sacrificium Spicarum eiuſque ritus.*

XVIII. *Oblatio panum primitiarum non erat Sacrificium.*

Quod verò altera oblatio panum primitiarum, quæ fiebat in Pentecoſte, in qua immutatio iſtiuſmodi non legitur, non fuerit Sacrificium. Probatur euidenter, quia vt omnes Interpretes obſeruant; hi panes fiebant ex ſimila fermentata, quæ ſacrificari non poterat, vt patet cap. 2. ver. 11. vbi dicitur : *Omnis oblatio, quæ offertur Domino abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in Sacrificio Domino.* Hi ergo panes nullo modo erant Sacrificia. Vnde nec libamina cum hiſce panibus offerebantur, ſed erant tantum primitiæ meſſis triticæ, quæ dabantur Sacerdotibus, & in eorum eſum, & vſum planè cedebant.

XXIX. *Neque oblatio panum Propoſitionis erat Sacrificium.*

Reſtat tertia oblatio panum Propoſitionis, de quibus hæc Abulenſis. Iſti panes non proueniebant ſpecialiter alicui Sacerdoti, vt in Sacrificiis, quia non faciebat Sacerdos aliquis ſpecialiter aliquas cæremonias circa illos, ſicut circa Sacrificia, ſed ſolum ponebantur ſuper menſam Propoſitionis, & cum ibi manſiſſent vſque ad Sabbathum ſequens tollebantur, vt comederet eos Sacerdotes, &c. Abulenſem ſequuntur alij cum Cornelio, qui hæc habet. Panum horum oblatio non erat Sacrificium propriè dictum, nulla enim in iis fiebat immutatio. Et P. Vaſquez, qui 3. par. diſp. 220. præſupponit fuiſſe Sacrificia, vt cohærenter procederet ad doctrinam de Sacrificio in genere, oſtendit factam in illis panibus eſſe immutationem ſacrificalem per cocturam in Clibano. Hæc ille. Sed de hoc genere immutationis & Sacrificij, allato à P. Vaſquez fusè diſputauimus lib. 2. quæſt. 13.

Nullum ergo locum ex Leuitico habemus, ex quo infirmari poſſit generalis illa propoſitio Bellarmini, quod ſcilicet omnia omnino, quæ in Scriptura dicuntur Sacrificia neceſſariò deſtruenda erant. Quare recurrit noſtrum argumentum petitum ab antiquis Sacrificiis, quæ omnia fuerunt deſtructiua, & huius noſtri figuratiua.

Et ſanè P. Suarez, vt erat non minus acris, quàm grauis Iudicij vir, noluit firmiter adhærere reſponſioni, quia reuera nimis alienum videbatur non ſolum ab vſu Scripturæ, ſed à communi etiam omnium hominum conceptu, vt Agnus

omnino immutatus physicè, per quamcumque aliam sacram cæremoniam externam dici posset verè, & propriè sacrificatus. Ideo memor prioris doctrinæ facilius, inquit, negatur consequentia, & similitudo; quia ille Agnus non præsentatur Deo per actionem sacram immutatiuam vnius creaturæ, vt efficiat Agnum immaculatum in Dei honorem, repræsentando simul cruentum Sacrificium talis Agni, per quam actionem offertur Christus in Eucharistia, quæ sufficientissima est ad rationem Sacrificij, præsertim quia sicut per actionem destructiuam potest coli Deus, & significari suprema eius potestas, & dominium, ita etiam per actionem effectiuam ad hoc deputatam à Deo, maximè si illa effectio sit supernaturalis, & Diuina & terminetur ad præsentandam Deo rem illi gratissimam, qua ipse maximè colitur, & honoratur. Vnde licet domus accessorium esse ad Sacrificium, realem immutationem alicuius creaturæ, non inde fit esse necessarium per modum destructionis in re principaliter oblata, quia etiam esse potest per modum effectionis.

Ecce quemadmodum in hac postrema responsione reuertitur P. Suarez ad priorem suam doctrinam, quæ admittit quidem in omni Sacrificio intercedere debere realem immutationem, & destructionem; ita tamen, vt non sit necessaria in re principaliter oblata.

Atque hanc tandem responsionem complexi sunt P. Suarij Sectatores; inter quos omnium clarissimè est P. Ægidius de Coninch, qui quæst. 83. art. 1. dub. 1. ait, rem aliquando ita corrumpi, vt ex ea nascatur aliquid ipsa dignius, & aptius, quod Deo offeratur, quàm sit res corrupta; sic in Sacrificio nostro corrumpitur panis, & reproducitur ibi Corpus Christi, & dum res odorifera inceditur, producitur quædam exhalatio suauissimi, ac gratissimi odoris, quæ per se expetitur, & cuius causa, illa materia incenditur, & consequenter in vtroque Sacrificio res producta, vtpote dignior, magis offertur quàm corrupta, & habet veram rationem hostiæ. Contra verò dum mactantur pecudes, aut nihil producitur, aut producitur cadauer, vt aliqui volunt, quod vilius est animali occiso, & consequenter hoc habet potius rationem hostiæ, quàm illud, & ratio Sacrificij consistit in huius peremptione, non autem propriè in illius productione. Et rursus dubio 5. repetit in omni Sacrificio communiter aliquid destrui, & aliquid aliquo modo produci: Item aliquando principalem hostiam esse rem ipsam, quæ destruitur, vt quando animalia immolantur. Contra in Thymiamate res producta siue suffitus ex ipsius crematione proueniens est principalis hostia, vterque tamen terminus est Sacrificio essentialis. Similiter in nostro Sacrificio, principalis hostia est Corpus, & Sanguis Christi in honorem Dei hic reproducta: minus autem principalis, & quasi secundaria hostia, est panis, & vinum, quæ huic Sacrificio essentialia sunt, quatenus illorum reproductio debet necessario, & ex his, & sub harum speciebus fieri. XX. *Explicatur magis doctrina de Sacrificio productiuo.*

Plausibilis est hæc explicatio, & totam mentem P. Suarez planè declarat; quamuis meritò non multum curet, neque vim faciat in qualitate actionis reproductiuæ, quæ est supernaturalis, & Diuina, in qua momentum aliquod ponere videtur P. Suarez. Quid enim refert ad substantiam Sacrificij, quod Victima sit hoc, vel illo modo producta? immò ad substantiam, & formalitatem Sacrificij nihil refert, quod victima sit pretiosior, aut vilior; dicebatur quidem XXI. *Actio per quam producitur victima est extrinseca Sacrificio.*

Sacrificium Vituli maius, Sacrificium Agni ratione pretij rei oblatæ; non erat tamen maius in ratione Sacrificij, præſertim quod Sacrificium propriè, non in re oblata, ſed in oblatione conſiſtit. Quare quidquid P. Suarez conſiderat ex parte qualitatis actionis, qua producitur victima, totum materialiter ſe habet ad rationem Sacrificij, neque minus pretioſum eſſet Sacrificium noſtrum, & honorificum Deo, ſi Chriſtus, qui eſt victima reproduceretur ſub ſpeciebus, aut adduceretur actione merè naturali, eſſet enim etiam in tali caſu eadem numero victima, & idem offerens qui eſt nunc.

Cæterum tota illa explicatio facta, contra ſe habet aſſumptum fundamentum Bellarmini, Scripturarum auctoritate, & communi omnium confeſſione firmiſſimum, quod ſcilicet de eſſentia Sacrificij eſt, vt victima conſumetur, & realiter immutetur, ſed victima Sacrificij noſtri, non eſt ſubſtantia panis, & vini; ergo non eſt ſatis ad eſſentiam Sacrificij, quod ipſa conſumetur, & immutetur. Ne-
XXII. *Exemplum de Thymiamate non fauet Aduerſariis.*
que quidquam probat exemplum de Thymiamate, tum quia adoletio Thymiamatis nunquam fuit verum Sacrificium in Scriptura, vt nos Deo dante fusè oſtendemus in Tractatibus Scripturalibus, tum quia ſi fuiſſet Sacrificium, profectò non in productione ſuffitus, ſed in deſtructione ipſius ſubſtantiæ Thymiamatis eius Sacrificij conſummatio poneretur; ex conſummatione enim ſubſtantiæ cuiuſcumque rei oblatæ, odor ille ſupremi cultus aſcendit, quem appellat Scriptura odorem ſuauitatis. Atque hic tangitur tota radix obſcuritatis in propoſito ab Aduerſariis modo philoſophandi, quia verè ipſi neglexerunt examinare, in quo formaliter conſiſtat natura ſummi cultus, quod nos diligenter curauimus, & tanquam totius operis facem in ipſo veſtibulo collocauimus, relegantur quæ diximus lib. 2. quæſt. 1. ex iis enim apparet ſummum Sacrificij cultum non niſi in deſtructione poſſe conſiſtere.

Interim pergamus, & videamus quæ argumenta mouerunt P. Suarez, vt Sacramenti Sacerdotalem conſumptionem, partem Sacrificij eſſentialem eſſe negaret. Illa quatuor ſunt.

XXIII. *Prima objectio ex autoritate negatiua.*

Primum ex authoritate quaſi negatiua Euangeliſtarum, quos veriſimile eſt, narrantes hiſtoriam non prætermiſiſſe eſſentialem ritum huius Sacrificij; referunt autem expreſsè Chriſtum Dominum conſecraſſe Euchariſtiam, non autem ita referunt ſumpſiſſe illam: Si autem hoc eſſet de eſſentia Sacrificij, debuiſſet directè, & ſatis clarè ab Euangeliſtis referri.

XXIV. *Quantum valeat authoritas negatiua.*

Reſpondeo authoritatem illam quaſi negatiuam parum valere apud Catholicos, alioquin Hæretici illi antiqui, qui prætextu ſobrietatis nullo modo vinum in Calice offerendum dixerunt, vt Etionitæ, & Tatiani apud Epiphanium, & Aquarij apud Aguſtinum, potuiſſent contra nos efficaciter argumentari iiſdem verbis P. Suarez ex authoritate videlicet quaſi negatiua Euangeliſtarum, quos veriſimile eſt narrantes Hiſtoriam, & Inſtitutionem tanti Myſterij non prætermiſiſſe eſſentialem materiam huius Sacramenti, & Sacrificij. Referunt autem expreſsè Chriſtum Dominum conſecraſſe panem, non autem ita referunt conſecraſſe vinum. Si autem hoc eſſet materia eſſentialis huius Sacramenti, & Sacrificij debuiſſet directè, & ſatis clarè ab Euangeliſtis referri. Quid ad hoc argumentum reſponderet P. Suarez, ſi tanti apud ipſum valet authoritas negatiua Euangeliſtarum in rebus eſſentialibus ad materiam, & formam Sacramenti, & Sacrificij?

Sacrificij? Certè assumptum, quod videlicet Euangelistæ referunt Christum expressè consecrasse panem, non autem ita consecrasse vinum non negaret; nam verè apud Euangelistas nulla prorsus mentio vini est, cum agitur de Calice Eucharistico. Legantur, inquit Bellarm. lib. 4. de Eucharistia cap. 10. legantur omnia loca Euangelistarum. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioannis 6. non inuenietur mentio vini, sed hoc tantùm inuenietur, Calicem Sanguinis Apostolis propinatum. At apud citatos Euangelistas habetur illud: *Amen dico vobis, non bibam de hoc genimine vitis, donec illud bibam nouum in Regno Dei.* Verum est, hic vnicus, & singularis est locus, vbi mentio vini fit, sed ea verba, ait idem Bellarminus non pertinent ad Calicem Eucharistiæ, sed ad Calicem, qui datus fuit post Agni Paschalis manducationem, vt ex Luca manifestè colligitur. Quid ergo responderet P. Suarez ad hoc, nimirum, non esse ita nobis certum Christum consecrasse vinum, sicut est certum consecrasse panem? planè negaret, Argumento verò responderet, quod Bellarminus respondet in simili; nimirum non esse minus certam consecrationem panis, quàm vini, quia non est minus Catholicus certum, quod expressè habetur in Euangelio, quàm quod habetur ex traditione eorum, qui ab Apostolis, & eorum Discipulis hæc mysteria didicerunt, alioquin apud Catholicos nihil certi de materia Calicis haberetur. XXV. *In Institutione Eucharistia nulla fit mentio vini.*

Dicimus ergo certissimum nobis esse Christum consecrasse, & sumpsisse: hoc enim nos Vniuersa docet Ecclesia per suos omnes Doctores, verosque Catholicos nemine discrepante. Dixi nemine discrepante, quia P. Vasquez in quæst. 81. Sancti Thomæ art. 1. Cum dixisset in ea conclusione omnes Catholicos, quos ipse legit, planè conuenire, subdit: nostro autem Sæculo fuit Lutherus apud Clicthoueum, & Sotus in 4 dist. 12. quæst. 2. art. 1. qui id planè negauit. De Luthero nihil moror, & nihil miror. De Soto, id P. Vasquez apud aliquem non accuratum authorem legit; ipse certè non vidit; nam Author hic præclarus in citata illa dist. quæst. 2. art. 1. vbi quærit: Vtrum Christus sumpserit suum Corpus, & Sanguinem; vnicam hanc statuit conclusionem his planè verbis: *Christus primo proprium corpus consecrauit, & sumpsit, ac deinde Discipulis sumendum tradidit*, quam conclusionem probat doctè, & eruditè, & objiciens sibi argumentum, quod contra se objicit S. Thomas, quod scilicet de factis Christi, & dictis nihil asseri debet, quod non sit in sacra Scriptura traditum, ait tale argumentum esse Hæreticorum genuinum, & Luthero vbique in perniciem Ecclesiæ vsurpatissimum, & respondet cum S. Thoma: quod licet hoc non legatur expressè, legitur tamen, quod accepit panem, & sanguinem, quod quidem licet intelligatur manibus, vt Ecclesia refert, non tamen est credendum, quod acceperit solis manibus, vt Hæretici credunt: immò accepit, & Discipulis accipiendum tradidit. Cum ergo illis dixerit: accipite, comedite, & bibite, inde colligitur se eodem modo, scilicet ore accepisse. Vnde quidam metricè dixerunt: XXVI. *Vindicatur Sotus.* XXVII. *Christus sumpsit suum corpus & sanguinem.*

Rex sedet in Cœna, turba cinctus duodena
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Hoc autem de Soto Prædicatorum Ordinis Doctore significare volui, tum quia Catholicæ propositionis veritas, & certitudo id postulare videbatur; tum quia hanc qualemcumque vindicationem debebat illi nostra Societas, quia ipse in primis sua doctrina informauit nobis Salmanticæ Franciscum Toletum, quem

etiam propter ingenij excellentiam prodigium appellare consueuerat.

XXVIII. *Secunda obiectio ex authoritate positiua.* Secundum argumentum ex authoritate positiua ex doctrina Sanctorum Patrum, qui sola consecratione contenti videntur ad explicandam huius Sacrificij rationem, vt patet ex Ambrosio, Cypriano, Gregorio, & aliis. Præterea ex Concilio Toletano 12. cap. 5. vbi dicitur: Participandum est de Sacrificio quoties immolatio facta constiterit, in quibus verbis supponitur immolationem prius esse factam, quàm de Sacrificio participet Sacerdos; vnde non docet Sacerdotem debere sumere, vt immolet, vel offerat, sed vt de re iam oblata, & immolata participet iuxtà illud 1. Cor. 10. *Qui edunt hostias, participes sunt Altaris.*

Respondeo, Patrum testimonia alibi à nobis examinata esse, & potius pro nostra stare sententia multis ostendimus. Quod additur de Toletano si rectè perpendatur, plurimum nobis fauet. Ibi enim indicatur essentialis connexio inter immolationem, & consummationem Sacrificij, quæ haberi non potest, nisi per

XXIX. *Duplex participatio Sacrificij, altera sacrificalis, altera laïcalis.* victimæ consumptionem. Neque facienda est vis in verbo, participare, quod videtur præsupponere Sacrificium consummatum, nam duplex est participatio. Altera sacrificalis, altera laïcalis, & vtraque est participatio Sacrificij, sed laïcalis est participatio Sacrificij præsuppositiuè, Sacerdotalis verò est participatio Sacrificij perfectiuè, constitutiuè, & consummatiuè.

Quod verò Concilium de hac posteriori principaliter loquatur est manifestum, quia subdit, quale erit Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? hic sermo est de participatione necessaria, & essentiali Sacrificio, sine qua Sacrificium non est Sacrificium; ergo sermo est de participatione Sacerdotali, in quantum est consummatiua Sacrificij: nam sumptio laïcalis, quæ non consummat Sacrificium, nullo modo est necessaria ad substantiam Sacrificij, sed illam adæquatè perfectam præsupponit.

Hæc mihi videtur esse expressa sententia S. Thomæ quæst. 80. art. 12. Vbi

XXX. *Sumptio Sacerdotalis est perfectio Sacrificij.* agens de sumptione Sacerdotali vtriusque speciei. Quia ad Sacerdotem, inquit, pertinet hoc Sacramentum consecrare, & perficere, nullo modo debet Corpus Christi sumere sine sanguine, quasi dicat: sumptio Sacerdotalis est perfectiua, & consummatiua Sacrificij: Ideo non solum pertinet ad Sacerdotem consecrare, sed perficere, & consummare: hoc autem per sumptionem, & communionem Sacerdotalem. Et in responsione ad primum, explicans authoritatem Gelasij Papæ, dicentis, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: loquitur, inquit, ad Sacerdotes, qui sicut totum consecrant Sacramentum, ita etiam toti communicare debent; vbi, quod dixerat perficere, dicit communicare, quia Communio Sacerdotalis non est simplex sumptio, sed perfectio, & consummatio Sacrificij.

XXXI. *Tertia obiectio ex ratione operantis.* Tertium argumentum, ex optima, vt inquit P. Suarez, coniectura. Quia in hoc Sacrificio principalis Sacerdos offerens est Christus, in tantum verò Christus est principalis offerens in quantum proximus Minister in persona eius operatur; ergo sola illa actio est essentialis oblatio huius Sacrificij, quam Sacerdos ministerialis in persona Christi exercet; hæc autem est sola consecratio: in illa enim loquitur in persona Christi, in sumptione verò nihil operatur in persona Christi, sed in propria, nihil enim in ea fit, quod in persona Christi fieri sit necesse. Et potest in hunc modum declarari, nam in sumptione duo sunt, scilicet

collatio Sacramenti, & acceptio: primum fit quidem à Sacerdote, vt Ministro Christi, non tamen vt operante, & repræsentante formaliter personam eius, sed per potestatem ab eo receptam, sicut quando baptizat, vel aliud Sacramentum confert: immò hæc actio per se, & in rigore, licet requirat potestatem ministerialem, non tamen Sacerdotalem, nisi ratione consecrationis, potest enim per se à Diacono fieri. Vt autem sumptio est receptio Sacramenti, multo minus fit in persona Christi: fit enim à Sacerdote vt membro Christi participante victimam oblatam, vnde Sacerdos sumpturus Sacramentum eodem modo pro se, & pro aliis orat, vt quotquot ex hac Altaris participatione sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur. Et ideo statim in propria persona dicit: Domine non sum dignus. Dum ergo sumit, propriam tantùm gerit personam non Christi; ergo illa sumptio non pertinet ad essentialem actionem huius Sacrificij.

Respondeo. Nullo modo tolerandam esse propositionem illam, quod Sacerdos dum consumit, propriam tantùm gerit personam; nam primo, hoc est apertè contra S. Thomam quæst. 80. art. 12. ad 3. vbi ait. Corpus à populo sumi sine sanguine, & quidem, inquit sine detrimento, quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert, *& sumit*. Si Sacerdos in persona omnium sanguinem sumit, quomodo propriam tantùm, priuatamque gerit personam dum consumit? Quid quod ipse P. Suarez super eam quæstionem S. Thomæ Sect. 1. objiciens sibi sumptionem laïcalem, Sacramenti, esse participationem Sacrificij, & ideo debere esse integram sub vtraque specie. Respondet his verbis. Hoc nihil refert, quia non est de ratione Sacrificij vt omnes, qui adstant, & consentiunt Sacrificio, illudque per Sacerdotem offerunt, de ipso participent, sed satis est, vt publicus Minister illud consummet. Ecce Sacerdotem dum sumit, publicam gerere personam. Quomodo ergo dum sumit, propriam tantùm gerit personam? Addit præterea idem P. Suarez Sect. 2. Communionem sub vtraque specie non fuisse necessariam ad Diuinum cultum, quia cultus vtriusque sumptionis datur ab omnibus assistentibus per Sacerdotem, illum cultum Deo offerentibus. Ecce iterum cultus ille sumptionis Sacerdotalis, non priuatus, sed publicus; non ergo in illo actu propriam tantùm gerit personam Sacerdos, sed vt loquitur Augustinus, gerit totum corpus Ecclesiæ, quod verba illa sacri Canonis contra nos allata potius confirmant, vt quotquot ex hac Altaris participatione *sumpserimus*, &c.

XXXII. *Sacerdos in persona omniū sanguinem sumit.*

XXXIII. *Sacerdos etiam dum consumit publicam gerit personam.*

Quod si in persona totius Ecclesiæ, & tanquam os totius corporis mystici Sacramentum consumit, id profectò est, quia in tali etiam actu Sacerdos repræsentat personam Capitis Christi principalis offerentis, atque adeo perficientis, & consummantis Sacrificium suum.

Neque obstat ait Bellarminus lib. 1. cap. 27. quod Christus non se ipse manducat, neque immediatè consumit Sacramentum; vnde inferri posset, quod huiusmodi consumptio non fiat in persona Christi: nam sicut in sacrificio Crucis, quæ est efficax paritas, & instantia, sicut in sacrificio Crucis, Christus verè se ipse sacrificauit, quia occidendum obtulit, licet non se ipse occiderit; ita in sacrificio Altaris, ipse dici potest consumere, quia ad consumandum se tradit. Atque huc reuoco testimonium S. Cypriani explicatum ab eodem Bellarmino lib. 2. de Eucharis. cap. 9. Christum videlicet dedisse Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio, corpus sub specie panis edendum; In Cruce verò manibus

XXXIV. *Consumptio Sacerdotalis fit in persona Christi.*

militum corpus idem in specie sua tradidit vulnerandum. Sicut ergo, quia in Cruce se ipse tradidit in specie viuentis perimendum, se ipse cruentè sacrificauit; ita quia se ipse in Altari tradit consumendum sub specie non viuentis, se ipse pariter incruentè sacrificat. Falsum ergo est quod in argumento assumebatur, Sacerdotem videlicet consecrare tantùm in persona Christi, non autem consummare, neque verò ex eo quod sacrificaliter consumit in persona Christi, impeditur quo minus Sacramentaliter sumat in persona propria, & illam gratiam accipiat, quæ sumentis est propria in quolibet Sacramento, ad quam accipiendam possit, & debeat se disponere, vt facit per illa verba: Domine non sum dignus, &c.

XXXV. *Quarta obiectio ex superfluitate sumptionis tanquã partis essentia.* Quartum Argumentum ex congruentia, quia nulla fuit necessitas instituendi sumptionem, vt essentialem sacrificio; & alioqui conueniens fuit vnicuique actioni proprium locum, & gradum tribuere; ergo verisimile est ita factum esse. Antecedens constat quoad primam partem, quia in consecratione sola potest fundari tota significatio, tàm mystica, quam moralis ad sacrificium sufficiens. Quoad secundam verò partem patet, quia sumptio Eucharistiæ, etiamsi à Sacerdote fiat, habet propriam rationem suam in ratione Sacramenti, formaliter namque est vsus Sacramenti, habere etiam potest suam propriam significationem distinctam à significatione Sacrificij; ergo conueniens fuit, vt hic vsus Sacramenti omnino distinctus, & separatus fuerit ab actione sacrificandi, quo fit, vt tam verè immolatus sit Christus, vt manet sub hostia consecrata non sumpta à Sacerdote, quam vt fuit sub hostia, quam Sacerdos consumpsit. Quod videtur colligi ex sancto Thoma quæst. 82. art. 4. ad 3.

XXXVI. *Necessitas sumptionis in Sacrificio quanta, & vnde.* Respondeo. Ad primam partem antecedentis; in quolibet Sacrificio sensibili considerari posse duo. Alterum est sensibilis consumptio, & destructio, vt sic. Alterum est talis consumptio, & destructio, hoc est per talem, aut talem sensibilem actionem. Et quidem quod in Missa, posito quod ponatur esse verum sacrificium sensibile, sit vera, & sensibilis destructio, hoc habet à se, quia sacrificium est, neque in hoc pendet ab Institutione. Fusè enim probauimus de ratione formali, & essentiali sacrificij visibilis esse visibilem, & sensibilem destructionem, & consumptionem. Quod verò in Missa huiusmodi destructio, & consumptio habeatur per sumptionem Sacerdotalem ita vt illa sit instituta à Christo ad consummandum, & perficiendum hoc modo sacrificium, hoc habemus quia nulla est in tota Missa actio, per quam realiter, & sensibiliter vt natura externi sacrificij postulat, realis illa consumptio habeatur. Quare cum nulla alia actio assignari possit, tanta est necessitas huius actionis in Missæ sacrificio, quanta suæ partis essentialis. Siue ergo realis destructio sit necessaria sacrificio ratione significationis moralis, & mysticæ simul, siue tantùm ratione moralis, vt vera sententia fert, certum quod est necessaria ad saluandam essentiam sacrificij, & certum est, quod in tali sacrificio, hoc est in Missa, per nullam aliam actionem illa habetur sensibiliter nisi per sumptionem. Itaque frustrà congeruntur argumenta, quæ probent mysticam significationem posse totam haberi in actione consecrationis. Nam etiam dato, quod Missa, vt sacrificium commemoratiuum est Passionis, sufficienter perficiatur per consecrationem, quod tamen est falsum. Adhuc assignari debet actio, per quam sacrificium absolutè fit. Sacrificium enim commemoratiuum, est verum sacrificium; ergo habet suam essentiam commu-

nem omni vero ſacrificio; hæc autem ſine reali, & ſenſibili deſtructione conſiſtere non poteſt. Vel ergo conſecratio ſola importat hanc realem, & ſenſibilem deſtructionem, vel non: Si importat, habet totam eſſentiam ſacrificij antecedenter ad rationem commemoratiui: ſi non importat, quantumuis habeat pleniſſimam rationem commemoratiui, nullam habebit veram rationem ſacrificij.

Quoad ſecundam verò partem antecedentis, in qua aſſumitur, ſumptionem Sacerdotalem eſſe vſum tantum Sacramenti, & non ſacrificij, eſt planè falſum; immò propter vſum ſacrificij principaliter eſt neceſſaria, & adhuc finem eſt à Chriſto primario inſtituta, provt fit à Sacerdote, quia vſus ſacrificij prior eſt, & nobilior vſu Sacramenti, quia immediatius refertur ad cultum Dei: Sacramentum enim immediatè refertur ad noſtram ſanctificationem, non ad cultum ſoli Deo debitum, reddendum; vnde non potuit, nec debuit vſus Sacramenti non eſſe primariò, & principaliter vſus ſacrificij. XXXVII. *Sumptio Sacerdotalis potius eſt vſus Sacrificij quam Sacramenti.*

Neque vllo modo eſt verum vt tam verè immolatus ſit Chriſtus, vt manet ſub hoſtia conſecrata non ſumpta à Sacerdote, quàm vt fuit ſub hoſtia, quam Sacerdos conſumpſit. Quandiu enim res oblata manet integra, non poteſt intelligi actu conſumato ſacrificata, neque contra hoc quidquam docet S. Thomas in quæſtione illa citata. Dicit quidem ibi ſanctus Doctor, ſi contingat apparere carnem, aut ſanguinem in ſpeciebus, non eſſe neceſſarium ex præcepto iterum conficere, & ſumere, nec propter hoc Sacerdotem tranſgreſſorem effici, quia ea quæ miraculosè fiunt, legibus non ſubduntur, nunquam tamen dicit, quod ſi iterato Corpus, & Sanguinem Domini non conſecret, & ſumat, immolatio, & ſacrificium fuiſſet perfectum. Vnde corruit vltima conjectura, quam ſumit P. Suarez ab effectu ſacrificij, qui non differtur vſque ad ſumptionem; ſed ſtatim poſt conſecrationem datur, alioquin in eo caſu ſacrificium maneret ſine effectu. Corruit, inquam, quia in eo caſu non eſſet ſimpliciter ſacrificium perfectum. Vtrum autem & quomodo effectus ſacrificij differatur vſque ad ſumptionem alterius loci, & negotij eſt. Dicimus tamen cum Henriquez lib. 9. cap. 9. num. 4. non dari ex operato fructum effectumque Sacrificij niſi facta conſumptione, quæ eſt, inquit, ſignum Diuinæ acceptationis; vnde in lege veteri præter immolationem, occiſionemque animalis fiebat quædam conſumptio per ignem, aut per Sacerdotem deuorantem, per quem, vt per Miniſtrum ſuum, cenſebatur Deus acceptaſſe Sacrificium; ſic merita Chriſti ante conſummationem Sacrificij cruenti per mortem, non ſunt de facto acceptata à Deo tanquam efficacia ad aperitionem Cœli, quamuis digniſſima eſſent, quæ acceptarentur, vt docent communiter Theologi. XXXVIII. *Ante ſumptionem non eſt Sacrificium.*





QVÆSTIO TERTIA.

Expenditur Sententia media de essentia huius Sacrificij.



ETVLIMVS Bellarmini Sententiam de necessitate consumptionis Sacerdotalis tanquam partis essentiae huius Sacrificij. Retulimus item opinionem Suarij de sufficientia consecrationis ad totam illius essentiam intrinsecè constituendam. Inter hos duos disceptatores intercessit tandem medius Cardinalis de Lugo, qui disput. 19. de Sacram. Sect. 5. conatur vtrumque conjungere.

I. *Proponitur opinio media.* Itaque pro P. Suarez docet de Lugo, consecrationem pertinere ad substantiam Sacrificij, ita vt posita consecratione, iam sit posita substantialis Sacrificatio. Pro Bellarmino verò, docet consumptionem etiam pertinere ad substantiam Sacrificij, ita vt illa adueniente, ponatur etiam aliqua pars eiusdem substantiae, quod, inquit, non repugnat; nam etiam Sacerdos quando sumit dimidiam partem hostiae, sumit substantialiter hoc Sacramentum, & tamen sumptio alterius dimidiae partis est etiam aliquid substantiale pertinens ad sumptionem Sacramenti.

Sed videamus an partes inter se dissidentes, in hanc mediam sententiam sint discessuræ. Et primo Cardinalis Bellarminus videtur constanter repugnare in suo fundamento, quia non ante est posita substantialis sacrificatio, quam sit facta *realis destructio*, sed posita consecratione non est facta realis destructio; ergo posita consecratione non est posita substantialis sacrificatio.

Non negat destructionem requiri de Lugo, sed nomine destructionis ait, non semper intelligi physicam, vel metaphysicam corruptionem substantialem hostiæ, seu victimæ, sed destructionem, vel physicam, vel humanam, ita vt ex vi sacrificationis, hostia prout est in termino illius actionis, habeat statum aliquem decliuiorem, & saltem humano modo desierit. Probat verò hanc acceptionem destructionis esse admittendam primo ab iis, qui exigunt consumptionem tanquam partem essentiæ; quia, inquit, certum est hoc Sacramentum non destrui physicè, etiam per actualem sumptionem, donec species corrumpantur in stomacho, sed tamen quia per commestionem videtur humano modo destrui, tunc dicitur verè sacrificari apud illos, qui exigunt destructionem ad essentiam Sacrificij. Secundo probat esse admittendam ab omnibus, quia apud veteres inuenimus aliqua sacrificari solita per talem destructionem humanam, verbi gratia, quando vinum libabatur effundendo illud ex Crateribus in terram in honorem Dei, illa effusio dicebatur libatio, & sacrificatio. Certum autem est, quod per effusionem formaliter non corrumpebatur substantialiter vinum, donec postea paulatim siccaretur, & consumeretur, Sacrificium autem in ipsa effusione fiebat, quia nimium per effusionem destruebatur humano modo, quatenus accipiebat statum aliquem inutilem ad priores operationes: Iam enim non poterat deseruire ad vsus humanos, sicut antea, quod sufficit, vt dicatur humano modo destrui, & consumi, licet in sua substantia non patiatur mutationem substantialem. II. *Duplex genus destructionis.*

Hac autem destructionis acceptione probata, facile explicat quomodo consecratione ipsa sacrificetur Corpus Christi. Quia, inquit, licet ipsa consecratione non destruatur Corpus Christi substantialiter, destruitur tamen humano modo, quatenus accipit statum decliuiorem, & talem, quo reddatur inutile ad vsus corporis humani, & aptum ad alios diuersos vsus per modum cibi. Quare humano modo idem est, ac si fieret verus panis, & aptaretur, & condiretur in cibum, quæ mutatio sufficiens est ad verum Sacrificium; *Fieri enim comestibile illud, quod non erat comestibile, & ita fieri comestibile, vt iam non sit vtile ad alios vsus, nisi per modum cibi, maior mutatio est, quàm aliæ, quæ ex communi hominum mente sufficiebant ad verum Sacrificium.* Ita Cardinalis de Lugo. III. *Quomodo destruatur Corpus Christi.*

Hæc explicatio vehementer mihi olim placuit, & illam frequenter adhibui ad explicandum quantum Christus Dominus in Mysterio Eucharistiæ ob charitatem nimiam, qua dilexit nos, mutatus esset ab illo, qui in Terris visus est, & cum hominibus conuersatus est; Etenim non contentus, qui in forma Dei erat, formam serui accepisse inter mortales viuentis, voluit præterea, cum iam in forma serui sic esset, exinanire adhuc magis semetipsum, formam non viuentis accipiens in similitudinem panis factus, at vsui inuentus vt cibus. Quæ stupenda fuit planè dignatio, & amoris immensi prodigium.

Verùm ne quid dissimulem, totum hoc, locum habet in Eucharistiæ Mysterio, quatenus Sacramentum est, præscindendo à ratione Sacrificij, & per huius- IV. *Destructio præ-*

mentum satis est per verba consecrationis: at Christus pro vt est in sua naturali specie existens non est victima Sacrificij nostri, sed provt existit sub speciebus in esse Sacramentali sub forma cibi, & panis; hæc est hostia Sacrificij nostri; ergo hæc debet esse materia sensibilis mutationis, & destructionis, ita vt per illam eripiatur visibus illius status accepti. Quare cum duplex veluti mutatio considerari possit in re nostra, altera qua Christus fit panis cœlestis, & materialiter hostia, altera qua desinit idem panis cœlestis, & fit formaliter hostia, seu Sacrificium, prior præsupponitur ad Sacrificium, posterior siue dicatur physica, siue dicatur humana, modo sit sensibilis, vt verè fit consumptione Sacerdotali, non minus necessaria, quàm sufficiens est ad consummationem veri Sacrificij.

Totus ergo cardo difficultatis in eo iam vertitur, vt statuamus, quæ nam propriè, & in rigore est victima, & hostia Sacrificij visibilis Ecclesiæ. Nam si hostia huius nostri Sacrificij visibilis est illa, quæ peracta consecratione eleuatur, & adoranda populo proponitur à Sacerdote; illa certè est planè integra, & nullo, neque physico, neque humano modo destructa visibiliter.

Quod autem illa sit hostia Sacrificij visibilis Ecclesiæ, patet quia nullam aliam hostiam habet Ecclesia, neque enim Christus in sua propria specie est hostia Ecclesiæ. Vnde P. Suarez fatetur disput. 75. Sect. 1. Christum vt in propria specie existentem nullo modo esse rem oblatam in hoc Sacrificio, neque tanquam terminum, neque tanquam materiam; non tanquam terminum, quia provt in propria specie nullo modo fit, aut immutatur per actionem, qua hic sacrificatur: non tanquam materiam, quia in hoc sacrificio nulla est actio, quæ versetur circa Christum, vt in propria specie existentem, neque vt materiam, ex qua, neque vt materiam, circa quam aliquid fit. Et sanè ait hoc satis confirmat intentio totius Ecclesiæ: nullus enim fidelium est, qui intendat Christum offerre, & sacrificare provt in Cœlo existit, sed provt in Altari ponitur. Non ergo Christus, vt sic est hostia Ecclesiæ; ideo si contingat (quod supra monuimus cum sancto Thoma quæst. 82. art. 4.) si contingat Corpus Christi in Altari in propria specie apparere, non est licitum illud sumere, iuxtà id, quod docet S. Hieronymus super Leuit. De hac, inquit, hostia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet; de illa verò, quam Christus in Ara Crucis obtulit secundum se, nulli edere licet. Quare? Quia vt sic, non est hostia Sacrificij nostri, nec nostra, & insinuatur tacitè ratio, quia non fit à nobis. Hostia ergo Sacrificij nostri, & nostra secundum S. Thomam, & S. Hieronymum est illa, quæ fit ab Ecclesia ipsa per suos Sacerdotes ex vi consecrationis, per quam consecrationem tantum abest, vt hostia nostra aliquo modo destruatur, vt per ipsam tanquam per causalitatem propriam, & adæquatam in suo primo esse hostiæ, seu victimæ producatur. Quod sanè videtur necessario concedendum à Cardinali de Lugo, quia ipse disertè dicit Sect. 6. & alibi, rem oblatam in hoc Sacrificio esse *Panem Cœlestem*, panis autem Cœlestis per consecrationem fit, non destruitur.

VII. *Christus in propria specie nullo modo est victima Sacrificij nostri.*

Contra istam ergo sententiam mediam æquè militat fundamentum, & ratio Bellarmini petita ex visceribus essentiæ Sacrificij visibilis, quæ nullo modo consistere, aut intelligi potest sine sensibili aliqua hostiæ destructione humano modo facta, quæ destructio donec sit posita, non potest intelligi posita substantialis sacrificatio. Et quia reuera huiusmodi destructio visibilis hostiæ non fit humano

Bb

modo ante ſumptionem, ideo nullo modo intelligitur ante illam poſita ſubſtantialis ſacrificatio; vnde patet, in quo maximè differant hæ duæ ſententiæ inter ſe; nam Bellarminus in conſecratione nullam agnoſcit actualem deſtructionem, & ideo illam neceſſario poſtulat à conſumptione; hæc eſt expreſſa, & ſola ratio Bellarmini, quia, inquit, nulla eſt alia realis deſtructio victimæ præter illam: At Cardinalis de Lugo agnoſcit in conſecratione ſufficientem deſtructionem, & ideo dicit per illam poni ſubſtantialem ſacrificationem, & per ſumptionem aduenientem poni aliquam partem eiuſdem ſubſtantiæ.

VIII. *Diſcrimen inter duas opiniones.*

Reliquum eſt nunc, vt breuiter indagemus, An hæc opinio media contra ſe habeat Authores alterius ſententiæ. Authores, qui P. Suarez ſequuntur, philoſophantur hoc modo.

Sola conſecratio eſt ſufficiens, & de ſe apta, vt poſſit imponi, vt in ea tota eſſentia Sacrificij conſiſtat, quia in conſecratione poteſt fundari tota ſignificatio, tam myſtica, quàm moralis ad Sacrificium ſufficiens; ergo veriſimile eſt de facto ſumptionem Sacerdotis non eſſe inſtitutam, vt ſit de eſſentia huius Sacrificij, atque adeo totam eſſentiam poſitam eſſe in conſecratione.

IX. *Explicatur magis opinio de Lugo.*

Cardinalis de Lugo re vera admittit totum antecedens, quia de facto ait, quod poſita conſecratione, iam eſt poſita ſubſtantialis ſacrificatio, & quidem cohærenter ad doctrinam de deſtructione humano modo facta, in qua fundatur tota ſignificatio moralis ſacrificij, ſicut ſignificatio myſtica fundatur in oblatione vtriuſque ſeparatæ ſpeciei. Tamen vult ſumptionem adhuc pertinere ad ſubſtantiam huius ſacrificij, quia per ipſam adhuc magis conſumitur, & deſtruitur victima. Sicut in holocauſto neceſſe erat, victimam prius occidi, poſtea adhuc magis deſtrui per totalem combuſtionem, noſtrum autem Sacrificium aſſimilari, ait, holocauſtis, atque ſumptionem correſpondere combuſtioni. Sicut conſecratio correſpondet occiſioni. Vnde colligitur ratio cur non poſſit in vllo caſu fieri conſecratio ſine ſumptione, quia ſcilicet cum ſumptio pertineat ad ſubſtantiam ſacrificationis, relinqueretur ſacrificium incompletum, & imperfectum, veluti ſi in holocauſto occideretur victima, & non combureretur. Quare præceptum Diuinum de ſumptione Sacerdotali continetur in generali, & naturali obligatione efficiendi perfectum ſacrificium. Tota igitur vis huius ſententiæ ponitur in proportione, & ſimilitudine holocauſti, in quo reperire eſt illam duplicem deſtructionem.

X. *In conſecratione vel totum Sacrificium, vel nullum.*

Sed contra eſt primo, quia in ſententia Cardinalis de Lugo non habet locum paritas holocauſti: nam per conſecrationem ſolam antecedenter ad ſumptionem, vel omnimoda fit deſtructio, vel nulla, atque adeo, vel per ſolam conſecrationem fit etiam holocauſtum, vel per ſolam ipſam, neque fit ſimplex ſacrificium. Hoc autem ſic oſtendo, quia vel hoſtia conſecranda eſt Corpus Chriſti ſecundum ſe non comeſtibile, quodlibet appellare incomeſtibile cœleſte, vel eſt ipſum comeſtibile cœleſte, ſeu ipſum corpus factum iam panis, & cibus cœleſtis per conſecrationem. Si dicatur primum, iam ex vi conſecrationis eſt poſita deſtructio, quia non poteſt excogitari maior, etiam in holocauſto, nam vt repetam verba eiuſdem Cardinalis, fieri comeſtibile illud, quod non erat comeſtibile, & ita fieri comeſtibile, vt iam non ſit vtile ad alios vſus niſi ad modum cibi, maior mutatio eſt quàm aliæ, quæ ex communi hominum mente ſufficiebant ad verum

Sacrificium. Si dicatur ſecundum, certè ex vi conſecrationis ſolius, nulla prorſus deſtructio humana ponitur. Quia ſicut productum eſt comeſtibile hoc, ita integrum, & intactum manet, cum nulla circa ipſum actio, neque phyſicè, neque humano modo deſtructiua verſetur; ergo per conſecrationem, vel omnimoda fit deſtructio, vel nulla, ergo vel eſt etiam holocauſtum per ſolam conſecrationem, vel neque eſt ſimplex Sacrificium ex vi illius ſolius.

At de ratione holocauſti eſt, vt tota res oblata conſummetur, & deſtruatur. Audio, ſed rogo, de qua conſumptione, & deſtructione eſt ſermo; de conſumptione, & deſtructione ſubſtantiali, & entitatiua phyſica, an humano modo? Certè hæc ſecunda abundè ſufficit, alioquin ſacrificium Crucis non fuiſſet holocauſtum, quia tota res oblata ſecundum omnes ſuas partes non eſt conſumpta, & deſtructa in Cruce. Rurſum peto, de qua re oblata eſt ſermo? De comeſtibili cœleſti, an de incomeſtibili cœleſti? Si de comeſtibili cœleſti, nullo modo ſenſibiliter deſtruitur per ſolam conſecrationem, atque adeo, vt dixi, neque per illam fit ſimplex ſacrificium. Si verò ſermo eſt de incomeſtibili cœleſti falſum eſt, quod res oblata non deſtruitur, conſummatur, immò annihilatur humano modo, & multo magis, quàm in Cruce, hic, vidimus, & non erat aſpectus, abſconditus eſt vultus eius, Iſai.53.

Sed vt rem ipſam propius attingamus; accipiatur victima, vt libet, & ſupponatur quod Cardinalis docet, nimirum conſecratione poni ſubſtantialem ſacrificationem, aio, dicendum conſequenter eſſe, ſumptionem non requiri tanquam partem intrinſecam ſacrificij; ratio eſt, quia ſi per conſecrationem ponitur ſubſtantialis ſacrificatio, ponitur holocauſtum, atque adeo ceſſat ratio, ob quam ſumptio requirebatur tanquam pars ſubſtantiæ ipſius ſacrificij. Dico tanquam pars ſubſtantiæ; nam quod requiratur aliquo alio modo, & quidem neceſſario ex Inſtitutione Chriſti fatentur omnes: Immò P. Suarez Sect. 5. vt explicet quo modo Sacerdos ſacrificans, Iure Diuino teneatur ad ſumendum Sacramentum, etiamſi illius ſumptio non ſit de ſubſtantia Sacrificij. Dici, inquit, vlterius poteſt de ratione huius ſacrificij eſſe ordinem ad ſumptionem, quia licet per ſe primo ſit propter Diuinum cultum, conſequenter verò etiam eſt inſtitutum, vt hoſtia in eo immolata, & conſecrata, ſit animarum, & fidelium cibus, & hoc modo ordo ad ſumptionem poteſt aliquo modo dici de ratione huius ſacrificij quamuis ſumptio ipſa non ſit de ſubſtantia eius, ſed extrinſeca quædam perfectio, & conſecutio cuiuſdam finis intenti in ipſa re conſecrata, & ſacrificata. Hæc ille. Dico ergo, poſita per conſecrationem ſubſtantiali ſacrificatione, non requiri ſumptionem tanquam partem intrinſecam ſacrificij, quia vt dicebam in illa ſubſtantiali ſacrificatione poſitum eſt holocauſtum.

Hoc, vt intelligatur, indaganda eſt formalis ratio holocauſti. Et primo certum eſt, formalem rationem, & perfectionem eſſentialem holocauſti non conſiſtere in hoc, quod tota res oblata comburatur, alioquin in nulla ſententia Sacrificium noſtrum haberet veram rationem, & perfectionem holocauſti. Scio P. Vander in luculenta ſua expoſitione ſacri Canonis Miſſæ cap. 7. dixiſſe Chriſtum, qui per conſecrationis verba, victimæ quaſi mactatæ rationem accepit, iam in communione quandam holocauſti imaginem induere, quando conſumptis in ſtomacho ſpeciebus haud aliter ſub illis eſſe deſinit, quam ſi igne combureretur,

XI. *De ratione formali holocauſti non eſt ignis.*

in quo, inquit, admirabilis ſanè eſt Sapientia Dei, cui cum tantæ victimæ holocauſtum placeret, nec tamen vnigeniti ſui dignitati, reuerentiæque conſultum videret, ſi eum in materialem ignem, non iam impij Iudæi, ſed piè ſacrificantes conjicerent, viſum eſt alium illum inire modum, quo religioſe conſumeretur per modum cibi, quique & nobis futurus eſſet vtilior, & honori tanti Sacramenti congrueret. Hæc ille ingenioſe, & piè; ſed vt cætera nunc omittam; quamuis demus calorem naturalem igneæ eſſe naturæ, & homogeneum elementari, quod Philoſophi aliquot docuerunt; certum eſt ad ſaluandam veram perfectionem holocauſti nullo ignis genere opus eſſe, cum teneamus ſacrificium Crucis habuiſſe totam, ac veram perfectionem holocauſti ſine vllo ignis genere, neque naturali, neque elementari.

XII. *Holocauſtum præſcindit à qualitate deſtructionis.* Rurſus certum eſt, ad rationem holocauſti non pertinere formaliter, vt tota res oblata comedatur. Immo potius pertinere videtur vt nihil prorſus de ea comedatur. Hinc illæ blaſphemiæ Lutheri in libro de Abroganda Miſſa priuata apud Valentiam. Natura, inquit, Sacrificij eſt, præſertim perfectiſſimi, quod holocauſtum vocant, totum Deo offerri, nihil ex eo hominibus relinqui. Cur ergo nos panem, & vinum totum comedimus, & bibimus? Cur non totum ei relinquimus, cum velimus hoc perfectiſſimum eſſe Sacrificium? Vbi hic ſubſiſtit ratio Sacrificij, neque enim garrire ſufficit, Chriſtum offerri à nobis ſub pane, & vino, nam & ipſum ſumimus ſub pane, & vino, at nihil ſumi à nobis debet de Sacrificio, & holocauſto Domini, pugnant offerri Deo, & ſumi à nobis. Et iterum. Prorſus inauditum monſtrum eſt Sacrificium iſtud Papiſticum, vt ferè ipſe Papa cum ſuo corpore toto non ſit æquè monſtruoſus. Totum nos voramus, & totum Deo offerimus; hoc eſt tantum dicere, neque voramus ſi offerimus, neque offerimus ſi voramus. Et ita dum vtrumque facimus, neutrum facimus. Quis audiuit vnquam talia? &c. Hæc Lutherus, ad cuius impudentiſſimum argumentum dum reſpondent noſtri Doctores, non contendunt de ratione formali holocauſti eſſe, vt tota res oblata comedatur; nam verè de antiquis holocauſtis nihil prorſus comedebatur, ſed contendunt non eſſe contra rationem, & perfectionem formalem holocauſti, vt res tota, quæ in purum honorem Dei offertur, tota comedatur, alioquin, ait Valentia diſput. 6. quæſt. 11. puncto 1. Si ideo res oblata offerri Deo non poteſt, quia tota editur, multo minus holocauſta olim offerri Deo potuiſſent, cum igne tota conſumerentur, quid enim? An non magis abſumitur, quod igne comburitur, quàm quod editur? Itaque ratio formalis holocauſti præſcindit omnino ab hoc, quod ſiue per combuſtionem, ſiue per comeſtionem, aut aliquam aliam ſubſtantialem, & realem deſtructionem conſumetur. In quo igitur ſita eſt ratio holocauſti formaliter? Sita eſt in hoc, quod

XIII. *In quo conſiſtit formalitas holocauſti.* totum Sacrificium ordinetur immediatè in honorem, & amorem Diuinæ Maieſtatis, & bonitatis, quæ ratio, quia ex conceſſione Aduerſariorum perfectiſſimè reperitur in ſubſtantia ſacrificali poſita per conſecrationem, ideo tenentur ipſi fateri per conſecrationem haberi perfectiſſimum holocauſtum; quod ſi totum hoc fatetur P. Suarez, licet ipſe ſentiat Sacrificium, quod conſecratione ſola fit, totum eſſe productiuum, & nullo modo deſtructiuum rei, quæ primario, & principaliter in Dei cultum offertur, quanto magis debet idem concedere Cardinalis de Lugo, qui docet per conſecrationem haberi Sacrificium verè deſtructiuum

rei, quæ principaliter offertur, & destructiuum, destructione tali, quæ meritò sit super Angelorum? Cæterum quod formalis ratio holocausti in ea notione consistat, videtur mihi doctrina apertissima S. Thomæ 1. 2. quæst. 102. art. 3. vbi diuidens Sacrificium in tria genera, videlicet in holocausta, hostias pro peccato, hostias pacificas, non diuidit in hæc tria genera ratione materiæ, sed ratione formæ, & finis, quatenus holocausta offerebantur propriè in venerationem Diuinæ Maiestatis: Hostiæ pro peccato dicebantur eæ, quæ offerebantur pro expiatione peccati: Hostiæ verò pacificæ, quarum erant duæ species quædam, offerebantur pro beneficio accepto; quædam pro beneficio accipiendo. Verum quidem est, pro illis omnibus Sacrificiis, peculiares fuisse leges, & inter leges holocausti potissimam fuisse illam, vt totum per combustionem consumeretur, vt sicut totum animal, ait S. Thomas resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem, & omnia, quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta, & ei esse offerenda; cæterum ratio formalis illius Sacrificij sumebatur à fine, qui non erat propitiatio irati Dei, qui erat finis Sacrificij pro peccato, neque gratiæ alicuius actio, vel impetratio, vt erat finis pacificorum, sed totus, & adæquatus eius finis erat Dei cultus, & honor; vnde dicebatur Sacrificium honorarium, & latreuticum; neque ex hoc inferre licet posse dari holocaustum sine vlla destructione; nam quod nos fusè probauimus de ratione summi cultus, atque adeo de essentia cuiuscumque Sacrificij est, vt quod in Sacrificium offertur destruatur.

XIV. *Per Bellarminum non datur duplex sacrificalis destructio.*

Iam verò ad id, quod ait de Lugo ex doctrina Bellarmini lib. 1. cap. 27. Nostrum Sacrificium ita assimilari holocaustis vt consecratio correspondeat occisioni; sumptio verò combustioni. Fatemur hoc dici à Bellarmino, sed inde non sequitur à Bellarmino quoque agnosci duplicem destructionem sacrificalem, quasi sentiat per consecrationem haberi substantiam Sacrificij, vt in antiquis holocaustis habebatur per victimæ iugulationem. Nam Bellarminus in octaua illa propositione citati capitis, satis clarè explicat suam mentem; cum enim præmisisset ad Sacrificium reale, atque visibile, realem, atque visibilem requiri destructionem. Explicat statim qua ratione dicat consecrationem pertinere ad Sacrificium, quia, inquit, per consecrationem, res, quæ offertur, ad veram, realem, & externam mutationem, & destructionem ordinatur. Nota quod per consecrationem victima ordinatur tantùm ad mutationem sacrificalem, non illam suscipit, & qua ratione ordinatur? Subdit statim; nam per consecrationem Corpus Christi accipit formam cibi; cibus autem ad comestionem, & per hoc ad mutationem, & destructionem ordinatur. Vides quemadmodum per Bellarminum nulla ponitur actualis, & realis destructio ex vi solius consecrationis, qualis ponitur à de Lugo. Dicitur quidem à Bellarmino quod omnes dicimus, nempe per consecrationem vtriusque speciei separatæ haberi mysticam occisionem quatenus ex vi verborum ponitur corpus, vt mortuum, & sanguis, vt effusus. Cæterum in ea nullo modo incipere veram, & realem rationem Sacrificij clarissimè profitetur, quia, inquit, verum, & reale Sacrificium, veram, & realem destructionem rei immolatæ desiderat: consecratio autem non veram, & realem mortem, sed mysticam tantùm efficit, & statim subdit: neque satis respondere videntur, qui dicunt consecrationem ex se veram mortem adferre, sed per naturalem concomitantiam fieri ne mors re vera sequatur, nam si naturalis conco-

mitantia impedit mortem, hoc ipſo impedit Sacrificium. Sentit ergo Bellarminus immolationem conſecratione tantùm repræſentari, nullo autem modo exerceri; Sacrificium verò, quod non repræſentatur, ſed exercetur, illud totum conſummari, & perfici per ſumptionem, in qua ſola actione reperiri ait realem, & viſibilem victimæ deſtructionem.

XV. *Examinatur genus compoſitionis inter duas deſtructiones.* Ad extremum non eſt mihi ſatis exploratum quid ſentiat de Lugo de genere compoſitionis, quo duæ illæ deſtructiones componunt vnam per ſe ſubſtantiam Sacrificij; nam initio Sectionis 5. videtur admittere inter illas duas actiones, compoſitionem quaſi ex partibus eiuſdem ſubſtantiæ homogeneæ. Ait enim, non repugnat, vt poſita conſecratione, ponatur ſubſtantialis ſacrificatio, adueniente verò ſumptione ponatur etiam aliqua pars eiuſdem ſubſtantiæ. Nota illud eiuſdem ſubſtantiæ. Et ſtatim explicat. Nam etiam, inquit, Sacerdos quando ſumit dimidiam partem hoſtiæ, ſumit ſubſtantialiter hoc Sacramentum, & tamen

XVI. *Quid ſequatur ex compoſitione homogenea.* ſumptio alterius dimidiæ partis, eſt etiam aliquid ſubſtantiale partinens ad ſumptionem Sacramenti. Hoc autem exemplum oſtendit agnoſcere ſe compoſitionem eius generis, cuius eſt inter partes ſpecierum, quæ ſumuntur. Conſtat autem eam eſſe ex partibus integrantibus homogeneis, ſed ex tali compoſitione videtur ſequi, quod in ſubſtantiali ſacrificatione poſita per conſecrationem, non ſolum habetur tota eſſentia, & ſubſtantia, ſed tota integritas Sacrificij. Nam in ſumptione dimidiæ hoſtiæ inuenitur Sacrificium non ſolum eſſentiale, ſed integrum, ſicut homo antequam augeatur, eſt homo integer, licet per ipſum augumentum acquirat aliquam partem nouam, & homogeneam cum præcedentibus. Quod ſi ita res haberet, verum eſſet, quod P. Suarez docet, quod tàm verè immolatus eſt Chriſtus, vt manet ſub hoſtia conſecrata non ſumpta à Sacerdote, quàm vt fuit ſub hoſtia, quam Sacerdos conſumpſit. Atque ideo in eadem difficultate eſſet de Lugo, explicandi, cur non poſſit vllo caſu conſecrari ſine ſumptione: neque enim tunc iuxtà hanc viam poſſet recurrere ad naturam Sacrificij, quia ſupponitur integrum, etiamſi per vlteriorem deſtructionem poſſet augeri; ad eum modum, quo homo ſupponitur integer antequam per acceſſionem nouarum partium augeatur, & creſcat. Quod totum videtur ſequi ex illo genere compoſitionis, quam inſinuat, vt dixi, initio Sectionis 5. num. 64.

Verum num. 68. & 73. videtur agnoſcere inter duplicem illam deſtructionem aliud compoſitionis genus, quale eſt in partibus heterogeneis integrantibus vnum ſubſtantiale totum, vt homo componitur ex capite, manibus, &c. Quare, inquit, ſicut homo ſine manibus eſſet eſſentialiter homo, ſed incompletus; ita hoc Sacrificium in conſecratione eſt eſſentialiter Sacrificium, ſed adhuc incompletum donec integretur, & compleatur per ſumptionem. Quod ſi quæras ab illo, ſi quidem in conſecratione inuenitur ſufficienter eſſentia Sacrificij, vnde habet ſumptionem eſſe partem illius? Reſpondet, hoc potiſſimum colligi à poſteriori ex mente Eccleſiæ, tum quia ipſa, conſumptionem hoſtiæ in die Paraſceues appellat Sacrificium, tum quia docet in nullo caſu, vel neceſſitate licere

XVII. *Sumptio ex mente Eccleſiæ eſt pars Sacrificij eſſentialis.* ſumptionem relinquere.

Sed contra hoc eſt, quia hæc duo Eccleſiæ indicia oſtendunt conſumptionem Sacerdotalem non ſolum eſſe partem integralem, ſed eſſentialem Sacrificij. Et quidem ſi loquamur de priori indicio, vel Eccleſia, dum in die Paraſceues ap-

pellat sumptionem Sacrificium, accipit nomen Sacrificij propriè, vel impropriè: Si propriè, ostendit esse partem essentialem, si impropriè, neque conuincit esse partem integralem; posterius verò indicium, si quid probat, vel si quid præsupponit, certè est, sumptionem esse partem essentialem; cum enim Ecclesia nullum habeat præceptum positiuum à Christo specialiter latum, & Sacerdotibus impositum de hac sumptione, in tantum docet sub tanta grauitate illius necessitatem, in quantum sentit hanc obligationem intrinsecè contineri in generali, & naturali obligatione efficiendi perfectum essentialiter Sacrificium. Hæc autem obligatio nulla est, si sumptio non est pars essentiæ Sacrificij, quia si non est pars essentiæ Sacrificij, Sacrificium erit sine illa essentialiter perfectum, atque adeo in aliquo casu posset Ecclesia dispensare, aut interpretari. Nam si nullo modo est pars essentiæ Sacrificij, neque est consummatio Sacrificij. Quid enim est magis pars essentiæ, quam eiusdem essentiæ consummatio, & perfectio? Si non est consummatio Sacrificij, est tantùm simplex participatio Sacrificij. Cur ergo in aliquo casu sine injuria Sacrificij non posset Ecclesia dispensare, aut interpretari? Et tamen tàm necessarium iudicatum est in Ecclesia, vt post consecrationem sequatur sumptio, vt si fortè contingat Sacerdotem consecrantem mori ante consumptionem, vel alio modo ab illa impediri, oporteat alium Sacerdotem illi succedere, & Sacrificium consummare. Hoc planè demonstrat sumptionem esse Iure Diuino præceptam, eiusque præceptum esse inclusum in præcepto Sacrificij, cuius essentiæ illa est pars; eo quod vt sæpè dixi cum Bellarmino, nulla est alia realis destructio victimæ præter istam. Quod tandem, vel ex eo tenetur asserere Cardinalis de Lugo, quia ipse reuera censet victimam huius numero Sacrificij esse hostiam consecratam ab hoc Sacerdote, hostia autem hæc, quæ pronomine hoc demonstratiuo significatur, nullam suscipit realem destructionem pertinentem tanquam partem essentiæ in hoc Sacrificio præter Sacerdotalem consumptionem; quod verò ipse censeat victimam huius numero Sacrificij esse hanc demonstrabilem, atque adeo visibilem, & sensibilem, quam ante consumptionem manifestum est esse integram, ex illo demonstro, quia ipse non alia ratione impugnat Henriquez docentem posse Sacerdotem in Missa non sumere quidquam ex hostia, quam consecrauit, sed illa in sacrario seruata, sumere solam hostiam, quæ antea in sacrario erat; Non aliter, inquam impugnat, nisi quia, inquit, *debet eadem victima consumi*, verba sunt Cardinalis; ergo victima huius Sacrificij non est Christus, quasi præscindens, qui semper est idem numero in omnibus Sacrificiis, atque adeo secundum se semper est eadem numero victima, sed comestibile hoc, hic panis Cœlestis, hæc potest esse eadem vel diuersa numero victima. Iam verò hæc victima non aliam suscipit realem, atque sensibilem destructionem; ergo quod erat nostrum intentum, destructio, quæ habetur per sumptionem est intrinseca pars essentiæ, seu pars essentialis, & non vtcumque integralis Sacrificij.

XVIII. *Victima destruibilis est illa, quæ est visibilis.*



QVÆSTIO QVARTA.

An in die Parasceues offeratur in Ecclesia verum Sacrificium.

XXVIII. *Oblatio*



D planè cognoscendam naturam, & essentiam huius Sacrificij, non poterat fingi casus expressior, & aptior, quàm qui re ipsa legitimè ponitur in die Parasceues. Cum enim in sacra illa eius die actione omittantur multa, quæ in quotidiano Ecclesiæ Sacrificio adhiberi solent; si illis omissis manet adhuc essentia Sacrificij, perspicuum erit res omissas non pertinere, tanquam partes intrinsecas, & constitutiuas essentiæ Sacrificij. Quæstio est non ita expedita, in qua pro parte negante, vtpotè faciliore

plures numerari possint Doctores, quos recenset, & sequitur P. Suarez disp. 75. Sect. 4. Affertur quoque celebris locus Ruperti lib. 6. de Diuin. Offic. cap. 5. *Non sacrificent amici dum trucidant inimici*; sed locus ille, nihil planè facit ad rem, vt ostendam sub finem huius quæstionis. Pugnant etiam pro hac parte negante, quotquot docent sacrificationem ne formaliter quidem distingui à consecratione, vel saltem hanc esse partem intrinsecam sacrificationis, & non tantum quid essentialiter præsuppositum ab illa, qua de re disputatum est satis quæstione prima.

I. *Conclusio affirmatiua.* Nos ergo rationum momentis vtrinque libratis, in eam tandem partem propendimus; quæ affirmat in officio illius diei offerri verum, ac proprium Sacrificium.

Hanc sententiam expresse docet Albertus, ob Sapientiam singularem cognomento Magnus, in 4. dist. 13. art. 24. & habetur in tom. 16. his verbis. Deinde quæritur de hoc quod dicitur ibi. *Quotidie autem immolatur in Sacramento.* Instantia enim huius videtur esse in Parasceue, quia tunc non consecratur. Solutio. *Dicendum quod quotidie immolatur, licet non quotidie conficiatur, quia, etiam in Parasceue immolatio fit absque consecratione.* Eandem sententiam docuerat quadringentos annos ante Albertum, Alamarius Fortunatus Episcopus Treuirensis, qui floruit tempore Gregorij quarti Summi Pontificis, & Ludouici Pij Imperatoris, cui libros quatuor de Ecclesiasticis Officiis, dedicauit. Is lib. 4. cap. 20. expresse asserit in illa Feria sexta esse Missam, vt fatetur Cardinalis de Lugo disp. 14. de Euchar. Sect. 3. Nec desunt pro hac sententia Recentiores Theologi, inter quos est Magister Nugnus in 3. par. S. Thomæ quæst. 83. art. 1. Neque parum fauet idem Cardinalis de Lugo disp. illa 19. vbi pluries appellat Officium illius diei, complementum Sacrificij. Fauent etiam ferè omnes, quotquot docent consecrationem non esse partem intrinsecam essentiæ Sacrificij Missæ; quare noster Fagundez lib. 3. cap. 4. num. 17. In opinione, inquit, docente consecrationem non esse de essentia Sacrificij Missæ tenetur populus audire Missam in sexta Feria Parasceues, si in ea incidat dies Annunciationis B. Virginis, & tenentur Prælati iubere, vt Missa dicatur, vt populus illam audiat, & si id ita fit in aliqua Prouincia, aut Diœcesi, iustè fit, & sanctè fit, & ideo fit, quia sequuntur Prælati isti eam opinionem, quæ docet totam essentiam Sacrificij in sola consumptione consistere, quæ opinio est probabilis, & quia adhuc illis non constat, an consecratio sit de essentia Sacrificij nec-ne. Scio quod refert Gauantus par. 4. tit. 9. posterioribus his annis hoc est anno 1622. quo occurrebat Festum Annunciationis in Parasceue, sacram Rituum Congregationem censuisse non teneri fideles interesse prædicto officio; cæterum sacra Congregatio nihil definiuit super hac sententia Scholasticorum.

Fundamentum nostrum tripartitum est. Primo, quia Ecclesia actionem illius diei appellat absolutè Sacrificium. Secundo, quia illi propriissimè conuenit tota definitio veri, ac propriè dicti Sacrificij. Tertio, quia nullum omnino est argumentum quod vrgeat in oppositum.

Prima igitur pars nostri fundamenti sumitur ab authoritate totius Ecclesiæ, quæ in officio illius diei expresse adhibet illa verba: *Sic fiat sacrificium nostrum*, vt placeat tibi Domine Deus. Et rursus. Orate, vt meum, ac vestrum *Sacrifi-*

cium acceptabile fiat. Hic modus loquendi ſatis indicat quid Eccleſia ſentiat; Si enim exiſtimaret in officio illius diei, non offerri verum Sacrificium, nulla eſſet cauſa cur eiuſmodi verba non omitteret ſicut pleraque alia omittit in illo die.

Affert P. Suarez ingenuè, vt ſolet, hoc teſtimonium Eccleſiæ, ſed ait, nomen Sacrificij eo loco, vel latè ſumi pro quocumque ſacro miniſterio, vel pro ipſa hoſtia conſecrata, eo modo, quo victima Sacrificij ſolet interdum Sacrificium appellari.

II. *Vox Sacrificij in ſua proprietate accipienda.*

Reſponſio hæc difficilis eſt quoad primam partem, & multò quoque difficilior quoad ſecundam. Difficilis eſt quoad primam, quia cum ſignificatio eius vocis ſit ab Eccleſia determinata ad verum, & propriè dictum Sacrificium, non poteſt ſine grauiſſimo fundamento affirmari, vocem illam extrahi à proprietate ſuæ ſignificationis, præcipuè quod tale verbum profertur eo die ſub iiſdem ſolitis proximis circumſtantiis, quæ ad veri Sacrificij actionem ſpectant, nam qui profert, Sacerdos eſt, & quidem in Altari, ſub ritu, & forma celebrantis, coram victima ipſa ſolemniter ad ſacrificalem conſummationem ordinata. Quæ cauſa erat cur Eccleſia, quæ quotidie per totum annum vocat Sacrificium noſtrum, illud tantum, quod teſte Trident. Seſſ. 22. *Vnicum verum, & ſingulare Sacrificium eſt.* Iiſdem conceptis verbis, nulla addita vocula, aut detracta, vocaret hac die Sacrificium noſtrum, quod Sacrificium noſtrum nequaquam eſt? Quid cogebat, vt tàm ſolemne verbum in tam diuerſa ſignificatione vſurparet, & quæ pridie ſub nomine Sacrificij noſtri intellexerat ſingulare Sacrificium Eccleſiæ, iam ſub eodem nomine nudum officij miniſterium intelligeret? Præcipuè, quod vt dicebamus, facile fuiſſet Eccleſiæ illo die, vel ex parte, vel ex toto eas loquendi formas prætermittere.

III. *Sacrificium hoc loco non poteſt accipi tantùm pro re oblata.*

Ad ſecundam verò partem, in qua dicebatur nomine Sacrificij noſtri intelligi poſſe ipſam hoſtiam, & victimam conſecratam. Negandum non eſt hoſtiam, & victimam, quæ iam eſt ad Sacrificium proximè deſtinata, interdum Sacrificium appellari; tamen, quod nomine Sacrificij noſtri intelligatur hoc loco hoſtia, & victima conſecrata, omnino prohibet precandi forma. Dicimus enim: ſic fiat Sacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, *vt placeat tibi, &c.* Profectò his verbis non petimus, quod Hæretici calumniantur, vt Pater in filio ſuo complaceat, quod profectò peteremus ſi Sacrificium hoc loco acciperetur pro victima ipſa; ſimilis eſt illa alia oratio ſacri Canonis, qua petimus, vt accepta habere dignetur noſtra, ſicut accepta habere dignatus eſt munera Abel, Sacrificium Abrahæ, & Melchiſedech. Super quæ verba ipſe P. Suarez diſput. 83. Sect. 2. Non hic, inquit, oratur, vt Pater propitio, ac ſereno vultu Chriſtum reſpiciat, ſed vt oblationem Chriſti, quatenus à nobis propeditur illi acceptam ipſo adjuuante reddamus, ita vt nos propitio vultu accipiat, quatenus hoc modo acceptam habeat noſtram oblationem, etiam vt à nobis offerentibus progreditur, atque hoc modo fit comparatio cum Sacrificio Abelis, & aliorum ſcilicet quantum ad oblationem *offerentium, non quantum ad rem oblatam.* Cum ergo conſtet Sacrificium propriè acceptum ſumi poſſe, vel pro re oblata, vel pro ipſa oblatione, certum eſt in ſubjecta deprecatione non accipi pro re oblata, quæ eſt hoſtia, & victima conſecrata, quia Sacrificium ex parte rei oblatæ ſemper placet. Reſtat

ergo vt accipiatur pro ipsa oblatione nostra, vt nimirum placeat Patri illa victima, vt à nobis offeratur. Præsupponitur ergo illis verbis veram fieri à nobis oblationem. Vel ergo P. Suarez manere debet in prima responsione, quod scilicet hoc loco, nomine Sacrificij nostri, neque res oblata, neque oblatio intelligatur, sed nudum tantùm officium, & ministerium; vel si velit ad secundam responsionem procedere, in qua seruatur proprietas eius vocis, fateatur oportet per illam, non hostiam, & victimam, sed illius oblationem eo die ab Ecclesia factam significari. Atque hinc etiam colligo, Cardinalem de Lugo quoad rem, pro nostra esse sententia; nam disp. 19. num. 74. hæc habet: Petes, vnde habemus sumptionem ipsam esse partem Sacrificij? Respondeo colligi hoc in primis à posteriori ex mente Ecclesiæ appellante illam Sacrificium in die Parasceues. Ex hac responsione apertè habemus quid nomine Sacrificij intelligat de Lugo ex mente Ecclesiæ; si enim nudum ministerium intelligeret, nunquam ex mente Ecclesiæ colligere potuisset, sumptionem esse partem Sacrificij.

IV. *Definitio veri Sacrificij tota conuenit actioni Parasceues.*

Secunda pars nostri fundamenti posita est in eo, quod actioni sacræ illius diei conuenit tota definitio veri Sacrificij. Accipiamus definitionem, quam tradit ipse P. Suarez disp. 73. Sect. 1. Sacrificium, inquit, propriè dictum est externa, & sensibilis actio, qua res aliqua ita Deo offertur, vt legitimo ac solemni ritu in Dei honorem, & cultum aliquo modo immutetur à publico, & legitimo Ministro. Ecce ex hac definitione habemus quatuor omnino necessaria ad verum Sacrificium. Primo requiritur publicus, ac legitimus Minister, seu offerens. Secundo res, quæ offertur, seu res oblata. Tertio actio externa, & sensibilis qua legitimo, & solemni ritu eadem ipsa res in supremum Dei cultum offeratur. Quarto vt in eundem Dei honorem, & cultum immutetur, & consummatur. Quæro iam ab Aduersariis, quid nam ex quatuor istis, actioni illius diei deest, quo minus verum Sacrificium esse censeatur?

Hinc ad tertiam, & potissimam partem nostri fundamenti descendimus, in qua Aduersariorum objectionibus ex quatuor ipsis definitionis fontibus petitis respondebimus.

V. *Prima objectio principalis ex defectu materia essentialis nostro Sacrificio.*

Prima igitur objectio sumitur à re oblata, quam sic proponit P. Suarez. De essentia, inquit, vel saltem de substantiali integritate Sacrificij est, quod fiat sub duabus speciebus consecratis, sed eo die non consumitur nisi vna species; ergo signum est non fieri Sacrificium, quomodo enim Ecclesia faceret Sacrificium mutilum? Cum vel in hoc dispensare non possit, vel certè nulla sit sufficiens ratio dispensandi.

In objectione tres inuoluuntur quæstiones non leuis momenti. Prima est, An sit iuris Diuini, vt Sacerdos in duplici specie, videlicet panis, & vini sacrificet; An verò sit tantum Canonici Iuris: nam Adrianus in 4. quæst. 6. Maior. in 4. dist. 9. quæst. 3. ad 5. & alij apud Azor. lib 10. cap. 19. concedunt esse tantùm Canonici Iuris, & ideo concludunt in multis casibus posse tuta conscientia Sacerdotem in vna specie sacrificare. Nos, vt procedat objectio, & quia id verius existimamus, concedimus esse iuris Diuini, vt Sacerdos in duplici specie sacrificet.

Altera quæstio est, An etiam posito iure Diuino, possit authoritate Pontificia sacrificari in vnica tantum panis specie: nam Gabriël in Canon. lib. 13. dub. 3.

& alij, licet ſentiant Diuini iuris eſſe, vt Sacerdos in vtraque ſpecie ſacrificet, nihilominus tamen opinantur authoritate Eccleſiæ per Romanum Pontificem fieri poſſe, vt in vna tantùm panis ſpecie ſacrificet, quia putant multa eſſe iuris Diuini, quæ remittere, & relaxare Pontifex poſſit ob publicam aliquam,& grauem neceſſitatem, vt videmus, Votum, Iuſiurandum, Matrimonium ratum, non conſummatum, authoritate Pontificia relaxari, & diſſolui, quam ſententiam Azor ait eſſe valde probabilem. Nos vt adhuc magis procedat objectio concedimus Sacrificium ſub duplici ſpecie ita eſſe iuris Diuini, vt authoritate Romani Pontificis fieri non poſſit, vt in vna tantùm ſpecie ſacrificetur.

Tertia quæſtio eſt, An ſalua tota eſſentia veri Sacrificij potuerit Chriſtus diſpenſare pro hac die, vt ſub panis tantùm ſpecie ſacrificetur; & an ſufficiens indicium habeamus de facto diſpenſaſſe. Hæc vltima quæſtio ad rem pertinet, de qua diſputamus; contendit enim P. Suarez cum ſuis Sectatoribus, vt hoc Myſterium abſolutè, & ſimpliciter ſit verum Sacrificium, eſſentialiter requiri vtriuſque ſpeciei oblationem, quod explicat diſp. 75. Sect. 6. à rebus artificialibus, in quibus illæ partes materia eſſentiales cenſentur, ex quibus reſultat forma totius. Et ſine quibus eſſe non poteſt, vt verbi gratia in Triangulo tres lineæ ſunt de eſſentia, quia ſine illis non poteſt eſſe talis figura, quæ eſt de eſſentia Trianguli: Sic, inquit, in præſenti, ſignificatio propria, & integra Sacrificij eſt quaſi forma totius Sacrificij; & ideo res illæ, ſeu actiones, ſine quibus talis ſignificatio eſſe non poteſt, meritò exiſtimandæ ſunt eſſentiales. Hoc autem modo ſe habet in præſenti vtriuſque ſpeciei oblatio, ſine qua non habetur myſtica ſignificatio,quæ conſiſtit in repræſentatione, & imagine Paſſionis, & mortis Chriſti, non vtcumque, ſed expreſſa, & viua. Hæc verò non reſultat ex qualibet ſpecie per ſe ſumpta, ſed ex vtraque ſimul. Quia corpus licet ex ſe, & ex vi verborum non dicat determinatè corpus viuum, tamen non excludit illud, & ideo oblatio corporis, vt ſic, non ſatis ſignificat corpus vt mortuum, cum de ſe indifferens ſit ad viuum, & mortuum; & idem ferè eſt de oblatione ſanguinis per ſe ſumpta, nam etiam ſanguis poteſt eſſe in venis, & extrà venas; ergo ſola illius oblatio ex vi ſua non repræſentat ſanguinem, vt effuſum, & vt ſeparatum à corpore; ergo cum integra hæc ſignificatio myſtica ſit, qua ſi forma noſtri Sacrificij, & hæc reſultare non poſſit, niſi ex vtraque ſpecie ſimul, ſequitur, vt in oblatione ſub vnica tantùm ſpecie non ſaluetur integritas eſſentialis Sacrificij; ergo altera ſpecie deficiente, vt eſt in die Paraſceues non reſtat verum, & integrum Sacrificium. Hæc videtur eſſe tota vis argumenti P.Suarez, qui putat habere prò ſe S.Thomam quæſt.83. art. 2. vbi mouet hoc dubium. Cum hoc Sacramentum ſit commemoratiuum Dominicæ Paſſionis, videtur inconueniens eſſe, quod in Paraſceue totaliter intermittatur, reſpondet autem hoc modo. Veniente veritate ceſſat figura; hoc autem Sacramentum eſt figura quædam, & exemplum Dominicæ Paſſionis; & ideo in die, quo ipſa Paſſio Domini recolitur, provt realiter geſta eſt, non celebratur conſecratio huius Sacramenti. VI.

An vtraque ſimul ſpecies ſit materia eſſentialis huius Sacrificij.

Vt huic argumento facilè, & ſolidè reſpondeamus, aduertendum eſt,in Sacroſancto, ac Diuino Miſſæ Sacrificio duplicem eſſe ſignificationem, alteram moralem, alteram myſticam. Significatio moralis eſt veluti forma ſubſtantialis conſtitutiua cuiuſcumque veri Sacrificij; ideo exprimitur in definitione Sacrificij VII.

In Miſſa ſacrificio duplex ſignificatio, moralis, & myſtica.

in genere, & necessario reperitur in omni Sacrificio, tanquam prima radix omnium, quæ illi conueniunt. Significatio mystica est forma Sacrificij veluti accidentalis, quæ non dat illi esse simpliciter, sed præsupponit Sacrificium cui aduenit iam constitutum simpliciter, tribuitque illi tantùm esse secundum quid, propterea est extrà definitionem Sacrificij. Hinc sequitur significationem moralem, in qua ponitur supremus Latriæ cultus soli Deo debitus, reperiri semper eandem, & inuariatam in omni Sacrificio, & quandiu illa manet, verum Sacrificium manere: Significationem verò mysticam variari, & minui ex parte posse, & fortasse ex toto etiam abesse, salua tota essentia veri Sacrificij per suam adæquatam definitionem explicata.

VIII. *Materia proxima significationis moralis.* In Sacrosancto ergo Missæ Sacrificio, significatio moralis continens summum Dei cultum, est illa, quæ reperitur in omni vero, ac propriè dicto Sacrificio, cum quo communem habet naturam, & definitionem, & pro sua proxima materia, vnde resultat, habet consumptionem, & destructionem rei, quæ sic in Dei cultum offertur, & per hanc significationem constituitur in ratione Sacrificij simpliciter.

IX. *Materia proxima significationis mysticæ.* Significatio verò mystica, quæ in repræsentatione alicuius reconditi, & supernaturalis mysterij consistere solet, continet in nostro Sacrificio viuam, & expressam imaginem Sacrificij cruenti, provt re ipsa gestum est, atque hæc pro sua proxima materia, vnde resultat, habet duas illas species separatas sub quibus fit sacrificalis oblatio. Et per hanc significationem constituitur in esse Sacrificij commemoratiui.

X. *Significatio moralis inseparabilis à Sacrificio.* Iam verò videndum est, vtrum hæ duæ significationes ita sint connexæ inter se in vno Missæ Sacrificio, vt altera destructa, totum necessario destruatur. Et quidem, quod destructa significatione morali, nullum sit simpliciter Sacrificium, fatentur omnes, quia hæc est prima, & essentialis forma constitutiua Sacrificij, vt sic, id quod non aliundè probari debet, quàm ex definitione ipsa Sacrificij in genere, ab omnibus recepta. Quod verò destructa significatione mystica, siue ex parte, siue etiam ex toto, Sacrificium absolutè non maneat, & tota illius substantia simpliciter destruatur; Hoc si Aduersarij probarent, intentum euincerent.

XI. *Significatio mystica separabilis à Sacrificio.* Sed oppignoratum habeo P. Suarez, qui disput. 73. Sect. 2. docet vniuersaliter significationem mysticam conjunctam cum Sacrificiis non esse de primaria ratione, & essentia Sacrificij, atque vt sic separabilem ab illis esse, salua illarum tota integritate essentiali. Et sanè si præscindamus tantisper à Missæ Sacrificio, & loquamur de Sacrificio simpliciter, videtur res per se manifesta; quid enim repugnat, quod sacra aliqua actio ordinetur ad Dei cultum significandum provt exprimitur in definitione Sacrificij, & non ad repræsentandum aliquod aliud Mysterium? immò ita de facto contigisse non solum in Sacrificiis Gentilium, qui nulla alia Mysteria per sua Sacrificia repræsentare intendebant, præter quam supremum cultum eius Numinis, quod colebant, sed etiam in aliquibus Sacrificiis Fidelium, probabile putat P. Suarez. Non enim, inquit, videtur necessarium, vt in omnibus Sacrificiis eorum, qui tempore legis naturæ Sacrificia offerebant non ex speciali reuelatione Diuina, sed proprio arbitrio & determinatione, interfuerit mystica significatio, præsertim apud eos, qui non habebant explicitam fidem Christi. Sed quidquid sit, vtrum de facto in aliquibus Fidelium veris Sacrificiis fuerit significatio moralis sine mystica. Certum est ex sua

natura non esse inter se necessario connexas. Nam vt rectè idem Author aduertit, Sacrificium ipsum mortis Christi fuit verum, ac perfectum Sacrificium habens prædictam moralem significationem, nulla tamen significatio mystica in eo excogitari potest, quia non est impositum ad aliquod aliud Sacrificium, vel supernaturale mysterium significandum. XII. *Sacrificium Crucis habuit significationem moralem sine mystica.*

Ex his autem hoc iam habemus, esse commemoratiuum Sacrificij mortis Christi, quod in Missæ quotidiano Sacrificio reperitur, non procedere ex eo, quod Missa verum Sacrificium est, quia potest aliquod esse verum Sacrificium, & nullam habere significationem mysticam; & loquendo de peculiari significatione mystica mortis Christi, hæc non potest esse de prima ratione constitutiua Sacrificij, quia ratio Sacrificij prior est, & independens non solum à morte Christi, sed etiam à lapsu humanæ naturæ, quem consequuta est mors Christi: Immò potuisset Christus in nocte Cœnæ offerre, & instituere pro Sacrificio visibili Ecclesiæ idem planè Sacrificium, quod est nunc, & statim, non interposita morte ascendere in Cœlum, in quo casu Sacrificium Ecclesiæ esset quoad omnia intrinseca planè idem, & non esset signum commemoratiuum mortis Christi. Veritas ergo nostri Sacrificij ita est conjuncta cum esse commemoratiuo, vt possit tota, & integra consistere sine illo. XIII. *Sacrificium Missæ habet significationem mortis Christi, sed non quia verum Sacrificium est.*

Ad primam igitur objectionem vltrò concedimus de substantiali integritate nostri Sacrificij esse, quod fiat sub duabus speciebus consecratis, sed dicimus hoc requiri à nostro Sacrificio quatenus de facto commemoratiuum est ratione talis significationis mysticæ. Neque abhorremus ab allato exemplo à P. Suarez, quod sicut in triangulo tres lineæ sunt de essentia, quia sine illis non potest esse talis figura, quæ est de essentia trianguli; ita in Sacrificio Missæ commemoratiuo ambæ species consecratæ sunt de essentia, quia sine illis non potest esse talis significatio mystica, quæ est de essentia commemoratiui. Cæterum sicut vtrobique potest mutari figura, ita potest materia vtrobique variari. Posse autem significationem mysticam à vero Sacrificio separari, demonstratum est supra. Neque aliud curant Authores, qui aiunt in die Parasceues non offerri verum Sacrificium, loquuntur enim de Sacrificio commemoratiuo, quatenus vera, & expressa imago Passionis & Mortis Christi est; hoc negant eo die offerri. Et hoc tantum probat ratio S. Thomæ, etiam verbis Aduersariorum adducta. Significat S. Doctor, aiunt ipsi, in Parasceue nullam Missam dici, seu non fieri Sacrificium, in quo mysticè repræsentetur mors Christi, quia eo die recolimus realem mortem eius, seu Sacrificium cruentum, provt in simili die re ipsa gestum est. Quod vero S. Thomas per hoc non contendat, Ecclesiam illo die carere Sacrificio simpliciter, est manifestum ex eodem loco quæst. 83. art. 2. ad 2. vbi statim subdit, ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu Passionis per hoc Sacramentum nobis exhibito, Corpus Christi consecratum in die præcedenti reseruatur sumendum in illo die, non autem sanguis, quia sanguis specialius est imago Dominicæ Passionis. Ex hoc autem loco tale conficitur argumentum, quod sanè P. Suarez non dissimulat, sed quod mirandum est in viro tàm docto, & accurato, nihil planè ad illud respondet. Corpus Christi consecratum, ait S. Thomas, reseruatur sumendum in illo die, ne Ecclesia ea etiam die sit sine fructu Passionis; ergo illa sumptio Sacramenti affert Ecclesiæ fructum Passionis; sed non affert Ecclesiæ fructum XIV. *Oblatio sub duplici specie est de substantia Sacrificij, vt commemoratiui.* XV. *Sensus, in quo Authores negant in Parasceue celebrari Missam.* XVI. *Argumentum ex S. Thoma pro vero Sacrificio in Parasceue.*

Passionis per modum Sacramenti : Patet, quia ex Axiomate Theologico ab Aduersarus admisso, sumptio Sacramentalis prodest solum sumenti Sacramentum; ergo affert Ecclesiæ fructum per modum Sacrificij. Atque adeo illa sumptio non est merè Sacramentalis, sed etiam sacrificalis; ergo supponitur in illa die non esse Ecclesia sine Sacrificio simpliciter; quod verò aliqui Theologi aiunt, in ea die fieri consummationem Sacrificij, non Sacrificium, est euasio merè verbalis; & parum facit ad rem, est merè verbalis, quia in re tunc verius offertur Sacrificium quando in Dei cultum, & honorem consummatur. Parum, & nihil facit ad rem, quia recurrit totum argumentum P. Suarez quomodo scilicet consummatur verum Sacrificium in vnica tantum specie, cum de integritate illius essentiali sit, quod sub duobus speciebus consummetur.

XVII. *Consummatio Sacrificij, & Sacrificium nõ differunt formaliter.*

Aliunde tamen contendere quis posset ex sententia S. Thomæ non offerri in die Parasceues Sacrificium simpliciter, quia ratio Sacrificij simpliciter non distinguitur in illo à ratione commemoratiui. Vnde fit, quod si non offertur Sacrificium commemoratiuum, non offertur Sacrificium simpliciter. Loca præcipua S. Thomæ petenda sunt ex quæst. 83. quæ est de ritu huius Sacrificij, & præcipuè ex art. 1. vbi quæritur vtrum in celebratione huius mysterij Christus immoletur. Respondet autem affirmatiuè dicendum, quod celebratio huius Sacramenti, dicitur immolatio Christi, quia solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt : celebratio autem huius Sacramenti imago quædam est repræsentatiua Passionis Christi, quæ est vera eius immolatio; & ideo celebratio huius Sacramenti dicitur Christi immolatio.

XVIII. *Ex S Thoma Missa est immolatio, quia est imago Passionis Christi.*

Ecce ex S. Thoma, in tantum nostri Sacrificij celebratio dicitur immolatio, in quantum est imago Passionis, quæ fuit vera Christi immolatio; ergo tota substantia immolationis consistit in imagine; ergo sublata imagine tollitur simpliciter immolatio; sed in die Parasceues tollitur imago, quia tollitur significatio mystica; ergo tollitur simpliciter Sacrificium, & immolatio. Et in hac quidem doctrina videtur S. Thomas sequutus Magistrum Sententiarum in 4. dist. 12. vbi quærit, si quod gerit Sacerdos dicatur propriè Sacrificium, vel immolatio, & respondet, id, offertur, & consecratur à Sacerdote vocari Sacrificium, & oblationem, quia memoria est, & repræsentatio veri Sacrificij, & sanctæ immolationis factæ in Ara Crucis. Nota illud, quia *memoria est veri Sacrificij* quasi tota eius essentia in esse memoriæ alterius veri Sacrificij sit; Vnde ab Augustino lib. 20. contra Faustum cap. 21. simpliciter appellatur *Sacramentum memoriæ.* Huius, inquit, Sacrificij caro, & sanguis ante Aduentum Christi per victimarum similitudinem promittebatur, in Passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post Ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur.

XIX. *Missa Sacramentum memoriæ.*

Atque hinc videtur fundamentum sumpsisse P. Vasquez sententiæ suæ disput. 220. vbi docet Sacrificium Eucharisticum non esse Sacrificium absolutum, sed essentialiter commemoratiuum. Vocat Sacrificium absolutum, quod independenter ab alio Sacrificio habet in se veram rationem Sacrificij. Commemoratiuum verò, quod in tantum est Sacrificium, in quantum præcisè repræsentat alterum Sacrificium absolutum, ex quo manifestè sequitur non esse in Sacrificio Eucharistiæ separabilem rationem Sacrificij simpliciter à ratione commemoratiui, & consequenter in officio Parasceues ex defectu commemoratiui, non celebrari simpliciter Sacrificium.

XX. *Sententia P. Vasquez de Sacrificio essentialiter commemoratiuo.*

Fateor

Fateor prædicta loca fauere primore aspectu sententiæ P. Vasquez. Tamen quia ex illis Hæretici conantur inferre sacrificium Missæ non esse propriè in se Sacrificium, & in tantum ita à Patribus interdum vocari, in quantum est commemoratio quædam, & imago veri sacrificij. Ideo idem P. Vasquez, cum pro sua sententia testimonium illud S. Thomæ attulisset, statim subdit. Quod ait S. Thomas ideo celebrationem huius Sacramenti appellari Sacrificium, quia imagines rerum, nominibus ipsarum vocari solent, sano modo est intelligendum, vt eius sententia vera sit, nam quamuis hoc Sacramentum non sit mors Christi, sed repræsentatio illius, & imago, & hac ratione conueniat ei nomen mortis, non tanquam rei, sed tanquam imagini, tamen nomen sacrificij non conuenit ei tanquam imagini, sed tanquam rei, quia licet Christus in hoc Sacramento, non re, sed repræsentatione, & similitudine quadam, seu mysticè moriatur, tamen re ipsa, & non tantum in imagine in sacrificium offertur, & immolatur. Quod si S. Thomas docere vellet hoc Sacramentum non esse verè sacrificium Christi, sed tantum imaginem sacrificij, eius sententia nullo modo probari posset; nam fides Catholica est, Christum in hoc Sacramento verè, & propriè immolari. Si autem in sola imagine immolaretur non verè, & propriè, sed sola repræsentatione in sacrificium offerretur. Hæc P. Vasquez disp. 222. cap. 7. in fine, cuius sententiam examinare alterius loci est; interim illa duo ex ipsius verbis accipimus, alterum nomen sacrificij non conuenire Eucharistiæ tanquam imagini, sed tanquam rei, quia re ipsa, & non tantùm in imagine Christus in sacrificium offertur, ex quo contra ipsum infero, posse in die Parasceues esse in Eucharistia rem, vt non imaginem. Alterum, quod accipimus est, testimonia Patrum, atque Doctorum Ecclesiæ, in quibus nomen sacrificij, & immolationis videtur tribui Eucharistiæ, non tanquam rei, sed tanquam imagini sano modo esse intelligenda.

XXI. Explicatur S. Thomas ab eodem P. Vasquez, & rectè.

XXII. Nomen mortis conuenit celebrationi Missæ, tanquam imagini, nomen sacrificij tanquam rei.

Sed quis tandem est sanus hic modus, quo sunt intelligenda? Ille planè, quo vsus est Bellarminus contra Kemnitium contendentem, Magistrum Sententiarum cum antiquis Patribus, damnatum esse à Tridentino; nam ille ait Kemnitius ex Patribus docet sacrificium Missæ dici sacrificium, quia est memoria sacrificij Crucis, non quod in se sit propriè sacrificium; Concilium autem Sess. 22. can. 1. ait: si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium, anathema sit. Docet ergo Bellarminus nomen immolationis, & sacrificij frequentissimè accipi à Patribus in sensu maximè proprio, hoc est pro immolatione in propria specie, siue pro cruenta sacrificatione, quæ semel tantum verè, & propriè in Ara Crucis facta, & celebrata est. Cum ergo quærat Magister, an quod Sacerdos gerit, sit dicendum sacrificium, & immolatio, accipit nomen sacrificij, & immolationis pro occisione, ac si apertius quæsiuisset, an quod gerit Sacerdos, sit dicenda Christi occisio. Respondet autem rectissimè, Christum semel tantum verè immolatum, idest occisum fuisse, nunc autem non propriè immolari, idest occidi, sed solum in Sacramento, seu sacro signo, imagine, & repræsentatione. Et in hoc eodem sensu rectissimè dixit S. Thomas, Passionem Christi esse veram eius immolationem, celebrationem verò huius Sacramenti dici immolationem, hoc est occisionem Christi, quia est illius imago. An autem quod Sacerdos gerit, sit in se sacrificium verum, & propriè dictum quantumuis incruentum, nec Magister, nec S. Thomas in locis citatis quærunt, sed id ibi præ-

XXIII. Immolatio pro sacrificatione in propria specie.

tionem commemoratiuam præteriti sacrificij, & oblationis factæ olim in Cruce, sed esse rationem sacrificij simpliciter, & nouam oblationem, quæ in se, & immediatè sit incruenta Latria, vt vocant illam Patres Ecclesiæ, & nouus cultus immediatus. *Secundum*, duas illas rationes ita esse per conceptum separabiles, vt quantum est ex se, non repugnet reipsa separari, ita vt dari queat verum sacrificium simpliciter in Corpore Christi, quod non sit propriè, & expresse commemoratiuum, & expressiuum Passionis, & Mortis Christi, in sensu, quo commemoratiua illius dicitur quotidiana oblatio sub duplici separata specie.

dari in corpore Christi verum Sacrificium, & non commemoratiuum.

Secunda objectio principalis sumitur ex defectu principalis offerentis. Eam autem vrget P. Suarez loco citato, quia, inquit, in tota illa cæremonia, provt illo die fit, nihil in ea fit in propria Christi persona, immò fortasse ideo tunc non fit consecratio, ne Christus in propria persona viuens, & loquens introducatur eo die, quo mortuus recolitur, & eadem ratione non interponitur eius persona, vt offerens sacrificium incruentum, sed solum fit repræsentatio eius, vt offerentis cruentè. Non ergo fit eo die proprium sacrificium in Ecclesia, quia nullum potest in ea fieri sacrificium, in quo Christus non sit principale offerens. XXX.

Secunda objectio ex defectu principalis offerentis.

Respondeo multa esse in illa sacra actione, provt illo die fit, quæ in Christi persona fiunt, vt patebit ex responsione ad tertiam objectionem. Quæ actiones necessario sunt assignandæ; est enim verissimum quod assumitur in argumento nullum posse fieri in Ecclesia sacrificium, in quo Christus non sit principale offerens; sed vnde habent Aduersarij Christum in ea die esse non posse principale offerens? Aiunt ex S. Thoma; in die, quo ipsa Passio Domini recolitur, provt realiter gesta est, & in qua Christus se ipse obtulit, cessare in Ecclesia figuram. Est autem sacrificium nostrum figura quædam veræ immolationis cruentæ, figura autem, inducta veritate cessare debet. Benè est, verum hoc tantum probat Christum non posse esse principale offerens respectu sacrificij, quod sit figura, seu respectu sacrificij commemoratiui; ergo respectu sacrificij simpliciter, & quod imago, & figura non sit alterius sacrificij poterit etiam in illa die interponi Christus tanquam principale offerens. Neque vera est illa causalis, quod ideo non fit consecratio, ne Christus in propria persona viuens, & loquens introducatur eo die, quo mortuus recolitur, sed ne introducatur se ipsum adumbrans, & figurans repræsentatiuè, & mysticè eo die, quo recolitur verum sacrificium cruentum provt realiter gestum est. Hæc est ratio allata à S. Thoma, quæ planè cessat, si non interponatur vt offerens sacrificium commemoratiuum, sed tantùm sacrificium absolutum: Immò probat illo maximè die interponi posse Sacerdotem nostrum viuentem ad offerendum, quia cum recolatur, vt realiter sacrificium cruentum obtulit, hoc ipso recolitur viuens, neque enim mortuus, sed viuens se ipsum obtulit. Porrò tantum abest quod repugnet introduci in illa die Christum, vt loquentem, & viuentem, vt propterea tam multæ orationes pro omni gradu Ecclesiæ fiant in officio illius diei: quia Christus in ea die pro omnibus cum clamore valido, & lacrymis orauit in Cruce, vt obseruauit Alcuinus. Quæ potest esse etiam ratio cur illo maximè die Ecclesia debeat, non solum verè orare, sed verè etiam offerre, quia Christus non solum pro omnibus ea die orauit, verum etiam pro omnibus se ipsum obtulit. Attendendum igitur est intentum Ecclesiæ in illa sacra cæremonia explicanda, quod ex S. Thoma illud solum est, XXXI.

Christus in Actione Parasceues est principale offerens.

vt veritate præsente non exprimatur figura, ea autem satis superque remouetur per subtractionem significationis mysticæ, & oblationis vtriusque speciei separatæ, in qua posita est viua, & expressa imago eius, quod illa die recolitur, prout in simili die re ipsa gestum est. Quod si quæratur vlterius ratio cur dicendus est Christus principale offerens in sacrificio Parasceues, ea facile reddi potest, quia in tantum Christus dicitur Sacerdos, & offerens in sacrificio Crucis, in quantum se ipsum tradidit perimendum,& in propria specie consummendum in Dei honorem, & hominum salutem, sed in actione huius diei, idem Christus tradit se Ecclesiæ offerendum, & consummendum, licet sub aliena, & vnica specie in Dei honorem,& hominum salutem; ergo in hoc etiam sacrificio est Sacerdos, & offerens. Non sic fuisset in triduo, aut biduo mortis, in quo dicemus infra verum sacrificium ab Ecclesia offerri non potuisse per quempiam Apostolorum, quia tunc non existebat simpliciter principalis, cuius nomine & verbis Sacerdos purè ministerialis offerret. In re verò nostra, non solum adest principalis Sacerdos, in quantum existit simpliciter *semper viuens ad interpellandum pro nobis,* sed etiam prout introducitur in Mysterio illius diei, in quo præcipuè recolitur vt actu se ipsum offerens, atque vt summus Sacerdos existens.

XXXII. *Qua ratione Christus dicitur principale offerens.*

XXXIII. *Tertia objectio ex defectu actionum sacrificalium.*

Tertia objectio principalis sumitur ex defectu actionum sacrificalium in officio illius diei, vt enim ait Henriquez lib. 9. cap. 9. Sacerdos nullum dicit verbum, quo ostendat se offerre, non facit Memento, nec dicit Orationes post communionem,& sumit absque vlla dispensatione, speciem tantum panis, cum tamen ius Diuinum præscribat sacrificium non fieri nisi sub duplici specie.

Respondeo. In officio illius diei plures esse sacrificales actiones, ex quibus validum argumentum sumi potest, verissimum ibi offerri sacrificium, illæ autem potissimæ sunt, Victimæ sanctæ *oblatio, fractio, consumptio.*

XXXIV. *In actione Parasceues est expressa sacrificalis oblatio.*

Et primo mirandum est, qua ratione dici potuerit ab Henriquez, Sacerdotem ne verbum quidem vllum dicere, quo ostendat se offerre, nam in primis hoc ostendit solemni thurificatione, quæ fieri in Rituali præcipitur super *oblata.* De qua antiquissima cæremonia mentio fit in Can. 4. Apost. vbi dicitur Thymiama, seu incensum offerendum ad Altare cum sacra celebratur *oblatio.* Deinde hoc idem ostendit expressissimis verbis oblationis. Etenim in medio Altaris inclinatus,& iunctis manibus, dicit: *Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi Domine Deus.* Quæ maior, aut expressior in Dei cultum oblatio? Si sacrificium eo modo, quo est, idem est quod oblatio; perinde est dicere: placeat tibi sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ac dicere: placeat tibi hodierna hæc nostra oblatio. Si tertia horum verborum pars in actione Cœnæ Domini Euangelistarum testimonio intercessisset, profecto non ausi fuissent Hæretici oblatrare, ac dicere Christum nullum dixisse verbum, quo ostenderet se offerre; aliquod tamen verbum verè dixit, quod ibi hoc idem satis ostendit, vt suo loco perpendimus.

XXXV. *In actione Parasceues fit fractio sacrificalis.*

Secunda actio sacrificalis est fractio, quæ illo die non omittitur, & cuius maxima ratio semper est habita in sacrificio, vt meritò S. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 3. ad 3. inter actiones, quæ habent rationem sacrificij enumeret fractionem panis; habet quidem hæc cæremonia præter significationem moralem propriam sacrificij simpliciter, etiam mysticam Passionis, vt propterea in can. Cum frangitur

XXXVI. *Fractio præter*

de Consec. dist. 2. dicatur: *Cum frangitur Hostia, dum sanguis de Calice in ora fidelium funditur; quid aliud quàm Dominici corporis in Cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur.* Tamen ea mystica significatio non est ab illa actione inseparabilis, quia non est in illa principalis, & primaria, immò nec propria. Vnde S. Chrysostomus Homil. 24. in prima ad Corinth. Quare, inquit, addit Apostolus; panem frangimus, hoc in Eucharistia videre licet, in Cruce autem minimè, sed omnino contra. Os enim eius non conteretur, sed quod in Cruce passus non est; id in oblatione patitur, & propterea se frangi permittit, vt omnes satiet. Hoc idem ex Chrysostomo docuit Bellarminus lib. 1. cap. 12. qui addit; vix dubium esse posse, quin Apostolus respexerit ad species panis, cum ait. 1. Corinth. 11. Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur. Non enim aliter frangi conuenit Christi corpori, nisi sub specie panis. Atque hìc est obseruandum, per fractionem significari ab Apostolo ipsam sacrificalem oblationem; non enim intelliguntur illa verba de solo pane, qui verè, non pro nobis, sed nobis frangitur; sed de vero Corpore Christi oblato sub speciebus panis, vt sensus sit: Hoc est Corpus meum, quod nunc in specie panis frangitur, idest datur, & sacrificatur Deo pro nobis. Ex quibus conficitur; quod etiam si quotidianum Ecclesiæ Sacrificium non esset commemoratiuum Passionis, adhuc sacram actionem fractionis Hostiæ, seu Victimæ contineret, in illa enim, tanquam in actione proximè ordinata ad victimæ consumptionem, & destructionem fundatur pars significationis moralis supremi Latriæ cultus, quæ est prima, & essentialis in sacrificio simpliciter.

significationem mysticam habet moralem.

XXXVII. *Mystica est secundaria, & separabilis.*

XXXVIII. *Frangi pro offerri.*

Tertia actio est eiusdem victimæ oblatæ, & fractæ consummatio, quod verò non sit simplex sumptio, sed maximè sacrificalis patet, quia alioquin fructus Passionis, qui communicatur Ecclesiæ per modum sacrificij illo die, Ecclesiæ non communicaturus, sed totus esset solius celebrandis, qui sumeret Sacramentum contra doctrinam expressam S. Thomæ superius declaratam, quæ doctrina vsque adeo solida est, vt Bellarminus lib. 1. cap. 13. cum illa clauserit agmen argumentorum, quibus probat ex Patribus contra Hæreticos, oblationem Ecclesiæ quotidianam esse verum sacrificium. Vltimum, inquit, caput, vnde Patrum sententiam adeo perspicuè cognoscimus, vt nullus pateat Aduersariis exitus, nisi Patres omnino rejiciant, sumitur ex iis, pro quibus veteres sacrificia offerebant; nam si Eucharistia nihil esset aliud nisi Sacramentum, certè non prodesset nisi sumenti, & manducanti, quemadmodum Baptismus non aliis prodest, quàm iis, qui baptizantur. Quod quidem Aduersarij non negant: immò Philippus, Caluinus, Kemnitius, & alij totam controuersiam inter nos, & ipsos esse dicunt: An Eucharistia non solum debeat distribui manducantibus, sed etiam pro salute aliorum tum viuentium, tum mortuorum; id enim posterius ad verissimum sacrificium pertinere non dubitant. Quod verò Eucharistia, quæ consumitur in actione Parasceues offeratur de facto pro nostra, & totius Mundi salute, id omnino est, quod S. Thomas docebat in quæstione illa 83. art. 2. ad 2. celebrari videlicet sumptionem Corporis Christi, ne Ecclesia ea etiam die sit sine fructu Passionis per hoc Sacramentum nobis exhibito. Vbi vides, non agi de quolibet fructu Passionis, sed de illo, qui prouenit Ecclesiæ à celebratione Eucharistiæ, quatenus proficere potest etiam non sumentibus, atque adeo quatenus operatur ad mo-

XXXIX. *Consumptio hostia in die Parasceues est actus sacrificalis.*

XL. *Si sumptio corporis esset merè Sacramentalis non prodesset nisi sumenti.*

dum Sacrificij. Habemus ergo in actione illius diei veram oblationem, & consummationem victimæ sacrificalem.

XLI. *Distributio solemnis Eucharistiæ præsupponit verum Sacrificium*

Quarta est solemnis distributio; Hanc reliquis annumerauimus, non quod nunc sit in vsu, neque quod illa per se pertineat intrinsecè ad Sacrificium, sed quia fuit aliquando in legitimo, ac solemni ritu, & quia ex legitimo, & solemni illius vsu rectè inferatur, oblationem illius diei, quæ nunc fit, esse verum Sacrificium. Et quidem quod aliquando legitimè fuerit in vsu. Patet ex ordine Romano antiquo in officio diei Parasceues, in cuius fine dicitur: *Et communicent cum silentio*, tum ex Gregorio Magno in lib. Sacram. vbi dicitur: Communicet Sacerdos, *& omnis plebs*. Immò hoc est vnum ex argumentis, quibus probant nostri Doctores contra Hæreticos, licitam esse communionem populi sub specie panis tantùm absque sanguine, quia olim in die Parasceues, in quo certum est, neque consecrari, neque sumi sanguinem, etiam in publico Cœtu Ecclesiæ fuit vsus huius Sacramenti, vt videre licet apud Bellarminum lib. 4. de Euchar. cap. 24. Denique eadem consuetudo videtur mihi colligi ex verbis, quæ eo die consummato Sacramento dicuntur à celebrante in medio Altaris: Quod ore sumpsimus Domine pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

XLII. *Olim in actione diei Parasceues fiebat distributio.*

XLIII. *Finis, ob quem fiebat distributio.*

Iam verò quod ex distributione illo etiam die fieri solita, rectè inferamus in eiusdem officij actione fieri sacrificalem oblationem Deo. Hoc cognosci potest ex fine, ob quem Fideles in primitiua præsertim Ecclesia de Domini Mensa participabant. Ille autem erat, vt Sacrificij participes fierent, & sicut Sacrificium, sic etiam sacrum epulum esset quotidianum; fuerat hoc solemne in sacrificiis Iudæorum, vt de victimis in Altari oblatis comederent in Atrio ante Templum, vt patet 1. Reg. 9. 13. & alibi, & vsque ad tempora Apostoli Pauli solebant etiam Gentiles post peractum Sacrificium transferre ex Altari, mensaque Idoli carnes illi immolatas, vt ex iis comederent illi, qui eas obtulerant. Itaque tam apud Hebræos, quam apud Gentiles nullum erat sacrum epulum, & conuiuium, quod non esset ex carnibus in Sacrificio oblatis. Hinc Apostolus grauiter sanxerat, ne quis fidelium huiusmodi epulis interesset, quia ea comedere fercula, erat comedere hostias; comedere autem hostias, erat participare de Altari; hoc est de Sacrificio, quod in Altari offertur. *Nonne qui edunt hostias participes sunt Altaris?* Omnino aiebat Apostolus, participes sunt, quia hoc modo comedentes hostias, censentur ipso facto tacitè colere Numen, cui erant oblatæ, & quasi consummare idem Sacrificium, ac per hoc quodammodo sacrificare.

XLIV. *Sacrum epulum ex sacrificio.*

XLV. *Antiqui Christiani quotidie de Altari participabant.*

Contra verò consueuerunt primi Christiani, Sacrum, Diuinumque Eucharistiæ epulum celebrare, quoties Sacrosanctum Sacrificium Corporis Domini offerebatur, vt ex antiquis Ecclesiæ Annalibus docet Cornelius in Epist. 1. ad Cor. cap. 11. & ostendi potest ex Canone decimo Apostolorum, & Canone Anacleti in peracta, de Consecr. dist. 2. vbi ex communicatione afficiuntur, qui ante discedunt à Templo quàm Sacrificium finiatur, *& qui sacram communionem non sumunt*. Item ex Can. Sotheris de Consecr. dist. 1. vbi habetur, illam esse legitimam Missam, in qua adsunt Sacerdos, respondens Minister, Offerentes, astantes, & *communicantes*. Quamuis autem hi Canones progressu temporis vsu abrogati fuerint, probant tamen intentum videlicet consueuisse eo tempore

fideles communicare, quoties verum Sacrificium offerretur; id enim decernunt, quod tunc de more fiebat. Finis verò, ob quem omnes communicabant erat publica protestatio veræ Religionis, quod ex comparatione ab Apostolo facta Mensæ, & Altaris Domini cum Mensa, & Altari Idolorum, apertè colligunt Patres. Sicut enim quicumque manducabant Idolothyta, fiebant participes Altaris Idolorum, atque adeo in illorum Sacrificium consentiebant, fiebantque socij immolantium, & sacrificantium, vnde ipsi quoque Idololatræ habebantur. Ita Christiani, vt veros Dei cultores se ostenderent, Corpus Christi oblatum, & sacrificatum manducabant, vt sic participes Altaris Domini effecti, profiterentur se consentire in oblationem factam Deo soli, viuo, & vero; & sic socij sacrificantium effecti, ipsi quoque quodammodo sacrificarent. Cum ergo in die Parasceues, non minus quàm in cæteris anni diebus, solemnis Altaris participatio celebraretur, signum est, quod illo etiam die verum in Altari Sacrificium offerretur.

XLVI. *Altaris participatio in professionem veræ Religionis.*

Hoc argumentum vrget non leuiter, quia verè communio populi Christiani, vera participatio Altaris, hoc est Sacrificij in Altari oblati est. Iuxtà id, quod in sacro Canone dicimus: Vt quotquot ex hac Altaris participatione, &c. Vnde S. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 13. dicit, Matrem suam omnibus diebus seruisse Altari, *Vnde sciret dispensari Victimam sanctam.*

XLVII. *Communio est participatio Altaris.*

Sed video Aduersariorum effugium. Dicent in actione illa Parasceues, dispensatam quidem olim fuisse Ecclesiæ Victimam sanctam, tanquam participationem Altaris, & Sacrificij; at non Sacrificij eodem die Parasceues oblati, sed peracti die præcedente.

Contra tamen est, quia Altaris præcedentis diei, facta iam erat legitima, ac solemnis participatio: noua autem alterius diei solemnis participatio, nouum postulat Altare, & nouum Sacrificium illius diei. Vnde in Liturgia Parasceues, expressè dicitur: Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo *hodie*; quid est illud; *nostrum hodie?* Manifestum est ibi postulari à Deo, vt placeat Sacrificium non externum, quod consummatum iam est, sed hodiernum, quod tunc consummandum est, id quod vehementer confirmat consuetus ille ritus, quo Sacerdos versus populum ait, etiam illo die: Orate fratres, vt meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat: certè non iubet Sacerdos populum orare, vt acceptabile fiat Sacrificium peractum, sed quod peragitur.

XLVIII. *Communio Parasceues erat participatio sacrificij illius diei, non præcedentis.*

Sed age, afferamus in medium congruam aliquam rationem, cur noua Altaris participatio, nouam Sacrificij postulat oblationem, ea autem ex Altari ipso petenda est, quod Mensa Domini dicitur iuxtà illud Apostoli 1. Cor. 10. *Non potestis Mensæ Domini participes esse, & Mensæ Dæmoniorum*, vt idem sit participare de Altari, ac participare de Mensa Domini, sed quando quidem Altare est Mensa Domini, cedo mihi panem huius Mensæ, qui sit esca, & cibus Domini? Totum cibum Mensæ, panem appello more S. Scripturæ, quæ panem vocat omnem escam, & totum Conuiuium, etiamsi ex carnibus sit. Inquiro igitur panem Dei in terris, quandoquidem in terra quoque suam habet mensam Deus.

XLIX. *Noua participatio nouum postulat Altare.*

Certè in sacra Scriptura non alium cibum, & panem Dei inuenias nisi victimas Sacrificiorum. Hinc dicitur Leuit. 22. v. 25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro.* Panes, ait Cornelius, idest Sacrificia, quæ sunt quasi panis, idest cibus Dei; neque enim possunt hic intelligi panes Propositionis, quia eos

L. *Panis, & cibus Dei, victima Sacrificij.*

conficiebant Sacerdotes, non Laici, multo minus alienigenæ. Hinc quoque Septuaginta, passim Sacrificium vocant, Carpoma, idest fructus, quo scilicet vescitur, & fruitur Deus. Vnde, Olocarpoma, vocant holocaustum, eo quod totum cedat in fructum, & esum Dei. Nimirum voluit Deus, ait Cornelius, cuius deliciæ sunt esse cum Filiis hominum, hac ratione dignationem suam erga homines ostendere, exhibendo se iis tam familiarem, vt eandem cum ipsis habeat

LI. *Mensa communis nobis, & Deo.* Mensam, cibum, & panem. Atque hæc est ratio cur Deus, etiam tempore legis Naturæ, vt docet S. Chrysostomus, illa animalia quasi munda secreuerit ad sua Sacrificia, quæ postea tempore legis Mosis quasi munda populo suo secreuit ad cibum, & esum, prius ea fecit cibum suum, & postea populi sui, quasi assignando illis panem de Mensa oris suis, & sine dubio in Mysterium Eucharistiæ, cuius Mensa, & panis communis nobiscum, & Deo est, nobis vt Sacramentum, Deo vt Sacrificium.

Ex hoc infero, quod intendebam, nam quia præter conuiuium Feriæ quintæ, erat in more primitiuæ Ecclesiæ positum, vt nouum instrueretur conuiuium Feria sexta in Parasceue; Hinc fit, vt nouum deberet in eadem Parasceue offerri

LII. *Lex Conuiuij postulat vt inuitans sit conuiua.* Sacrificium Deo, alioquin non fuisset conuiuium, in quo Deus cum populo suo quasi comedere videretur, vt ipse quoque esset conuiua, sed ex mensa eius diei, sola conuiuaretur Ecclesia, vtique præter leges conuiuij. Hoc planè fuit vnum ex argumentis, quo ex doctrina S. Thomæ probat noster Valentia quæst. 9. Christum in Cœna corpus suum sumpsisse, ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur, vt ait S. Hieronymus in Epist. ad Heluidium quæst. 2. quia, inquit, non conueniebat in communi Cœna, & conuiuio, Christum, qui inuitarat, abstinere ab his rebus, quas conuiuis porrigeret. Cum ergo in actione etiam illius diei exhibeat Deus Ecclesiæ suæ Cœleste conuiuium, debet in illa eadem actione suum Deus panem gustare per Sacrificium, quem nobis porrigit in Sacramentum.

Ex his omnibus patet contra Henriquez plures esse actiones in officio Parasceues, quarum aliquæ sunt formaliter sacrificales, vt oblatio, fractio, consumptio; aliquæ sunt sacrificales arguitiuè, quia arguunt Sacrificium vt distributio, de qua modo differuimus. Parum ergo refert, quod Sacerdos illo die non facit

LIII. *Oratio Dominica propria sacrificij.* Memento, præsertim quod non omittit Orationem Dominicam, quæ ab initio nascentis Ecclesiæ fuit publici Oratio Sacrificij: quamuis enim ex Euangelistis habeamus tantùm Christum Dominum tradidisse fidelibus modum orandi Matth. 6. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, &c. nullo certo tempore assignato, in quo solemniter ea Oratio fieret à toto corpore Ecclesiæ. Tamen S. Hieronymus tom. 2. lib. 3. aduer. Pelagium scribit, Christum Dominum docuisse Apostolos, vt quotidie in Corporis eius Sacrificio credentes audeant loqui Pater noster. Quare quod Oratio Dominica velut propria Sacrificij vsurpata in Missa fuerit ab Apostolis ipsis, tanquam primis Diuina institutione formatis, fatentur omnes, & maximè S. Gregorius lib. 7. Epist. 63. vbi ait: Mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodo Orationem Dominicam oblationis hostiam consecrarent.

Parum itidem refert quod Sacerdos non dicat Orationes post communionem, cum præsertim loco huiusmodi Orationum, post consumptionem in persona omnium,

omnium, & tanquam os populi quod sacrificantis est proprium in medio Altaris inclinatus dicat. Quod ore sumpsimus Domine pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum; vbi vox illa *de munere* confirmat oblationem.

Denique ad id, quod ait, Sacerdotem sumere absque vlla dispensatione speciem tantùm panis, cum tamen ius Diuinum præscribat Sacrificium non fieri nisi sub duplici specie. Dicimus, ad Sacrificium sub vna tantum specie peragendum illo die non opus esse dispensatione, quia hoc habuit ab institutione, cum constet in illo die, nunquam aliter factum ab Ecclesia vniuersali. Quod autem vniuersa tenet Ecclesia, ait Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 24. nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Et sanè cum ex vna parte sciamus ex ordine Romano antiquo celebrationem Mysterij Parasceues in vsu vniuersali fuisse ab annis plus mille, & ex altera nesciamus, quando, & vnde ea incœperit, debemus ex grauitate materiæ eius institutionem manasse immediatè à Christo. Quamuis enim Gauantus par. 4. tit. 9. referat ex sancto Chrysostomo Homil. 1. de Cruce, & Latrone, institutorem Feriæ Parasceues fuisse Apostolum Paulum; hoc non est intelligendum quasi ipse primus Author fuerit, sed quod eam institutionem à Domino acceptam fortasse ipse primus tradiderit iuxtà sensum illorum verborum eiusdem Apostoli 1. Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; neque S. Chrysostomus in citata illa Homilia aliud dicit, nisi Paulum Apostolum festiuitatem illius diei celebrari præcepisse. Neque verò est vniuersaliter concedendum omnia ad ritum huius mysterij pertinentia, quæ in Scriptura Sacra non continentur esse ab Ecclesia instituta, & non immediatè à Christo, nam aliqua potuerunt Apostoli ab ipsius Christi ore accipere, & Ecclesiæ tradere, etiamsi scripta non sint, vt docet S. Thomas quæst. 64. art. 2. ad 1. Et sanè si indagare velimus materiam illorum sermonum, quos cum primis illis Noui Testamenti Sacerdotibus, & Episcopis habuit Christus ipse, Summus Ecclesiæ, & Mundi Pontifex, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*. Act. 1. Hæc sine dubio fuit materia potissima, cum enim cum illis ageret de Regno Dei in terra formando, quod est Ecclesia, merito ait Cornelius tenendum est per eos dies docuisse Ministros suos, materias, & formas, ritusque singulorum Sacramentorum, & Ordinum, quas in Scriptura nusquam expressit, & Eucharistiam esse præterea Sacrificium pro viuis, & defunctis quotidie Deo offerendum, aliasque traditiones Apostolicas, quas ab illo acceptas Apostoli Ecclesiæ, & posteris, ac posteri suis successoribus per manus continuè per singula sæcula vsque ad nos tradiderunt. Hæc ille.

LIV. *Ritus sic celebrandi in Parasceue ex Christi institutione.*

LV. *Institutor Feriæ Parasceues.*

LVI. *Materia sermonum Christi.*

At Innocentius dicit Ecclesiam eo die Sacramenta penitus non celebrare, cuius Mysterij figura affertur à Rabano lib. de Instit. Cleric. cap. 87. Nam in lege veteri, eo die, quo semel in anno Summus Sacerdos intrabat in Sancta Sanctorum, alij Sacerdotes non sacrificabant.

Respondeo. Innocentij verba intelligenda esse, vt sonant, pro consecratione videlicet Sacramenti, non pro oblatione Sacrificij; nam quod actio illius diei nouum, ac verum sit Sacrificium Corporis præconsecrati, constat manifestè ex verbis Ecclesiæ, quæ super oblata solemni ritu offert, & sic oblata consumit.

omnia alia Sacrificia; alter Vespere vltimo loco post omnia alia Sacrificia; sed ita Sacrificia illa disponerentur, vt nulla hora vacaret Sacrificio. Rem dico non vulgarem, fundatam tamen. Etenim Leuit. 6. vbi agitur de Sacrificio Agni vespertino hæc habentur verba legis. *Cremabitur in Altari tota nocte vsque mane.* Super quem locum noster Cornelius: cremabitur, inquit, scilicet vespertinum iuge holocaustum, ideoque necesse erat holocausti huius partes successiuè imponi Altari, vt Sacrificium duraret à Vespere vsque mane; Hebraïcè enim est, *Hoc holocaustum erit in adustione super Altare tota nocte:* quare necesse erat Sacerdotem in Tabernaculo vigilare tota nocte, qui hasce holocausti partes vicissim poneret, & disponeret in Altari, vt sic seorsim tota nocte cremaretur, idque ad hoc, vt hac ratione iugiter hisce Sacrificiis, tàm die, quàm nocte tota coleretur, & honoraretur Deus, idque vocatum est iuge Sacrificium. Et mox. Quin & nonnulli quod hic dicitur de iugi Sacrificio vespertino, à pari, vel simili intelligunt de Matutino, vt similiter tota die lento igne cremetur vsque ad tempus Sacrificij vespertini, nisi scilicet alia holocausta iugi matutino succederent; tunc enim in victimis sibi succedentibus lento igne crematis, totum diem vsque ad tempus Sacrificij vespertini occupabat. Id quod insinuant Septuaginta Interpretes, qui iuge Sacrificium Exodi 29. vocant *oblationem assiduitatis*, siue *continuationis*, quæ assiduè, & continuè Deo adoleretur. Idque congruum videtur, nimirum, vt tota die, ac nocte Altare fumaret, & Sacrificium euaporaret, quo scilicet perenni eius crematione, & suffitu coleretur Summa Dei Maiestas, semper à nobis adoranda, perpetuisque Victimis honoranda. Sed de hac re fusius in Tractatibus Scripturalibus.

Maneat ergo Sacrificium Ecclesiæ esse planè quotidianum, & iuge, neque in causa audiatur Henriquez lib. 9. cap. 9. vbi ait, vnius diei defectus pro nihilo reputatur. Si enim, vt Alexander Papa Secundus, ait in cap. suff. de Consecr. dist. 1. Non modica res est vnam Missam facere. Qua ratione pro nihilo reputandus est vnius diei defectus, in quo Ecclesia totaliter careat Sacrificio suo? Sed quanta esset vnius diei iactura ex totali defectu Sacrificij, constabit plenius, cum agemus de necessitate, valore, & fructibus huius Sacrificij.

Interim, quod reliquum est, ad vulgatum illud Ruperti effatum respondemus: *Non sacrificent amici, dum trucidant inimici.* Dicimus Rupertum nullo modo agere de nostra controuersia, sed tantùm indagare rationem cur in actione illius diei, summo cum Ecclesiæ mœrore nullus cantus adhibeatur. Legatur totum caput secundum, & tertium illius libri sexti de Diuin. Offic. Titulus secundi capitis est; Cur hac die Missa *non cantetur.* Respondet autem sub finem: Igitur nostræ conscientiæ culpæ, gaudium nostrum reuerberat, vt non exultemus hac die, quia vulnera illa, nostra fecerunt crimina, quia contumaces serui commisimus, quod vapulat ille omnium Dominus, quia quæ ille exoluit, nos rapuimus. Deinde ex Domini dictis accepimus, vt hac die gaudere Iudæis relinquamus, & nos contristemur. Deinde capite tertio. Differendum est, inquit, gaudium vsque ad diem tertium, hac interim die tristitia regnet, Feria Dominicæ Passionis nostram pertranseat animam, claui manuum, ac pedum eius, carnem nostram configant, Crux eius nostram suspendat concupiscentiam, compatiamur, vt conregnemus. Hodie non sacrificemus, dum nobis hostia tollitur de manibus,

non sacrificent amici dum trucidant inimici. Quamdiu torcular calcat solus, tamdiu nos, idest à mane vsque ad horam nonam iuge, & profundum teneamus silentium,&c. Hæc omnia, vt ex toto contextu perspicuum est, eò tantùm collineant, vt constet causa mœroris officij illius diei, de quo non quæritur à Ruperto, Cur in eo non sit Missa, sed cur non cantetur: Cæterum dum impiè trucidant inimici, par est, vt amici piè sacrificent Diuinam hostiam, & Deo offerant; propterea est in manibus nostris, etiam in illo die sub specie panis, quamuis sub propria specie repræsentetur, vt sublata manibus Iudæorum, & vt docet Magnus Albertus, idcirco pridie illius diei hostia, seu victima conficitur, & seruatur, vt illo die offeratur, & immoletur.



QVÆSTIO QVINTA.

In qua actione consistat ratio, & essentia Sacrosancti Missæ Sacrificij.

I.	*Consistit in oblatione.*
II.	*Missa est Antitypon Sacrificij Crucis.*
III.	*Antitypon quid significet.*
IV.	*Necessitas consecrationis sub duplici specie.*
V.	*Viua, & expressa imago Passionis in duplici specie consecrata.*
VI.	*Omnia Sacramenta sunt commemoratiua Passionis Christi.*
VII.	*Sola Missa est imago simul, & imitatio Sacrificij Crucis.*
VIII.	*Quæ generatim dicendæ sunt partes Missæ.*
IX.	*Omnes omnino actiones Missæ, partes sunt illam integrantes.*
X.	*In Sacrificio nihil addendum, nihil minuendum.*
XI.	*Integritas Corporis Missæ.*
XII.	*Eius Antiquitas, & Sanctitas.*
XIII.	*Indicatur ab inimicis.*
XIV.	*Nulla pars determinatè est de essentia Sacrificij.*
XV.	*In quo sensu consecratio pertinet ad hanc essentiam.*
XVI.	*Consecratio, & Sacrificatio sunt actiones distinctæ, & separabiles.*
XVII.	*An Corpus Christi seruatum in Pyxide dicendum sit Sacrificium.*



ENVMERAVIMVS initio huius Libri quinque ferè actiones, de quibus ambigitur, An, & quomodo in illis reperiatur essentia, & ratio Sacrificij. Vt autem hoc Iudicium feramus, necesse est certo statuere, in quo consistat ratio, & essentia Sacrificij Missæ.

I. *Consistit in Oblatione.*

Dicimus ergo primo Sacrificium Missæ consistere in oblatione corporis, & sanguinis terminata ad ipsorum consumptionem.

Sumitur hæc aſſertio ex Tridentino Seſſ. 22. cap. 2. & probatur à nobis hoc modo. In eo ponitur eſſentia Sacrificij Miſſæ, in quo ponitur eſſentia Sacrificij Crucis, ſalua tantum diuerſitate in ratione cruenti, vel incruenti; ſed Sacrificium Crucis ponitur in oblatione corporis, & ſanguinis, terminata ad realem deſtructionem; ergo eſſentia Sacrificij Miſſæ ponitur in oblatione corporis, & ſanguinis terminata quoque ad realem conſumptionem; illo tantùm obſeruato diſcrimine, vt dixi, quod quia Sacrificium Crucis oblatum fuit ſub forma, & ſpecie viuentis, neceſſario illius conſumptio fuit cruenta, quia verò Sacrificium hoc offertur ſub forma, & ſpecie non viuentis, ideo neceſſario illius conſumptio eſt incruenta.

Propoſitio huius argumenti certiſſima eſt, debet tamen hoc loco probari, & explicari, vt autem vulgatiores probationes omittamus, probamus illam hoc modo. Sacrificium Miſſæ ex antiquis Patribus eſt Antitypon Sacrificij Crucis; ergo in eo ponitur eſſentia Sacrificij Miſſæ, in quo ponitur eſſentia Sacrificij Crucis. II. *Miſſa eſt Antitypon Sacrificij Crucis.*

Antecedens eſt Antiquorum Patrum, Dionyſij cap. 3. Eccleſiaſt. Hierarch. Nazianzeni Orat. in Gorgonium, Baſilij in ſua Liturgia, Theodoreti in 1. Dialogo, Macharij Ægyptij Homil. 27. & aliorum.

Conſequentia probatur ex germana notione huius vocis iuxtà ſenſum Apoſtoli ad Hebræos 9. & iuxtà acceptionem omnium eruditorum, quam ſequutus eſt Bellarminus in libris de Sacramentis. Eſt ergo Antitypon imago illa, quæ è regione reſpondet exemplari, & ita illud imitatur, ac refert, vt ferè cum eo contendere videatur. Sic accipit hanc vocem Nazianzenus in 2. Orat. de Paſcha, vbi noctem Paſchalem ob infinitam ardentium cereorum multitudinem, quibus illuminabatur vocat Antitypam Firmamenti Cœleſtis, vbi infinita ſtellarum lumina conſpiciuntur. Sic etiam apud Hebræos, cœnæ nuptiales habebantur tanquam Antitypæ Cœli Empyrei, quod ſic dictum eſt à ſplendore; erant enim illorum Cœnacula maximè illuminata, in quibus nuptialia celebrabantur conuiuia ad multam noctem, quod in more aliarum etiam gentium poſitum legimus, vnde illud III. *Antitypon; quid ſignificet.*

pendent Lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.

Sicut autem Cœnacula à copioſa luce erant empyrea, ita extrà Cœnacula tenebræ erant, quò alludens Chriſtus Dominus Matth. 8. ait: *Dico autem vobis quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in Regno Cœlorum, Filij autem Regni ejicientur in tenebras exteriores.* Vocantur tenebræ exteriores ait noſter Cornelius, quia extrà Conuiuij locum ſitæ, & vno verbo, quia foras erant, vt eſt apud Luc. 13. vt ſicut nuptiale Cœnaculum Antitypum erat Empyrei, ita exteriores tenebræ Antitypæ eſſent Inferni, & noctis æternæ damnationis, vt loquitur S. Gregorius.

Significat ergo Antitypon imaginem alteri planè ſimillimam, vt non tam imago, quàm res ipſa videatur. Quomodo ait Bellarminus valde propriè vocatur Antitypon, Imago, quæ reſultat in Speculo dum quis in illud intuetur: etenim ea imago ita ad viuum repræſentat, vt cum ipſo homine de forma ipſius hominis certare videatur. Hinc, vt ad rem noſtram accedamus, optimè explicant Doctores quidam repræſentationem Sacrificij Crucis in noſtro, exemplo Regis,

qui cruento bello confecto, idem ipsum bellum, ad oblectandum populo, in Scena repræsentari vellet incruentè, & cum posset in locum Regis, vnus aliquis personam Regiam induere; vellet tamen ipse idem Rex, qui verè pugnauerat, in scena se ipsum repræsentare. Hoc exemplum, rem nostram planè declarat, quia verè huiusmodi Rex esset ipse Antitypon sui ipsius, qua ratione Christus passus dicitur esse à Patribus in Sacrificio Missæ incruento, tanquam in Antitypo Sacrificij Crucis.

Hac igitur posita notione, probamus facile nostram consequentiam; quia in tantum Patres vocant Sacrificium nostrum Antitypon Sacrificij Crucis, in quantum in eo positum esse sentiunt Sacrificium nostrum, in quo positum fuit Sacrificium Crucis: Antitypa enim non dicuntur quælibet figuræ, sed illæ tantùm, quæ nihil ferè differunt à veritate.

Probanda nunc est assumptio, in qua dicebamus propriam rationem, & essentiam Sacrificij Crucis positam esse in oblatione corporis, & sanguinis terminata ad destructionem. Verum hæc fusè à nobis in superioribus explicata, & confirmata est, Aduersariis planè consentientibus; vnum addam, Christum Dominum non solum oblationem fecisse sui corporis, vt morituri, verum etiam quasi peculiarem, & distinctam sui sanguinis, vt effundendi. Hinc si quæratur, cur ex Diuina institutione factum sit, vt de integritate essentiali Sacrificij commemoratiui, sit oblatio corporis, & sanguinis sub duplici separata specie panis, & calicis. Non vlla, aut vniuersalior, aut plenior redditur ratio, nisi quia hoc Sacrificium de iure Diuino institutum est, vt sit Antitypon Passionis, & mortis Christi. Dixi, si quæratur, cur ad integritatem Sacrificij vtraque species necessaria sit; nam cur vtraque itidem species requiratur ad confectionem Eucharistiæ, non vt Sacrificium, sed vt Sacramentum est, afferri meritò solet illa alia ratio, quia Sacramentum institutum est ad refectionem spiritualem instar Conuiuij, quod duobus constat, nempe cibo, & potu; vnde fit, vt ex sua institutione postulet, vt vtraque species, quarum altera cibum, altera potum denotet, consecretur, & sic integrum conuiuium præparetur. Cæterum stando in ratione Sacrificij, non alia vt dixi affertur ratio præter illam de commemoratione Passionis, & mortis Christi.

IV. *Necessitas consecrationis sub duplici specie.*

Hanc affert Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. Vt relinqueret, inquit, Sacrificium, *quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, eiusque memoria in finem vsque sæculi permaneret corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, &c.* Vides ex verbis Concilij finem institutionis sub tali ritu, præcipuum fuisse commemorationem duplicis oblationis, corporis, & sanguinis Domini.

V. *Viua, & expressa imago Passionis in duplici specie consecrata.*

Hanc etiam omnes ferè Doctores Scholastici defendunt, qui toti sunt in declarando, qua ratione viua, & expressa imago Passionis Domini non habetur nisi in oblatione vtriusque speciei, vnde inferunt, vtramque speciem esse de integritate substantiali, & essentiali huius Sacrificij, quia sicut non habetur viua, & expressa imago occisionis, & necis in vnica tantùm specie consecrata, ita facta consecratione corporis, & sanguinis tali ritu sub duplici illa specie separatà habetur viua, & expressa imago illius, quia nulla magis expressa, aut humanæ necis, aut victimæ iam mutatæ imago depingi potest, quàm si vno in loco corpus, vt

mortuum, in altero ſeparatim totum ſanguinem, vt effuſum exponas. Sola autem ſpecies panis non repræſentat exactè Chriſtum vt mortuum, niſi ab altera conſpiciatur ſanguis, vt effuſus, & ſimiliter ſola ſpecies vini non repræſentat ſufficienter Chriſtum, vt immolatum, non enim ſolus ſanguis eſt Victima, ſeu Agnus tanquam occiſus.

Atque hoc loco animaduertendum maximè eſt, non quamcumque ſignificationem, & commemorationem Paſſionis eſſe propriam huius Sacrificij: nam eſſe ſignificatiuum, & commemoratiuum Paſſionis, & mortis Chriſti, eſt quid, etiam commune omnibus Sacramentis nouæ legis, vt enim docet S. Thomas par. 3. quæſt. 60. art. 3. Omne Sacramentum eſt ſignum rememoratiuum, demonſtratiuum, & prognoſticum, & quidem rememoratiuum eius, quod præceſſit, ſcilicet Paſſionis Chriſti, & demonſtratiuum eius, quod in nobis efficitur per Chriſti Paſſionem, ſcilicet gratiæ, & prognoſticum, id eſt prænuntiatiuum futuræ gloriæ. Exemplum ſit in Baptiſmo, & in Euchariſtia ipſa, vt Sacramentum eſt. De Baptiſmo ait Apoſtolus Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus.* De Euchariſtia idem Apoſt. 1. ad Cor. 11. *Quotieſcumque manducamus panem hunc, mortem Domini annuntiamus.* Id quod de reliquis omnibus Sacramentis communiter Theologi affirmant, diſtinguentes triplicem rem ſacram, quam Sacramenta ſignificant, gratiam iuſtificantem, quæ vt præſens demonſtratur, Paſſionem Chriſti, quæ eſt cauſa gratiæ, & vt præterita commemoratur, & vitam æternam, quæ eſt effectus gratiæ, & vt futura præfiguratur. Commune igitur eſt omnibus Sacramentis eſſe commemoratiua Paſſionis Chriſti, in quo igitur conſiſtit peculiaris ratio imaginis, & ſigni Antitypi, quod eſt proprium huius Sacrificij? VI. *Omnia Sacramenta ſunt cõmemoratiua Paſſionis Chriſti.*

Dicendum eſt conſiſtere in expreſſa quadam repræſentatione, & quod non conuenit Sacramentis in reali, & viua imitatione, & exercitio duplicis oblationis cruentæ, quod non obſcurè ſignificauit Trident. loco citato, vbi dicitur, vt relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis, Apoſtolis, vt offerrent, præcepit. Obſerua illud, *vt Sacrificium Crucis repræſentaretur*, obtulit corpus, & ſanguinem ſuum in duplici ſpecie ſeparata, & vt ſic offerrent præcepit, quaſi diceret, vt relinqueret Sacrificium in Eccleſia, quod eſſet imitatiua imago, & Antitypon planè viuum Sacrificij Crucis, in illa duplici oblatione illud inſtituit, in qua Sacrificium Crucis perfectum eſt. VII. *Sola Miſſa eſt imago ſimul, & imitatio Sacrificij Crucis.*

Ex his ferri facile iudicium poteſt de partibus, & actionibus Miſſæ. Et quidem illud in vniuerſum negari non poteſt, omnes actiones, in quibus inuenitur ratio huiuſmodi oblationis ſacrificalis, omnes pertinere ad integritatem huius Sacrificij tanquam membra alicuius corporis moralis. Eſt autem philoſophandum de hoc toto morali, quod eſt Miſſa, quemadmodum philoſophamur de toto aliquo phyſico, ſiue homogeneum illud ſit, ſiue heterogeneum, illæ dicuntur partes integrantes totum aliquod phyſicum, in quibus aliquo modo inueniuntur participatio naturæ, & eſſentiæ illius totius. Sic illæ dicuntur propriè partes integrantes hominis, in quibus eſt forma ſubſtantialis hominis, & illæ dicuntur partes integrantes aquæ, in quibus eſt forma, & natura aquæ. Cum ergo ſtatutum VIII. *Quæ generatim dicenda ſunt partes Miſſæ.*

ſit, rationem, & eſſentiam Sacrificij Miſſæ conſiſtere in tali ſpecie oblationis illæ dicendæ ſunt partes integrantes Sacrificium Miſſæ, quæ integrant hanc ſpecie oblationem. Atque adeo, quæ participant de natura, & eſſentia huius oblationis.

IX. *Omnes omnino actiones Miſſæ partes ſunt illiā integrantes.* Hinc primo colligimus nullam eſſe actionem in tota noſtra Liturgia, quæ ad Sacroſancti Miſſæ Sacrificij integritatem aliquam non pertineat, ratio eſt, quia verè in qualibet illius actione eſt aliqua participatio ſacrificalis. Argumento non leui eſt, obligatio, quæ tum in Sacerdote celebrante, tum in populo aſſiſtente conſurgit ex Eccleſiæ præcepto Sacrificium offerendi, quod enim grauiores docent Theologi, nulla Miſſæ particula vel minima, aut à Sacerdote celebrante, aut à populo ex præcepto aſſiſtente ſine aliqua culpa omitti poteſt: Cuius rei vix alia ratio aſſignatur præter perfectionem huiuſmodi corporis moralis, quod omnium planè partium ſuarum poſtulat integritatem. Et quidem loquendo de Sacerdote hanc rationem tangit P. Suarez diſp. 83. Sect. 3. Cum enim, inquit, totum Miſſæ officium ſit actio ſacra, moraliter vna, miro, ac religioſo artificio ex variis partibus compoſita, hinc eſt, vt illam mutilare, per ſe loquendo, indecens ſit, & irreligioſum; quare fieri non poteſt, vt ſine aliqua culpa, vel minima illius actio omittatur. Omnes ergo actiones ad illius pertinent integritatem, quæ integritas non ſolum rectè probatur ex obligatione nihil minuendi, ſed etiam ex obligatione nihil addendi, & quidem ſub ſtrictiori, ac ſeueriore præcepto, quàm nihil minuendi, quapropter vt ſentiunt Syluester quæſt. 2. & 3. Soto diſt. 13. quæſt. 2. art. 4. In hoc genere peccandi facillimè erit culpa grauis, ſi materia ſit alicuius momenti, id quod non ſolum intelligit P. Suarez de iis, quæ publicè, & elatâ voce dicuntur, verum etiam de iis, quæ recitantur ſecreto. Quia indecens, inquit, per ſe eſt publicum officium, & miniſterium, priuatis officiis, aut precibus omnino ab illo diſtinctis interrumpere.

X. *In ſacrificio nihil addendum nihil minuendum.*

Loquendo verò de populo ex præcepto aſſiſtente, diſertè docet idem P. Suarez diſp. 88. Sect. 2. non poſſe fideles ſine legitima, atque excuſante cauſa, omittere aliquam partem Miſſæ, etiam minimam ſine culpa, quia vel in toto, vel in parte non adimplebunt hoc præceptum de Miſſa integrè audienda, idque confirmat duplici paritate, tum Officij Canonici, cuius nulla pars omitti voluntariè poteſt ab habente obligationem illud recitandi, quia tenetur officium illud integrum dicere, tum Ieiunij Eccleſiaſtici, ad cuius integritatem ſeruandam, nihil omnino comedi poteſt extrà tempus præſcriptum, ſine culpa, ſecluſa rationabili cauſa excuſante pro ratione materiæ, quia illo præcepto ſimpliciter prohibetur cibus. ſimiliter, inquit, in præcepto audiendi Miſſam, licet affirmatiuum ſit, tamen ob integritatem, quam præcipit, includit negatiuum, ſcilicet, vt nihil de tota Miſſa omittatur. Eſt igitur vera illa noſtra propoſitio nullam eſſe actionem in tota Liturgia, quæ ad Sacroſancti Miſſæ Sacrificij integritatem aliquam non pertineat.

XI. *Integritas corporis Miſſæ.* Colligimus ſecundo, quod quamuis omnes Miſſæ actiones, ſiue quæ in verbis, ſiue quæ in rebus poſitæ ſunt, faciant ad integritatem oblationis ſacrificalis, non tamen eodem modo pertinent omnes, quia integritas corporis cuiuſcumque, ſiue naturalis, ſiue moralis, non ſimplex, ſed multiplex eſt. Eſt enim integritas, quæ dicitur eſſentialis, eſt integritas ſubſtantialis, & eſt integritas accidentalis; non autem eodem modo neceſſariæ ſunt corpori omnes huiuſmodi partes, niſi dicas

æquè

æquè necessarias esse homini manus, atque capillos, aut non plus his omnibus opus habere illum forma animæ rationalis.

Porrò corpus hoc Missæ ex legitima institutione factum est procedenti tempore maius, ad eum ferè modum, quo corpus naturale suscipit augumentum ex naturali actione agentis, quod enim est actio agentis circa corpus naturale, hoc est institutio Legislatoris circa corpus morale. Sicut autem cum corpus naturale crescit, informatur eadem forma essentiali totius, ita cum crescit corpus morale. Quare tota essentia, quæ erat in Missa tempore Apostolorum in corpore paruo, nimirum oblatio Corporis, & Sanguinis Domini sub Symbolis panis, & vini, terminata ad consumptionem, eadem est nunc in corpore grandiori, hoc est plures partes habente, tum substantiales, tum accidentales. Ac de accidentalibus quidem nihil in particulari disputandum occurrit. Substantiales verò illæ censentur, in quibus nobiliores, & expressiores operationes habet forma ipsa essentialis Sacrificij, cuiusmodi ferè sunt quinque illæ, quas initio huius libri enumerauimus, videlicet, *Oblatio* panis, & vini transubstantiationem præcedens, *Consecratio* in quantum induit rationem oblationis. *Oblatio*, quæ sequitur consecrationem. *Fractio* Sacramenti, quatenus ipsa quoque participat de oblatione destructiua licet non vltimata. *Sumptio*, denique quatenus est vltimata totius vniuersalis oblationis consummatio.

Omnes hæ actiones pertinent ad integritatem substantialem Sacrificij, quia in his omnibus oblatio sacrificalis principaliter exercetur, vnde principaliter omnes integrant vnam totalem oblationem sacrificalem, quæ tanta substantialiter est, quanta ponitur esse ab instituente, nam vt paulo ante monuimus, sicut quantitas corporis naturalis pendet ab Agente, ita quantitas corporis moralis pendet ab Instituente.

Porrò magnitudo hæc sacrificalis oblationis ab ipso instituente Christo peculiari modo deriuatur, reperitur enim quoad omnes has quinque partes in antiquissimis Liturgiis, tum Græcis, tum Latinis, quæ vt ait Bellarminus lib. 1. cap. 27. sine dubio ab Apostolis originem ducunt; nam & si Apostoli, initio solam Orationem Dominicam addidisse dicantur, tamen postea iidem ordinauerunt ritum celebrandi, & multa alia addiderunt, vt ex Liturgia Iacobi Apostoli intelligi potest. Item ex Liturgia S. Clementis, cuius meminerunt Proclus Patriarcha Constantinopolitanus lib. 7. de Tradit. Diuinæ Missæ, & Nicolaus Episcopus Methonensis in lib. de Veritate Corporis Christi, & Bessarion Cardinalis in lib. de Sacramento Eucharistiæ: credibile autem est, ait Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, Clementem non ex proprio iudicio, sed ex ritu, quem obseruari viderat à S. Petro, Liturgiam composuisse, quemadmodum, & ipse S. Petrus nihil aliud faciebat in offerendo Sacrificio Eucharistico, nisi quod ipse Dominus fieri iusserat. Scio vtramque Liturgiam tum Iacobi, tum Clementis ita à posterioribus locupletatam fuisse, vt non sit facile dijudicare ex ipsis, quænam earum partes, tantos habeant Authores. Verum hoc depræhendi non obscurè potest ex aliis antiquis Liturgiis, vt Basilij, & Chrysostomi, in quibus illæ partes religiosissimè seruatæ, & custoditæ cernuntur. Et ex lib. 5. & 6. de Sacramentis, Ambrosij, & ex Catechesi 4. & 5. Mystagogica Cyrilli Hierosolymitani, qui enumeratas partes exponunt; denique ex facto Lutheri ipsius,

XII. *Eius antiquitas & sanctitas.*

XIII. *Indicatur ab inimicis.*

qui in libro de Miſſa priuata, & vnctione Sacerdotum, confitetur ſe à Diabolo edoctum, & perſuaſum, Miſſam eſſe ſummam abominationem, idque non per ſomnium, & quietem, ſed palam dum vigilaret. Is igitur à Diabolo edoctus, in libro de Formula Miſſæ, omnes illas quinque ſubſtulit partes cum Canone noſtro vniuerſo, qui verbis non multum mutatis, totus ferme inuenitur in antiquiſſimis illis Liturgiis. Quod Lutheri, ſeu potius Diaboli factum, argumento mihi eſt non leui, totum fermè ſacrum Canonem à Christo per Apoſtolos deriuatum fuiſſe, vt mirandum non ſit, ſi idem Lutherus in ſua confeſſione dicat: ſupra omnes abominationes habere ſe ſacrum Canonem, & nihil magis dolere, quàm quod per annos quindecim illum recitauerit more Catholicorum.

XIV. *Nulla pars determinatè eſt de eſſentia Sacrificij.*

Colligo tertio. Nullam ex his partibus *determinatè* eſſe eſſentialem Sacrificio, omnes autem dici poſſe eſſentiales *indeterminatè* ad eum ferè modum, quo Dialectici aiunt, nullam Nauim determinatè eſſe neceſſariam ad nauigandum, omnes autem eſſe neceſſarias indeterminatè, ſiue hæc, ſiue illa, quia verè nauis eſt neceſſaria ad nauigandum; ratio eſt quia quacumque ex illis partibus integrantibus determinatè ſublata, ſiue omiſſa, manet ſemper eſſentia huius Sacrificij, quia manet ſemper ſacrificalis oblatio terminata ad conſumptionem, ſiue in hac parte, ſiue in illa. Sic etiam Philoſophi dicunt ad conſtituendum hunc numero locum ſecundum eſſe reale, neceſſariam eſſe aliquam ſuperficiem, nullam tamen requiri ſuperficiem determinatam etiam ad hunc numero locum conſtituendum. Quo exemplo quidam Theologi cum Nugno explicant, cur nulla ex commemoratis quinque actionibus ſit determinatè de eſſentia Sacrificij, & tamen ſingulæ per ſe aptæ ſint conſtituere eſſentiam huius Sacrificij, quia inquiunt, ſicut locus formaliter loquendo, etiam ad vnitatem indiuidualem ſolum requirit, quod ſit ſuperficies inæquali diſtantia in ordine ad omnes partes vniuerſi, ita ſimiliter hoc Sacrificium etiam ad vnitatem indiuidualem ſolum requirit, quod ſit aliqua ex illis quinque actionibus, in quibus ſaluatur tota eſſentia Sacrificij.

XV. *In quo ſenſu conſecratio pertinet ad hanc eſſentiam.*


Colligo quarto. In quo ſenſu ab antiquis authoribus dicatur conſecratio pertinere ad eſſentiam huius Sacrificij, certum eſt ad illum pertinere, & quidem eſſentialiter, quia Sacrificium hoc, eſt oblatio Corporis, & Sanguinis Domini, non vtcumque, ſed ſub ſpeciebus, ac Symbolis Sacramentalibus; hoc autem eſſe ſub ſpeciebus, ac Symbolis accipit Chriſtus per conſecrationem; ergo conſecratio pertinet eſſentialiter ad hoc Sacrificium, ita vt ordo tranſcendentalis ad illam ſit de eſſentia huius Sacrificij. Cæterum ex hoc non ſequitur, ſacrificationem ipſam conſiſtere in conſecratione, ſicut ex hoc quod Sacrificium Crucis ſit eſſentialiter oblatio Victimæ, quæ ſit homo Deus, non ſequitur ſacrificationem ipſam factam in Cruce conſiſtere in vnione hypoſtatica, per quam victima facta eſt homo Deus; ſicut ergo per vnionem hypoſtaticam acquiritur hoc, quod eſt, Deum eſſe hominem, quod poſtea offertur in Sacrificio cruento, ita per conſecrationem acquiritur hoc, quod eſt, corpus Hominis Dei eſſe panem cœleſtem, qui poſtea offertur in Sacrificio incruento. Sunt ergo conſecratio, & ſacrificatio duæ actiones realiter diſtinctæ, ita tamen, vt ſacrificatio dicat ordinem eſſentialem ad conſecrationem, ſicut aliquis actus, vt eſt actus imperij dicit intrinſecum ordinem ad actum voluntatis aliqua prioritate antecedentem, ſiue temporis, ſiue naturæ.

Atque hinc colligitur non absurde dictum à Scoto in 4. dist. 13. quæst. 2. consecrationem, & oblationem per se separabiles esse; ait enim, oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessario requiritur, quod offeratur: offertur enim hostia non consecrata, & tunc est Sacrificium, non Sacramentum, sicut Eucharistha consecrata conseruata in Pyxide, est Sacramentum, licet non, vt ibi, sit Sacrificium, nisi *aptitudinaliter*. Ex quibus verbis habes quatuor in sententia Scoti. Primum, quod alia est formalitas, immò & realitas consecrationis, alia oblationis. Oblatio, inquit, non pertinet ad rationem consecrationis, quare non propterea, inquit, quod Schismaticus non posset offerre, sequitur, quod non posset consecrare. Secundum, quod consecratio, & oblatio separabiles sunt. Vnde ait nec necessario requiritur quod offeratur. Tertium dari verum Sacrificium inchoatum ante consecrationem, vnde ait: offertur Hostia non consecrata, & tunc est Sacrificium, non Sacramentum. Quartum ex Eucharistia in Pyxide conseruata fieri posse Sacrificium. Dicit enim, quod ibi non est Sacrificium, nisi aptitudinaliter; quæ doctrina maximè fauet Sacrificio, quod offertur in die Parasceues. Hostia enim pridie consecrata, & custodita donec in actione diei Parasceues offeratur, dici potest Sacrificium aptitudinaliter, quod actu immolatur per oblationem, & per Sacerdotalem sumptionem consummatur. XVI. *Consecratio & sacrificatio sunt actiones distinctæ, & separabiles.*

Neque hic inobseruatum omittam, quod quamuis P. Suarez accerrimè pugnet pro sententia docente totam essentiam Sacrificij esse positam in consecratione, tamen pluribus in locis multa spargit, quæ fauent sententiæ Scoti, & præcipuè disput. 75. Sect. 6. conclus. 3. vbi ait: realis sacrificatio non potest consistere in mera significatione, qualis intelligi potest in speciebus panis, & vini in Pyxide consecratis, tum quia Sacrificium propriè consistit in actione, propter quod species, quæ conseruantur consecratæ, non tamdiu sunt Sacrificium, quamdiu conseruantur, etiamsi ambæ species conseruentur; *quia non toto illo tempore offeruntur, cum tamen Sacrificium consistat in oblatione ipsa:* tum etiam, quia Sacrificium cruentum Christi positum fuit in ipsa actuali oblatione Passionis, quam, vt sic repræsentare debet hoc Sacrificium: species autem prius consecratæ, & conseruatæ non repræsentant hoc modo actualem Passionem licet repræsentent Christum passum, aut mortuum; ergo vt sic, non sunt Sacrificium. Hæc ille. XVII. *An Corpus Christi seruatum in Pyxide dicendum sit Sacrificium.*

Ex qua doctrina, quæ vera est, duas propositiones assumo, & duo contra authorem conficio argumenta pro nostra sententia; ac primum quidem hoc modo. Species, quæ conseruantur consecratæ, non tamdiu sunt Sacrificium, quamdiu conseruantur, quia non toto illo tempore, quo conseruantur, offeruntur, vt de facto sunt Sacrificium toto tempore, quo durat Missæ celebratio, donec per sumptionem consummentur; ergo consecratio, vt ab oblatione distinguitur, præsupponitur ad Sacrificium & non in consecratione simpliciter, sed in oblatione rei iam consecratæ formaliter consistit. Quare si fiat legitima oblatio Victimæ consecratæ, vt verè fit in die Parasceues, fiet etiam verissimum Sacrificium. Altera propositio est, Sacrificium cruentum Christi positum fuit in ipsa actuali oblatione Passionis, quam vt sic repræsentare debet hoc Sacrificium: quam propositionem superius assumpsimus, vt fundamentum nostræ doctrinæ;

ex illa enim planè ſequitur Sacrificium noſtrum poſitum formaliter eſſe non in conſecratione rei offerendæ, ſed in oblatione rei conſecratæ. In illa enim actione conſiſtit formaliter, in qua poſitum fuit Sacrificium cruentum Chriſti: Sacrificium autem cruentum Chriſti poſitum fuit in actuali oblatione Summi Sacerdotis noſtri habente pro termino Paſſionem, & mortem. Vnde ſuperius inculimus diſcrimen quoad hoc inter Euchariſtiam qua Sacramentum eſt, & qua Sacrificium eſt. Licet enim, quà Sacramentum eſt, ſignificet etiam Sacrificium Crucis, tamen non eſt illius viua imago, quia non eſt illius imitatio: At Euchariſtia quà Sacrificium eſt, non mortua, ſed viua Sacrificij Crucis imago eſt, quia realis illius, & exercita quædam imitatio eſt.



QVÆSTIO SEXTA.

An oblatio aliqua ante conſecrationem ſit pars ſubſtantialis Sacrificij Miſſæ.

I.	*Oblatio aliqua ante conſecrationem eſt de integritate ſubſtantiali Sacrificij Miſſæ.*
II.	*Subſtantia panis, & vini pertinet ad rem quæ ſacrificatur.*
III.	*Panis, & corpus Domini non ſunt duo Sacrificia, ſed vnum.*
IV.	*Panis, & corpus vna Victima.*
V.	*Quinque beneficia Diuina circa Victimam noſtri Sacrificij.*
VI.	*Oblatio ſacrificalis incipit ante conſecrationem.*
VII.	*Prima obiectio ab exemplo Chriſti.*
VIII.	*Chriſtus cœpit offerre ſacrificaliter etiam ante conſecrationem.*
IX.	*Ad oblationem ſacrificalem non ſunt neceſſaria verba.*
X.	*Conſecratio formaliter non eſt oblatio.*
XI.	*Secunda obiectio ex vſu Eccleſiæ.*
XII.	*Vſus præuiæ oblationis perpetuus in Eccleſia.*
XIII.	*Tertia obiectio à ſigno.*
XIV.	*Oblatio vnum continuum ſucceſſiuum morale.*
XV.	*Quarta obiectio à natura ſacrificalis oblationis.*
XVI.	*Conſumptio eſt terminus vltimatus totalis oblationis.*
XVII.	*Sacrificium ſine oblatione panis, eſſet mutilum.*



QVONIAM diximus eſſentiam huius Sacrificij conſiſtere in ſolemni, ac legitima oblatione Corporis, ac Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, ac vini, dubitari merito poteſt, an debeat conſecrationem neceſſario præcedere cæremonia aliqua externa, & ſenſibilis in genere oblationis, quæ verſetur circa ſubſtantiam tranſmutandam in Corpus, & Sanguinem Chriſti.

Respondemus autem affirmatiuè cum Scoto in 4. dist. 13. quæst. 2. & probamus hoc fundamento. Essentia Sacrificij postulat, vt Sacra aliqua actio in genere oblationis versetur circa totum id, quod aliquo modo pertinet ad rem, quæ sacrificatur; ergo essentia Sacrificij postulat, vt sacra aliqua actio in genere oblationis versetur circa substantiam panis, quæ proculdubio non est nisi ante consecrationem. Consequentia tenet ex forma. Maior est per se manifesta, quia in tantum res sacrificatur, in quantum ritè offertur; vnde Sacrificium ipsum dicitur, & est formalissimè oblatio; ergo essentia Sacrificij postulat, vt quidquid pertinet ad rem, quæ sacrificatur, oblationi alicui subjiciatur. I. *Oblatio aliqua ante consecrationem est de integritate substantiali Sacrificij Missæ.*

Probanda ergo est minor, in qua dicebamus substantiam panis, & vini aliquo modo pertinere ad rem, quæ in Missa sacrificatur. II. *Substantia panis, & vini pertinet ad rem, quæ sacrificatur.*

Id demonstratur in primis ex veritate sacri Canonis Missæ, quæ consistere nequit, nisi dicamus etiam substantiam panis ad rem, quæ sacrificatur pertinere. Esse autem sacrum Canonem ab omni errore purum, definiuit Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 4. Porrò tribus in locis substantia panis, & vini subjicitur oblationi in sacro Canone ante consecrationem. Primo cum dicimus: Hæc sancta Sacrificia illibata, quæ tibi offerimus, &c. Secundo cum dicimus: Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, quæsumus Domine, vt placatus accipias. Tertiò, cum proximè ante consecrationem concludimus illis verbis: Quam oblationem, Tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, &c.

In omnibus autem his locis, substantiam panis, & vini sacrificaliter aliquo modo offerri manifestum est, & satis declarant pronomina illa demonstratiua: *Hæc Sacrificia*; *Hanc oblationem*, quæ ostendunt ad sensum id, circa quod versatur tunc actio Sacerdotis, id autem panis est, & vinum. Quare Bellarminus lib. 2. cap. 21. disputans contra Lutherum, qui integrum scripsit librum contra Abominationem Canonis, ad præcipuum argumentum, quo ex allatis sacri Canonis verbis infert, nos panem, & vinum sacrificare, non respondet absolutè negando, sed Catholicè explicando. Immò lib. 1. cap. 27. disertè ait negari non debere panem, & vinum pertinere ad rem, quæ sacrificatur, quod confirmat Patrum testimoniis, & præcipuè Irenæi lib. 4. cap. 3. vbi ait Ecclesiam offerre Deo Sacrificium ex creaturis, idest ex pane, & vino, idque ex Institutione Christi. Præcepit, inquit Irenæus, Christus Apostolis, vt primitias creaturarum, scilicet panem, & vinum Deo in Sacrificium offerrent, & quidem, quod vt offerrent præcepit, obtulit ipsemet prius antequam consecraret: Accepit enim panem in sanctas, ac venerabiles manus suas; similiter, & Calicem. Vnde expresè dicit S. Cyprianus Epist. 63. *Panem, & Calicem mixtum vino obtulit.* De qua priori oblatione rectè, & propriè intelligitur, quod in quadam Antiphona ait Ecclesia. Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, panem, & vinum obtulit.

Neque verò hinc licet inferre cum Gasparo Cassalio lib. 1. de Sacrif. cap. 20. Duo esse Sacrificia Eucharistiæ, vnum panis & vini; alterum Corporis & Sanguinis Domini. Quia Ecclesia exemplo, & institutione Christi, neque offert panem simpliciter, neque Corpus Domini simpliciter; tunc enim essent duo Sacrificia, sicut duo fuerunt Sacrificia, Sacrificium Melchisedech, & Sacrificium Isaac, sed offert panem vt consecrandum, & transmutandum in Corpus III. *Panis, & Corpus Domini non sunt duo Sacrificia sed vnum.*

Domini, & Corpus Domini vt in ſpecie panis, & ex pane confectum. Vnde rectiſſimè S. Irenæus lib. 4. cap. 32. dixit: *Noui Teſtamenti, nouam docuit oblationem;* quænam eſt hæc noua oblatio? Noua oblatio, ait Bellarminus propriè vocatur panis in Corpus, vinum in Sanguinem Domini commutatum.

Atque hæc videtur eſſe mihi ratio, cur promiſcuè in ſacro Canone aliqua dicuntur de pane ante conſecrationem tanquam de Corpore Domini; quædam verò de Corpore Domini poſt conſecrationem, tanquam de pane. Exemplum primi ſit in illis verbis in principio Canonis: Hæc dona, hæc munera, hæc ſan-

IV. *Panis & corpus vna Victima.*

cta Sacrificia illibata; in quibus vides panem, & vinum appellari ſancta Sacrificia illibata, tanquam Corpus, & Sanguinem Domini, & quidem merito, ait Bellarminus: ſunt enim vera materia ſancti, & illibati Sacrificij, & iam dedicata, & parata, vt ex iis fiat Sacrificium Domini; nam & in lege veteri dicebantur paſſim Sacrificium oues adhuc viuentes, quando ſcilicet adducebantur, vt immolarentur: licet enim panis, & Corpus Domini res ſint diuerſiſſimæ, ſi eorum natura conſideretur, vnam tamen quaſi victimam, & hoſtiam faciunt, & vnum Sacrificium, quod eſt panis in Corpus Domini tranſmutatus, ſiue Corpus Domini in ſpecie panis oblatum. Sicut, quod eſt exemplum eiuſdem Bellarmini lib. 1. cap. 27. propoſitione 3. Apud Hebræos offerebatur ouis viua ſacrificali oblatione, & ſimili etiam oblatione offerebatur etiam mortua; & licet ſpecie differant viuum, & mortuum, ſi natura phyſicè ſpectetur, tamen vna erat victima, & hoſtia, & vnum Sacrificium, non duo Sacrificia, nam ouis viua offerebatur conſecranda per iugulationem, & necem Deo, & deinde per ignem abſumenda. Atque hinc eſt quod ante conſecrationem non offertur panis vt Sacrificium perfectum, ſed vt Sacrificium inchoatum, & perficiendum iuxtà illa verba Liturgiæ: *Benedic hoc Sacrificium tuo ſancto nomini præparatum*, & ea quæ in ſecretis aliquoties legimus: *Sacrandum tibi munus offerimus.*

Exemplum ſecundi ſit ex primis, & vltimis verbis eiuſdem ſacri Canonis poſt conſecrationem; ex primis, vbi dicitur: offerimus de tuis donis, ac datis, *Panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ;* hoc eſt, vt explicat Innocentius lib. 5. cap. 3. de Myſteriis Miſſæ: Offerimus Corpus, & Sanguinem, quem ex creaturis tuis à te datis, & donatis ex pane ſcilicet, & vino per conſecrationem

V. *Quinque beneficia Diuina circa victimam noſtri Sacrificij.*

habemus. Ecce loquitur de Corpore, quaſi de Creatura panis. Rurſus ex poſtremis: Per quem *hæc omnia* Domine ſemper bona creas, &c. Vbi iuxta Alcuinum, & Hugonem lib. 2. de Officiis Diuinis cap. 6. commemorantur breuiſſimè omnia beneficia Diuina circa hoc Sacrificium, inchoando à prima productione materiæ; Vnde hoſtia, ſeu victima conficitur; Itaque dicimus à Deo per Chriſtum hoc Sacramentum ratione materiæ. *Primò*, creari, cum panis videlicet creatur. *Secundò*, ſanctificari, cum dedicatur per primam oblationem ad Sacramentum conficiendum. *Tertiò*, viuificari cum efficitur myſterium vitæ, & in verum Corpus Domini, & in ipſum Chriſtum, qui eſt vita noſtra, conuertitur per conſecrationem. *Quartò* benedici. Cum omnis benedictionis effectum recipit, vt ſcilicet Sacramentali efficacia, caput cum membris vniat. *Quintò* denique nobis præſtari, cum ad ſumendum, vt ex eo vitam hauriamus, datur. Vides quemadmodum de pane, & corpore, tanquam de vna ſimplici victima, & hoſtia Sacrificij ſit ſermo, quæ eſt ratio cur etiam ante conſecrationem panis ipſe dicatur

hostia, seu victima immaculata, & tanta cum veneratione tractetur, & Deo tanquam res acceptissima pluries offeratur.

Atque hinc rationem habes à priori primæ huius nostræ propositionis, quod scilicet oblatio aliqua ante consecrationem sit pars essentialis Sacrificij Missæ, quia oblatio adæquata huius Sacrificij debet afficere quidquid verè pertinet ad rem, quæ sacrificatur: constat autem ex dictis panem pertinere tanquam veram materiam, *ex qua* Sacrificium ipsum consurgit; vnde oblatio sacrificalis debet attingere vtrumque terminum, à quo, & ad quem, ex quibus res oblata conficitur. VI. *Oblatio sacrificalis incipit ante consecrationem.*

Contra nostram propositionem videtur esse P. Suarez disput. 75. Sect. 3. vbi docet oblationem, quæ antecedit consecrationem nullo modo pertinere ad substantiam huius Sacrificij, neque vt essentialem partem, neque vt integralem, sed tantum esse cæremonialem quandam præparationem ab Ecclesia institutam ad conciliandam deuotionem, & reuerentiam, animosque fidelium excitandos ad mysterium ipsum peragendum; quamuis verò prima fronte videatur P. Suarez negare tantum esse de integritate substantiali oblationem illam, prout certis, aut actionibus, aut verbis constat cuiusmodi nunc Ecclesia vtitur, ipsius tamen argumenta satis ostendunt ipsum negare simpliciter, tanquam partem substantialem huius Sacrificij omnem quamcumque oblationem antecedentem ad consecrationem.

Primam igitur objectionem sumit ab exemplo Christi, nam Christus Dominus, inquit, obtulit hoc Sacrificium perfectum quoad omnes partes essentiales, substantiales, & integrales eius, & tamen nullam huiusmodi oblationem præmisit ante consecrationem. Fatetur ipse quidem, vt explicat Sectione 2. præcedente, Christum Dominum exhibuisse ante consecrationem illa signa reuerentiæ Diuinæ, gratias agendo, & benedicendo panem, quem in manibus accepit, in quo adumbrasse, inquit, videtur illam præuiam oblationem, quam Ecclesia exercet; cæterum disertè ait oblationem propriè non exercuisse. VII. *Prima objectio ab exemplo Christi.*

Sed vehementer miror, qua ratione negari possit Christum Dominum, etiam ante consecrationem, panem, & Calicem Deo ritu sacrificali obtulisse. Nam primo id manifestè constat ex omnibus Liturgiis, quantumuis antiquis, & præcipuè ex Liturgia S. Iacobi fratris Domini, vbi Colum. 11. sic habetur. *Accipiens panem in sanctas, immaculatas, inculpabiles, & immortales manus suas, in Cœlum suspiciens, ac sibi Deo, & Patri ostendens, gratias agens, sanctificans, frangens dedit nobis Discipulis suis, & Apostolis dicens, &c.* Et infrà: *Accipiens Calicem, & permiscens ex vino, & aqua, & aspiciens in Cœlum, ac ostendens tibi Deo, & Patri, gratias agens, sanctificans, benedicens, &c.* Quæ luculentior descriptio fieri poterat, sacrificalis oblationis? Quid erat illa ostensio consecrandorum facta Deo, nisi eorumdem Deo solemnis oblatio. VIII. *Christus cœpit offerre sacrificaliter etiam ante consecrationem.*

Secundo quia, si fatetur P. Suarez Christum per illa signa reuerentiæ Diuinæ gratias agendo, & benedicendo, & oculos eleuando adumbrasse præuiam oblationem, quam Ecclesia exercet; vnde suspicatur nullam veram oblationem per illa signa exercuisse? An quia nullum legitur verbum, quo dixerit. Suscipe Pater, hoc tibi offero? Sed idem Author optimè alibi monet, quod licet, offerre sit de ratione Sacrificij, non est tamen de illius ratione, quasi in actu signato

exprimere oblationem per verbum offerendi. Sicut enim, vt aliquis viſibilem honorem alteri deferat, non oportet, vt verbis proferat: Ego te honoro, ſed ſatis eſt, quod actione ſenſibili ſignum honoris exhibeat cum intentione honorandi; ita ad Sacrificium offerendum non eſt neceſſe proferre: offero, aut ſacrifico, ſed ſatis eſt, ſacra ſigna exhibere cum intentione cultus. Non enim contendimus hîc, ad Sacrificium eſſe neceſſariam oblationem ſenſibilem per verba, ſed ſenſibilem per quæcumque alia ſigna, ad eum finem accommodata. Immò ſi huiuſmodi ſigna non ſufficiunt ad faciendum ſenſibilem internum animi cultum, & conſtituendam totam illam actionem in ſpecie oblationis externæ qualis neceſſaria eſt ad Sacrificium; nulla eſt aſſignabilis actio, ex qua dicamus Chriſtum obtuliſſe; nam verba conſecrationis per ſe non ſunt verba oblationis, vt ex illarum ſignificatione eſt manifeſtum, neque conſecratio eſt formaliter oblatio; nam eadem numero verba cum tota ſua intrinſeca, & propria ſignificatione, potuiſſent à Chriſto dari Eccleſiæ ad Sacramentalem vſum tantùm, non verò quoad rationem oblationis, ſeu Sacrificij. Vnde ergo habent hæc verba, vt non ſint tantum conſecrationis, ſed etiam oblationis? profectò ex ſe hoc non magis habent, quàm quæcumque alia indifferens actio, & actus etiam merè internus. Sicut ergo verba conſecrationis, quæ non ſunt ſenſibilia in ratione oblationis, inducunt formam ſenſibilem oblationis per ſacras cæremonias, & ritus externos, quibus proferuntur in honorem, & cultum Deo; ita ſine vllis verbis, ex aliis actionibus, & ritibus conflari poteſt oblatio. Concedant ergo nobis Aduerſarij, quod hoc loco contendimus, Chriſtum Dominum præuiam oblationem, & ſi non vocalem, aut ſignatam, realem tamen, & in actu exercito, & quidem externam, atque ſenſibilem provt ad Sacrificium oportet, exercuiſſe.

IX. *Ad oblationem ſacrificalem nō ſunt neceſſaria verba.*

X. *Conſecratio formaliter non eſt oblatio.*

XI. *Secunda objectio ex vſu Eccleſiæ.*

XI. Secunda objectio P. Suarij, quia illa præuia oblatio non ſemper fuit ab Eccleſia obſeruata, cum tamen ex his, quæ ſunt de ſubſtantia, vel integritate Sacrificij, nihil vnquam prætermiſſum ſit.

XII. *Vſus præuia oblationis perpetuus in Eccleſia.*

XII. Reſpondeo. Præuiam oblationem accipi poſſe, vel ſecundum ſuam ſubſtantiam, vel ſecundum aliquas, ſeu verborum, ſeu rituum circumſtantias. Et quidem ſecundum ſubſtantiam ſemper fuit ab Eccleſia religioſiſſimè cuſtodita, & obſeruata, licet oblationis illius ritus in circumſtantiis fuerit variatus: quod verò hæc præuia oblatio ſeruata ſit ſemper, patet, tum ex omnibus Liturgiis, ſiue Græcis, ſiue Latinis, tum ex allato ſuperius teſtimonio S. Irenæi, tum denique ex ipſa natura Sacrificij, quod poſtulat, vt quidquid pertinet ad rem oblatam, id ipſum quando eſt, offeratur: eſt autem ante conſecrationem tanquam materia, ex qua Sacrificium conficitur ſubſtantia panis, quam ad rem oblatam pertinere ipſe P. Suarez docet diſput. 75. Sect. 1. his verbis: Conſtat ex locutionibus Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum, panem, & vinum in Sacrificio, aliquo modo offerri, ſed non offeruntur tantum quoad accidentia, ſed etiam quoad ſubſtantiam; ergo quoad vtrumque pertinet ad rem oblatam.

XIII. *Tertia objectio à ſigno.*

XIII. Tertia objectio à ſigno. Quia Eccleſia ſtatim poſt illam præuiam oblationem orat dicens: Benedic hoc Sacrificium tuo ſancto nomini præparatum; ergo ſatis ſignificat illam ſolum eſſe quandam præparationem materiæ ad futurum Sacrificium, & quaſi dedicationem illarum rerum ſenſibilium ad cultum Dei, ideoque oblationem vocauit.

Reſpondeo.

Respondeo. Oblationem sacrificalem non esse vnum quid indiuisibile, & inextensum in genere actionis, sed habere suam latitudinem extensiuam per modum alicuius continui moralis secundum partes priores, & posteriores, quarum vna sit altera non solum prior, aut posterior, sed etiam principalior, aut minus principalis. Quare vna pars eiusdem Sacrificij præsertim si remotior ab illius consummatione sit, potest respectu posterioris, & principalioris præparatio nuncupari. Cæterum sicut ex oblatis vna sit res oblata, ita ex oblationibus vna integratur oblatio, cuius si tantum inchoatio accipiatur non ineptè præparatio respectu vlterioris, & quasi sanctioris actionis circa corpus versantis appellabitur. XIV. *Oblatio vnum continuum successiuum morale.*

Quarta objectio à natura Sacrificij, quia per illam oblationem nihil fit circa rem oblatam, præter quandam extrinsecam Orationem, nam eleuatio, quæ fit à Sacerdote, aut consignatio Crucis, & aliæ similes actiones merè accidentales sunt; vnde si contingat prætermitti, nihilominus si ritè fiat consecratio, Sacrificium Missæ censebitur perfectum quoad substantiam, & essentiam suam. XV. *Quarta objectio à natura sacrificalis oblationis.*

Respondeo. Per oblationem sacrificalem, quæ est totum quoddam morale continuum, necessario fieri aliquid circa rem oblatam, illius nimirum realem, & sensibilem immutationem, & consumptionem: per hoc enim distinguitur oblatio sacrificalis à simplici oblatione. Verum non est necesse vt consumptio, quæ fit, coexistat omnibus partibus eiusdem oblationis, immò oblatio necessario debet antecedere, quia perfecta immutatio, & consumptio rei oblatæ in cultum Dei, est terminus ipsius oblationis. Id, quod in omnibus antiquis Sacrificiis est manifestum, & in ipso exemplari omnium Sacrificiorum, quod fuit Sacrificium Crucis. Etenim oblatio verè sacrificalis Corporis, & Sanguinis Christi pro Mundi salute inchoata est ab vtero Virginis Matris, vt alibi ostendimus, saltem ab ascensu ad Aram Crucis, illa autem habuit pro termino corpus mortuum, & sanguinem effusum. Quare licet res oblata, fuerit totus Christus, vt viuens in propria specie vita humana, terminata tamen ea oblatio fuit ad amissionem eiusdem vitæ, & dissolutionem humanitatis. Satis ergo est ad oblationem verè sacrificalem ordo ad consumptionem, per quem, consumptionem ipsam respiciat tanquam terminum suum, & vt tota oblatio collectiuè accepta, ad illam terminetur: vt accidit in casu nostro, nam oblatio, quæ ante consecrationem inchoatur, eadem continuatione, siue physicè, siue moraliter ad ipsam corporis, & sanguinis consumptionem terminatur. XVI. *Consumptio est terminus vltimatus totalis oblationis.*

Neque verum est, si contingat illam prætermitti, Sacrificium hoc adhuc esse perfectum quoad substantiam suam: quia vt probauimus, aliqua oblatio præuia ad consecrationem est de substantia huius Sacrificij. Vnde necessario huiusmodi Sacrificium, esset sine illa mancum, & mutilum, atque adeo imperfectum quoad substantiam suam. XVII. *Sacrificium sine oblatione panis esset mutilum.*



QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum Christus proximè & actu offerat se ipsum de nouo quoties Sacrificium celebratur.

I. *Proponitur Sententia negatiua.*
II. *Probatur affirmatiua.*
III. *Christus actu se offert in Altari, vt olim in Cruce ex figura Isaaci.*
IV. *Ex voce Victima.* Psalm. 39.
V. *Oblatio principalis semper eadem, ministerialis diuersa.*
VI. *Christus, in quo vt Isaac ligatus, & in quo solutus.*
VII. *An Christus nunc sit in statu orandi, & offerendi.*
VIII. *Christus orat pro nobis in Cælo.*
IX. *In Altari accipit peculiarem statum orandi.*
X. *Examinatur testimonium Simeonis Thessalonicensis.*
XI. *Fundamentum P. Vasquez.*
XII. *Non est semper eiusdem oblatio principalis, & ministerialis.*
XIII. *Quomodo potuisset Christus primum Cœnæ Sacrificium celebrare.*
XIV. *An, & quomodo Christus concurrat vt offerens.*
XV. *Concursus merè internus non est Sacerdotalis.*
XVI. *Neque omnis concursus externus ad Sacrificium est Sacerdotalis.*
XVII. *Ecclesia offert per Sacerdotem, vt per Superiorem.*
XVIII. *Solus Christus potest habere concursum Sacerdotalem merè internum.*
XIX. *Disparitas inter Christum, & alios offerentes.*
XX. *Et patet in Sacrificio Crucis.*
XXI. *Quomodo Christus est offerens.*
XXII. *Ad habitudinem offerentis non satis est institutio.*
XXIII. *An ratio offerentis inferri possit ex verbis Institutionis.*
XXIV. *Ad habitudinem offerentis non sufficit communicatio virtutis.*
XXV. *An Christus sit principalis offerens per hoc precisè, quod Sacerdos offert, vt eius Minister.*
XXVI. *Proponitur Sententia P. Suarez.*
XXVII. *Proponitur Sententia P. Vasquez.*
XXVIII. *Examinatur Sententia P. Suarez.*
XXIX. *Honor per Ministrum tantum innoluit imperfectionem.*
XXX. *Christus non potest offerre per Ministrum tantùm.*
XXXI. *Concursus ad consecrationem nihil facit ad oblationem.*
XXXII. *Christus exercet Officium offerentis sub aliena specie.*
XXXIII. *Examinatur Sententia P. Vasquez.*

XXXIV. *Apostoli non habuerunt potestatem celebrãdi pro triduo mortis Christi.*
XXXV. *Ex limitatione inclusa in verbis Institutionis.*
XXXVI. *Ex defectu principalis offerentis.*
XXXVII. *Ex defectu integræ Victimæ.*
XXXVIII. *Sacrificium in triduo mortis esset minoris valoris.*



VOD Christus in quocumque Sacrificio proximè, & actu exerceat munus Victimæ, apud Doctores omnes Catholicos in confesso omnino est. Verum quod in quocumque Sacrificio idem Christus proximè, & per se exerceat actu munus Sacerdotis, offerendo nimirum de nouo se ipsum in Sacrificium, hoc ex Doctoribus Catholicis affirmant multi timidè, nonnulli audacter negant. Inter hos postremos, quod noluissem, est noster Gabriel Vasquez tomo 3. in 3. parte disp. 225. cap. 3. vbi contendit Christum non actu, & proximè offerre Sacrificium Altaris, sed remotè, ea dumtaxat ratione, quia illud olim instituit, & iussit in nomine suo offerri, tribuitque ei meritis suis virtutem, & efficaciam. Quare Sacerdos noster Christus Dominus, vt in hac disputatione loquitur P. Vasquez præsertim cap. 4. vacat omnino nunc ab officio, & exercitio proximè offerendi, Ministris, omnia ex institutione peragentibus.

I. *Proponitur sententia negatiua.*

Quæ sint fundamenta istius Doctoris, omnia fideliter proponentur in solutione argumentorum. Est enim materia meo iudicio grauis, & cum ad doctrinam huius mysterij illustrandam, tum ad pietatem erga ipsum acuendam valde vtilis, & oportuna. Interim pro contraria sententia, quam veritati longè conformiorem existimo, & quam sine dubio tuetur Bellarminus lib. 1. cap. 6. & expressius P. Suarez disp. 77. Sect. 1. & alij, quos citat P. Anellus Persicus lib. 2. de Præcipuo Sacerdotis officio cap. 3. sic argumentor.

II. *Probatur affirmatiua.*

Quoties Sacrificium celebratur sistitur Christus in Altari tanquam victima rationalis, & voluntaria Sacrificij illius, seu quod in idem recidit, exercet actu munus victimæ voluntariæ ad eum modum, quo voluntariè oblatus actu in Cruce fuit; ergo quoties Sacrificium celebratur, offert se ipsum de nouo per actum verè, & propriè sacrificalem. Consequentia est manifesta iuxtà sensum antecedentis quia de fide est, Christum in Ara Crucis se actu obtulisse in Sacrificium pro redemptione Mundi.

III. *Christus actu se offert in altari vt olim in Cruce ex figura Isaaci.*

Antecedens est probandum, quod facimus primo ex insigni, & singulari figura Isaaci, quæ figura, vt superius ostendimus pertinet ad vtrumque Sacrificium, tum cruentum, tum incruentum, in quo vtroque Christus velut *Isaac immolatur*, & est expressa Ruperti interpretatio lib. 6. de Trinitate cap. 32. cuius titulus est. Quomodo vsque hodie in Monte visionis, idest sancta Ecclesia verus Isaac Christus in Sacramento immoletur. Quod verò ratio illius figuræ in illo potissimum actu voluntariæ oblationis posita sit, ex eo manifestum videtur, quia per illum actum diuersificatus Isaac fuit à reliquis omnibus victimis figuralibus, quæ quatenus ab alio oblatæ, victimæ tantùm erant: at verò Isaac, ex eo quod se ipsum obtulerit, factus est in singulari Christi figura Sacerdos, & victima, sed de hoc argumento fusè disseruimus alibi.

IV. *Ex voce Victimæ, Psal. 39.* Secundo idem antecedens probamus ex testimonio prophetico Psal. 39. Tunc dixi: *Ecce venio Deus meus volui.* Hoc testimonium non esse tantum intelligendum de victima Sacrificij Crucis, sed etiam de victima Sacrificij Altaris expresse habeo ex Augustino superius allato lib. 17. de Ciuit. cap. 20. Vbi cum dixisset Sacrificium Eucharisticum id esse, quod successit omnibus Sacrificiis, quæ immolabantur in vmbra futuri, subdit, propter quod etiam agnoscimus vocem illam eiusdem Mediatoris: Corpus autem aptasti mihi. Vides Augustinum agnoscere vocem vtriusque victimæ, seu vnius eiusdemque victimæ vtriusque Sacrificij, quam vocem? profectò illam: *Ecce venio,* quia verè vtrobique oblatus est, quia ipse *voluit*, & in Mundum ingredienti ad vtramque immolationem voluntariè corpus aptatum fuit.

Neque dicas, in eo psalmo esse sermonem de prima illa oblatione generali ad omne Sacrificium, tum Redemptionis in Cruce, tum Religionis in Ecclesia, à qua voluntate antecedente omnis deinde oblatio fuit, & est voluntaria. Nam sicut in Sacrificio Crucis, tunc maximè Christus fuit victima voluntaria, non solum voluntate prima moraliter perseuerante, sed formaliter, & actu existente, quando in Cruce ipsa exercuit actualem rationem victimæ, ita respectu Sacrificij Altaris, tunc est victima maximè voluntaria, voluntate formali, & actuali, quando tale munus in Altari exercet.

Atque hinc primum sumimus fundamentum nostræ sententiæ; quia nulla videtur esse ratio, cur rationalis victima Christus Dominus actum sacrificalis oblationis habuerit, dum Sacrificium cruentum consummaretur in Cruce, & non similem actum oblationis etiam nunc habeat, quoties incruentum Sacrificium consummatur in Altari. Id quod videtur supponere Tridentinum Sess. 22. cap. 2. vbi ait: *Vna eademque est hostia, idem nunc offerens, Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.*

V. *Oblatio principalis semper eadem, ministerialis diuersa.* In quibus verbis subtiliter insinuatur, Sacerdotibus relinqui tantum Sacerdotale *ministerium*, seu oblationem ministerialem eo modo, quo defuit in Sacrificio Crucis. Cæterum oblationem principalem eodem modo vtrobique manere sola ratione offerendi diuersa, quod totum videtur sequi ex eo, quod vtrobique eadem est hostia, seu victima; cum enim hæc sit victima rationalis, & voluntaria, eadem res oblata est etiam res offerens principaliter. Cum qua tamen oblatione principali conjungi potest extrinsecum ministerium, vt fit in Sacrificio Altaris, quod est perpetuum, & visibile Sacrificium Christianæ Religionis.

Debent ergo Aduersarij formalem disparitatem inter vtrumque Sacrificium afferre quoad oblationem principalis. Et fortasse primam conabuntur afferre ex eo, quod Christus in Cruce fuit victima existens in suo esse humano naturali: In Altari verò non habet esse humanum naturale, sed esse tantùm Sacramentale sub forma, & specie rei non viuentis.

Fateor victimam Sacrificij nostri ratione existentiæ Sacramentalis impediri quo minus naturaliter possit plures actus exercere. Quare vltro concedo cum S. Thoma 3. par. quæst. 76. & quæst. 89. Christum prout in Eucharistia elicere non posse connaturaliter vllum actum sensationis, non solum externum, sed neque internum propter carentiam extensionis quantitatiuæ, quæ saltem tãquam conditio est necessaria ad quamcumque operationem materialem, & corpoream.

Verùm nos agimus in præsenti de actu oblationis intellectus, & voluntatis Christi, qui cum spirituales sint, non pendent à modo extensionis quantitatis in loco. Huiusmodi autem actus spirituales, nemo dubitat ait ipse P. Vasquez disp. 191. cap. 3. posse à Christo, prout est in Sacramento exerceri nullo modo dependentes à corpore. Quare quoad actum spiritualis oblationis parum refert; Vtrum victima sit sub esse naturali, an sub esse Sacramentali. Est quidem Christus in Altari vt Isaac colligatus, quia in Sacramento fit per se naturaliter immobilis localiter, propter ligationem superius indicatam omnium sensuum, tam externorum, quàm internorum: cæterum est etiam, vt Isaac voluntariè oblatus, & immolatus. Ad quam oblationem faciendam, etiam sub vinculis Sacramentalibus, omnino solutus ac liber est. VI. *Christus in quo vt Isaac ligatus, & in quo solutus.*

Dicent, actum hunc voluntarium oblationis æquè possibilem fuisse in vtroque Sacrificio, & sub vtroque esse, siue naturali, siue Sacramentali quantum spectat ad naturam physicam actus, sed non esse possibilem quoad rationem illius moralem, quod demonstrari potest ex doctrina P. Vasquez; quia cum actus oblationis sacrificalis sit veluti in genere orationis, sicut Christus in Cruce erat in statu orandi, ita fuit etiam in statu offerendi. Sacrificium enim propriè ad orationem iuuandam adhibetur; at verò Christus in altari non est in statu orandi, & supplicandi; ergo neque in statu offerendi. Quod verò Christus non sit nunc in statu orandi, & supplicandi, pro iis saltem rebus, pro quibus oratur, & supplicatur in Missa, probat P. Vasquez in hac disput. 225. cap. 3. ex testimonio Simeonis Slemoluicensis lib. de Mysteriis Eccles. cap. 45. vbi ait, existimare autem Christum per preces, quæ in Missa fiunt, semper mediatorem agere, plenum est blasphemia, & absurditate; & si enim ipse est, qui Sacrificium Missæ operatur, non tamen omnia, quæ illic fiunt, & dicuntur, ipsi sunt attribuenda. Opus enim Missæ, & finis, sanctificare munera, & sanctificare fideles, ipse solus est, qui hæc facit: orationes verò, & obsecrationes, quæ in his fiunt Sacerdotis sunt, illa Domini, hæc Ministri, Minister orat, Dominus consummat orationes. VII. *An Christus nunc sit in statu orandi, & offerendi.*

Ego in primis libenter admitto Sacrificium propriè orantis, & supplicantis esse, & ad orationem iuuandam adhiberi, immò ipsum quandam esse orationem, non verbalem, sed realem. Sed nego, Christum prout est nunc in Altari non esse in statu orandi, & supplicandi; immò ex hoc, quod sit in statu sacrificandi, certissimum mihi est, esse quoque in statu orandi.

Scio aliquos esse Authores, vt Rupert. de Diuin. Offic. cap. 3. & Alex. Hallen. 4. p. quæst. 91. membr. 1. quos ex nostris sequuti sunt Vasquez & Becanus in 3. par. qui docent Christum Dominum non orare in Cœlo pro nobis propriè, verè, & expressè, sed tantùm impropriè, & interpretatiuè, repræsentando videlicet suam Passionem, & merita; sed noui etiam multò plures esse Doctores, qui docent Christum, non tantùm tacitè repræsentando, sed expressè postulando, orare pro nobis in Cœlo iuxtà id, quod dixit Augustinus Epist. 59. paulò ante medium. Numquid, inquit, interpellat Christus, & non etiam postulat? Immò verò, quia postulat, pro eo, positum est, *interpellat*. Euidenter quippe alibi de eo dicitur. *Aduocatum habemus apud Patrem, & ipse est exoratio pro peccatis nostris.* VIII. *Christus orat pro nobis in Cœlo.*

Addo quod etiam si Christus in Cœlo in suo esse naturali existens, non alio IX. *In Altari acci-*

pis peculiarem statum orandi. modo oraret, & interpellaret pro nobis nisi suam humanitatem, quam pro nobis assumpsit repræsentando. Adhuc tamen admittendus est alius modus orandi, & supplicandi, dum actu munus victimæ exercet in Altari. Ibi enim est in loco, & actu summæ adorationis Latriæ, & in circumstantiis publicæ professionis, de summa Dei Maiestate, & totius creaturæ inferioritate, cuius ipse, vt homo, caput, & primogenitus est. Propterea dicebam quod quatenus Christus adhuc in statu sacrificantis est, non est extra statum orantis cum ipsamet sacrificatio sit veluti quædam non verbalis, sed realis oratio.

X. *Examinatur testimonium Simeonis Thessalonicensis.* Ac de Simeone quidem Thessalonicensi, quid probet authoritas, alij viderint. Quid verò probent verba, & qua ratione P. Vasquez potuerit illa afferre pro sua sententia, hoc ego planè videre percuperem. Nam ipse primo ait, Christum per preces, quæ in Missa fiunt non semper Mediatorem agere; ergo non negat aliquando, & per aliquas saltem preces posse agere mediatorem. Immò ex toto verborum contextu satis ostenditur hoc tantùm existimasse, non posse videlicet, nec debere attribui Christo quasdam Orationes, & obsecrationes, & supplicationes minus congruas, vt in ipsius persona factæ videantur. Præterea disertis verbis affirmat, opus Missæ attribuendum esse Christo. Sed quod est opus Missæ, si oblationem ipsam excludas? Quid quod Author iste, verbis luce clarioribus hanc Christi oblationem fatetur, & edocet? Ecce verba, nec à Patre quidem Vasquez dissimulata. *Offert*, inquit, *& Dominus, sed se ipsum Patri offert, post quam fuit ipse, idest postquam mutata sunt in corpus, & sanguinem eius; quia enim se ipsum offert, idcirco dicitur esse idem offerens & oblatus.*

Aliud ergo est negare, Christum offerre preces, quæ fiunt in Missa, de quo argumento aliquid disputabimus infra. Aliud est negare Christum offerre se ipsum. Primum. Christo negauerit Simeon Thessalonicensis, certè hoc posterius non negat; sed quia negat P. Vasquez, occurrendum est rationi, qua vt ipse

XI. *Fundamentum P. Vasquez.* ait, à priori directè probat suam sententiam; illa autem est, quia, inquit, si Christus actu, & proximè hoc Sacrificium offerret, non tantum haberet affectum, & voluntatem erga Deum, qua offerret se ipsum, sed etiam ab hac voluntate actio exterior Sacrificij, & immolationis, quæ fit in Missa, procederet (sicut quando in Cœna sub specie panis, & vini, se ipsum in Sacrificium obtulit) & ab ea voluntate secundum genus moris penderet: nam actio exterior immolationis est opus Religionis pendens ab effectu interiori Religionis, qui ei respondet. Atqui actio immolationis exterior, quæ fit in Missa non pendet hoc modo ab effectu interiori ipsius Christi, sed tantum ab affectu, qui est in Sacerdote; ergo Christus non proximè, & actu, sed remotè solum ratione Institutionis hoc Sacrificium offert. Hæc Vasquez, cuius argumentum præfert duo. Primum est; oblationem actualem principalis Sacerdotis esse per se connexam cum oblatione, & actione exteriori exercenda proximè, & immediatè ab ipso, ideo dicit, quod si Christus nunc haberet oblationem internam, exerceret etiam exteriorem, vt in Cœna. Alterum est, oblationem, & actionem exteriorem Sacrificij, quod de facto celebratur in Ecclesia, esse tantùm connexam cum affectu Religionis, & oblatione interna Ministri tanquam cum suo principio actuali, & proximo, & ideo dicit illam remotè solum à Christo pendere ratione institutionis. Vtrumque examine dignum est.

XII. *Non eſt ſemper eiuſdem oblatio principalis, & miniſterialis.*

Et primo falſum omnino putamus oblationem internam Sacerdotis principalis eſſe per ſe connexam cum actione ſacrificali Sacrificij exteriori, quæ neceſſario debeat à Sacerdote ſic offerente immediatè, & per ſe exerceri, quod planè demonſtro hoc exemplo, & argumento. Quia potuiſſet omnino Chriſtus Dominus in nocte Cœnæ, facta inſtitutione, & ordinatione Sacerdotum miniſterialium, potuiſſet, inquam, omnes exteriores actiones ſacrificales, quas de facto ipſe per ſe exercuit, exercendas tunc Apoſtolis demandare, & ſibi tantum veluti retinere actum internum, quo ſe ipſum offerret in Sacrificium illud, ſuorum Miniſtrorum officio celebratum; ergo oblatio interna ſummi Sacerdotis non eſt per ſe connexa cum externa oblatione ab ipſo Sacerdote ſummo per ſe exercenda. De facto quidem Chriſtus actiones etiam exteriores illius primi Sacrificij voluit per ſe exercere, idque congruum fuit, vt ipſe ſolus Author tanti Sacrificij oſtenderetur, ob quam quoque rationem non niſi poſt conſummationem Sacrificij, Diſcipulos ſuos Sacerdotes inſtituit, qui deinceps illud offerrent. Cæterum quod potuiſſet Chriſtus, toto miniſterio externo relicto Apoſtolis, ſuam internam oblationem verè ſacrificalem habere, qualem negat nunc P. Vaſquez in Sacrificiis Eccleſiæ quotidianis intercedere ex parte Chriſti, nullo modo diffiteri poteſt P. Vaſquez. Quia tunc non militabant rationes generales, ob quas negat nunc à Chriſto etiam Sacrificium offerri, nimirum, quia ſequeretur, quod nunc Chriſtus pro nobis oraret, & mereretur; nam illa nocte adhuc erat in ſtatu, & orandi, & merendi pro nobis. Nulla ergo ratio tunc obſtabat, quo minus Chriſtus internam tantum oblationem in eo Sacrificio per ſe, & immediatè exerceret.

XIII. *Quomodo potuiſſet Chriſtus primum Cœnæ Sacrificium celebrare.*

Atque hoc ſatis eſt, vt oſtendamus ſummum Sacerdotem noſtrum Chriſtum Ieſum, etiam ſi non immediatè, & proximè concurrat ad exteriorem actionem Sacrificij ſui, ſicut in Cœna; poſſe tamen concurrere, ſicut potuiſſet in Cœna actuali oblatione tantùm interna.

XIV. *An, & quomodo Chriſtus cõcurrat vt offerens.*

Ex quo contra ſecundum illud pronunciatum progrediens dico. Actionem exteriorem eſſentialem Sacrificij noſtri, tanquam à ſua cauſa adæquata in genere moris, pendere non ſolum ab effectu Religionis interno Miniſtrorum, ſed etiam, & quidem principaliter ab effectu Chriſti, tanquam ab effectu vnius totalis offerentis.

XV. *Concurſus merè internus non eſt Sacerdotalis.*

Verum quod Chriſtus interno tantum actu concurrens habeat veram, ac propriam rationem offerentis, videtur res valde dubia, quia nemo per actum merè internum participare poteſt veram, ac propriam rationem offerentis; quod vt probè intelligamus, proponamus nobis ob oculos conſuetudinem illam receptam ab Eccleſia, per quam, vt loquitur S.Th.qu.82.art.2. Sicut Apoſtoli cum Chriſto cœnarunt, ita recens ordinati Sacerdotes cum Epiſcopo ſimul cõſecrant, immò quod ſolitum aliquando fuiſſe in Eccleſia Romana, refert Innocentius tertius lib. 4. de Myſt. Miſſ. cap. 25. vt nimirum ſummo Pontifice Miſſam publicè celebrante, Preſbyteri Cardinales omnes ſimul cum ipſo conſecrarent: proponamus, inquam, nobis Summum Pontificem volentem cum omnibus Preſbyteris Cardinalibus ſimul celebrare, ſed de facto nullum actum externum exercentem quoad conſecrationem, vel quamcumque aliam ſacrificalem actio-

nem concurreret, ſed totum ſuum actum interno adorationis affectu conſummantem. Certè in tali caſu Pontifex Sacrificium Eccleſiæ non celebraret. Quemadmodum nunc non dicitur propriè celebrare, quando vni Cardinali Preſbytero celebranti, publicè adeſt cum reliquis Cardinalibus. Sufficit quidem præſentia illa, & actualis cultus, vt offerens aliquo modo dicatur, & ſit, eo videlicet modo, quo dicuntur, & ſunt offerentes, qui ſacro interſunt, vel qui cauſa ſunt, vt Sacrificium aliquod fiat, ſiue hortando, ſiue rogando, ſiue iubendo. Sed hoc, eſt eſſe offerentem ſicut Eccleſiam, non ſicut Sacerdotem; Eccleſia verò licet offerat, non tamen propriè ſacrificat, vt rectè aduertit Bellarminus lib. 2. cap. 4. quia non ipſa per ſe exercet actum Sacerdotalem, ſed tantum offert Sacerdoti rem ſacrificandam, aut curat fieri Sacrificium, aut certè conſentit in Sacrificium, & voluntate, ac deſiderio offert, cum Sacerdos offert. Itaque Pontifex dum illo modo intereſt ſacro, non offert tanquam Sacerdos, ſed tanquam populus, ſeu Caput Chriſtiani populi, atque adeo offert per Sacerdotem illum celebrantem, tanquam per ſuum Superiorem in illo actu; Sacerdos enim, quatenus talis maior eſt reliquo populo cum ſuo etiam Capite quippe qui, vt mediator quidam pro populo cum ſuo Capite, apud Deum intercedit. Cum ergo ſupponamus in caſu noſtro Chriſtum Dominum nullo pacto concurrere ad actiones exteriores ſacrificales, videtur ſequi per illum actum oblationis internæ, non facere cum ſuis membris, vnum in ratione Sacerdotaliter offerentis ad eum modum, quo Pontifex, illo modo aſſiſtens, ſi internum tantùm actum habeat, facit quidem vnum cum offerentibus, tanquam Eccleſia, non verò tanquam Miniſtris.

XVI. *Neque omnis concurſus externus ad Sacrificium eſt Sacerdotalis.*

XVII. *Eccleſia offert per Sacerdotem vt per Superiorem.*

XVIII. *Solus Chriſtus poteſt habere concurſum Sacerdotalem merè internum.*

Huius objectionis doctrina, ſicut ſuggerit ſolutionem, ita mirifice explicat concluſionem. Eſt autem tota diſparitas petenda ex differentia inter Sacerdotem principalem, & Sacerdotem purè miniſterialem. Nam quilibet Eccleſiæ Sacerdos, ſiue ſit ex minoribus, vt ſunt ſimplices preſbyteri, ſiue ex majoribus, vt ſunt Epiſcopi, ſiue ſit Maximus, vt eſt primus Epiſcopus, & Epiſcopus Epiſcoporum, viſibile Caput Eccleſiæ, Romanus Pontifex; omnes hi ſunt Sacerdotes purè miniſteriales, hoc eſt ſunt puri Miniſtri Sacroſancti, ac Diuini Sacrificij externi inſtituti à Chriſto; ergo ad hoc vt concurrant tanquam Sacerdotes, oportet, vt exerceant miniſterium, quod in illo officio exteriori conſiſtit, & quia Summus Pontifex illo modo aſſiſtens, & offerens nullum exercet miniſterium, ideo nullo modo concurrit vt Sacerdos, quia non alio modo eſt Sacerdos, niſi tanquam Miniſter. At verò quia Chriſtus eſt Sacerdos principalis ſuos habens Miniſtros, non eſt neceſſe, vt ipſe per ſe exerceat quod pertinet ad externum miniſterium, quia actus proprius principalis ex natura ſua diſtinguitur à miniſteriali, & quamuis poſſint conjungi, vt nimirum principalis exerceat per ſe actum ſuorum Miniſtrorum, vt fecit Chriſtus in Cœna, hoc tamen non eſt neceſſarium, neque vt ſic fieret deinceps in Eccleſia erat expediens. Explicemus rem exemplo. Quando Epiſcopus celebrat cum Miniſtris, poteſt omnino ceſſare ab omnibus actibus, qui ſunt proprij ſuorum Miniſtrorum, neque per hoc quod ceſſat ab illis, ceſſat ab exercitio ſui muneris principalis reſpectu ſuorum Miniſtrorum, tamen quia in illo ipſo, in quo eſt principalis reſpectu illorum, eſt verus, & purus Miniſter Chriſti, ideo non poteſt ſimpliciter ceſſare ab omni actu exteriori; hoc ipſo

ipso enim cessaret ab omni ministerio, atque adeo non celebraret. At verò Christus quia absolutè respectu omnium actuum ministerialium est principalis, potest sine proprio, ac immediato ministerio principaliter sacrificare.

Ecce tibi totam disparitatem, cur Christus propriè, & verè Sacrificium externum offert per actum tantùm internum, Minister verò non offert, quia nisi hic concurrat ritè ad actum externum, omittit totum actum Sacerdotij sui, quod est essentialiter ministeriale; at verò si Christus non exerceat per se actionem vllam externam, nullum omittit actum necessarium Sacerdotij sui, quod non est ministeriale. Ex eo autem quod Sacerdotium Christi ministeriale non est, sequitur, vt exerceri perfectissimè possit per actum immediatum, qui sit tantùm internus, & possit in tali actu saluari tota ratio oblationis sacrificalis, quod fatentur communiter Authores in Sacrificio Crucis, cuius verus Sacerdos fuit Christus. XIX. *Disparitas inter Christum, & alios offerentes.*

Quomodo, inquiunt, Christus propriè in Cruce Sacrificium consummauit, si actum verè sacrificalem non exercuit; nam qui propriè sacrificat, debet ad honorem Dei rem aliquam ita offerre, vt ad eum finem ipsam etiam conficiat, seu immutet, & destruat: at Christus Dominus non ita se ipse in Cruce obtulit, si quidem non interfecit se ipse.

Ad hanc difficultatem communior, & solida responsio, quam insinuauit S. Thomas quæst. 48. art. 3. ad 1. & sequitur noster Valentia disp. 1. quæst. 22. de Christi Officiis, puncto 4. illa est, ad rationem Sacrificij non esse determinatè necessarium, vt ille ipse, qui rem offert, exerceat ad extra actionem destructiuam, sed satis est si offerat quod in Dei honorem destruitur, siue idem ipse rem conficiat, & destruat, siue alius hoc ministerium exerceat ipso volente, & acceptante, vt acceptauit Christus illatam sibi mortem. Quod paucis expressit S. Leo Serm. 10. de Passione, cum ait: Admisit in se impias manus furentium, qui dum proprio incumbunt sceleri, famulati sunt Redemptori. XX. *Et patet in Sacrificio Crucis.*

Sentiunt ergo Doctores in Sacerdote Principali internum actum sufficere ad rationem propriè offerentis, & se sacrificantis, quod si locum habuit in Cruce, multo magis habebit in Altari, vbi ex eodem fine Religionis, facit Christus vnum cum suis Ministris ab ipso institutis. Vtrum autem Christus sicut in Cœna, ita in Cruce aliquam actionem sacrificalem externam per se, & immediatè exercuerit, disputabimus infra. Existimo enim nullo modo posse consistere Sacrificium propriè dictum sine aliquo sacro ministerio, ritu mystico celebrato; quamuis non sit necessarium, vt tale ministerium ab ipso principali celebrante, & offerente exerceatur, & exterius consumetur.

Hic cogitur P. Vasquez explicare quomodo Christus in quotidiano Ecclesiæ Sacrificio, si actu, & proximè illud non offert, & vt ipse pluries ait, ab officio hoc offerendi planè nunc vacat: cogitur, inquam, explicare quomodo huius Sacrificij sit verus offerens; nam quod Christus verè sit offerens, docet Trident. Sess. 22. cap. 2. vbi ait: *Idem nunc offerens*, Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, quod prius definitum fuerat in Concilio Lateranensi in c. firmiter, vbi dicitur Christum in hoc mysterio esse simul Sacerdotem, & Sacrificium. Ait igitur P. Vasquez citato cap. 3. art. 21. Christum Dominum esse huius Sacrificij offerentem; quia illud instituit, & iussit offerri, & sua institu- XXI. *Quomodo Christus est offerens.*

tione virtutem illi tribuit ratione ſuorum meritorum, & mortis, vt ex opere operato ſicut Sacramenta, in illis, pro quibus offeretur aliquid efficeret, tum etiam, vt per modum cauſæ impetratiuæ aliquid etiam pro illis obtineret. Sic ille.

Verùm quod hæc tantum ſufficiant non ſolum ad ſimplicem, & abſolutam denominationem offerentis, ſed etiam ad ſaluandam virtutem propriam huius

XXII. *Ad habitudinem offerentis non ſatis eſt inſtitutio.*

Sacrificij difficile admodum mihi eſt. Et primo. Inſtitutio, qua Chriſtus voluit, vt hoc Sacrificium in Eccleſia offerretur. Si per ſe ſola ſpectetur, non eſt ſufficiens, vt Chriſtus dicatur ſimpliciter offerens, quia vt rectè ait P. Suarez diſp. 77. Sect. 1. Habitudo offerentis valde diuerſa eſt à ratione, & habitudine inſtituentis, & hæc eſt omnino ab illa ſeparabilis, nam quemadmodum Deus inſtituit vetera Sacrificia, neque tamen propterea fuit offerens in illis, ita Chriſtus potuiſſet Sacrificium Eccleſiæ inſtituere, non vt homo erat, ſed vt Deus, in quo caſu, ita qua Deus, fuiſſet inſtitutor, vt qua Deus, non fuiſſet offerens, ſeu oblator; cum ad rationem offerentis neceſſaria ſit minoritas, & inferioritas reſpectu eius, cui Sacrificium offertur, quæ ſanè non eſt in Chriſto, vt Deus eſt.

Fatetur P. Vaſquez cap. 4. v. 25. Non omnem inſtitutionem ſufficere ad denominationem offerentis, ſed tamen, quæ fit à Sacerdote, vt nomine illius cæteri Miniſtri offerant, eam contendit planè ſufficere. Hoc ipſo enim quod Inſtitutor Sacerdos eſt, hoc ipſo, vt talis Deo inferior eſt.

Hæc tamen reſponſio infirma adhuc eſt, quia quod Inſtitutor fuerit Sacerdos, hoc ſolum probat conjungi nimirum in illo poſſe vtramque habitudinem, & inſtituentis, & offerentis, quia ratione inferioris naturæ, ſecundum quam Sa-

XXIII. *An ratio offerentis inferri poſſit ex verbis Inſtitutionis.*

cerdos eſt, non eſt incapax habitudinis offerentis; at quod illam de facto habeat Chriſtus, hoc ſanè non probat. Neque verò ex verbis inſtitutionis habemus Chriſtum iuſſiſſe, vt ſuo nomine offerrent, ſed offerrent in ſui commemorationem: hoc autem non addit in ſic inſtituente, & mandante habitudinem offerentis, ſed præcisè habitudinem exemplaris, ſeu rei repræſentatæ per Sacrificium, quæ omnino etiam eſt extra rationem offerentis. Neque ſi dixiſſet: hoc facite nomine meo, adhuc ſatis eſſet ad habitudinem Sacerdotaliter offerentis; quia non quicumque victimam tradit Sacerdoti, vt eam ſuo nomine offerat, hoc ipſo habet habitudinem Sacerdotaliter offerentis, vt patet in populo hoc modo offerente, in quo etiam, qui habent dignitatem Sacerdotalem per traditionem illam victimæ, ſuo nomine offerendæ, non offerunt vt Sacerdotes, ſed vt populus. Immò addit P. Vaſquez cap. 3. iuxta finem numeri 20. Quod licet in populo, qui dedit victimam ad Sacrificantem, & iuſſit eam immolari perſeueret interdum voluntas, qua illam offert ſimul cum Sacerdote pro illis, pro quibus iuſſit offerri, tamen in Chriſto, inquit talis affectus nunc concedendus non eſt ſimul cum affectu Sacerdotis; nam ſicut nunc non conuenit ei affectus orationis pro nobis, ita neque affectus offerendi pro nobis. Hæc ille. Explicandum ergo adhuc magis eſt, quomodo antiqua inſtitutio ſine vllo præſenti affectu offerendi ſatis nunc ſit ad veram, & formalem habitudinem offerentis, qualis in hoc Sacrificio ex parte Chriſti requiritur.

Propter hoc fortaſſe addidit P. Vaſquez. Illud de valore, & virtute tributa Sacrificio ex antiqua Chriſti inſtitutione ratione ſuorum meritorum, & mortis.

Sed iam, & huic responsioni occurrerat P. Suarez, quia quamuis tota virtus, & efficacia huius Sacrificij in merito Christi fundetur, hoc tamen neque sufficit ad rationem offerentis. Nam similem efficaciam, & virtutem potuisset dare huic Sacrificio Christus, vt Deus erat, ex sola voluntate Diuina, in quo casu talis institutio nihil adderet ad habitudinem offerentis: & meritò quidem, quia efficacia, siue sit ex meritis, siue ex mera voluntate, magis respicit effectum Sacrificij, qui est aliquid illi secundarium, & extrinsecum, quam oblationem ipsam, in qua ratio Sacrificij consistit; ergo quod oblatio ipsa habeat efficaciam operandi ab ipso Christo, non satis est vt propterea dicamus ab ipso offerri.

XXIV. *Ad habitudinem offerentis non sufficit cõmunicatio virtutis.*

Addit tandem propterea P. Vasquez cap. 4. ver. 26. Christum dici offerentem in hoc Sacrificio, etiamsi proximè illud non offerat, quia non solum efficacitas Sacrificij ex meritis ipsius deriuatur, neque solum ipse illud instituit vtcumque, sed quia illud instituit, vt per Sacerdotes Ministros suos in sui memoriam offerretur. Facit ergo vim in eo, quod Sacerdotes nomine Christi offerant, in quo videtur iam conuenire cum P. Suarez, qui disp. 77. Sect. 1. postquam distinxisset aliqua, quæ in hoc Sacrificio possunt attribui Christo, addendum, inquit, quarto est, quod Sacerdos conficit in persona Christi, & tanquam legatus eius ipsum repræsentans, & in hoc videtur S. Thomas ponere hanc Christi oblationem, & reuera videtur sufficere, etiamsi nihil aliud intercederet, ibi enim reperitur habitudo quædam moralis ad Christum, vt ad colentem Deum, quamuis per alium, sicut qui dat eleemosynam per famulum rectè dicitur principalis donans, & licet famulus sit iniquus, si ipse est iustus, eleemosyna illa est munda apud Deum.

XXV. *An Christus sit principalis offerens per hoc præcisè quod Sacerdos offert, vt eius Minister.*

Hanc responsionem sic temperatam sequuntur recentiores communiter cum Cardinali de Lugo disput. 19. Sect. 7. vbi ait, quod vere nunc offert Christus, quia Sacerdos ex Christi institutione offert nomine Christi, quod sufficit, inquit ille, vt hæc actio moraliter loquendo dicatur actio Christi. Sicut reuerentia, quam Legatus Regius exhibet Summo Pontifici, est moraliter reuerentia Regis erga Pontificem. Sic etiam Christus per Sacerdotem, quem sibi, vt Legatum, & Ministrum substituit, exercet hunc actum reuerentiæ, & cultus erga Deum, qui consistit in oblatione Sacrificij, & ideo hæc oblatio censetur moraliter actio Christi colentis Deum per suum Ministrum.

Nos verò vt nostram sententiam explicemus magis, & quid tandem dicendum sit, statuamus, operæ pretium duximus examinare tantisper discrimen inter P. Suarez & P. Vasquez præclara lumina nostræ Theologiæ.

P. Suarez, qui scripsit hanc materiam prior, fatetur quidem ad saluandam substantiam Sacrificij, & habitudinem Christi offerentis satis esse, vt Sacerdos ministerialis conficiat in persona Christi, & vt legatus eius, addit tamen ad perfectionem huius Sacrificij pertinere, vt Christus non solum remotè hoc modo, sed proximo aliquo concursu influat in Sacrificium, quem concursum, vt explicet, præsupponit Christum per humanitatem suam physicè attingere actionem, per quam hoc Sacrificium conficitur, hoc est ipsam transubstantiationem; nam quod Christi humanitas ad omnes actiones supernaturales concurrat, vt instrumentum conjunctum, & veluti præcipuum organum Diuinitatis alibi probat; & quia non concurrit tanquam inanime instrumentum, sed per intellectum,

XXVI. *Proponitur sententia P. Suarez.*

& voluntatem: hinc eſt, vt non ſolum habeat: eo concurſu habitudinem efficientis, quæ ſola per ſe non ſufficeret (nam Deus principaliter efficit eandem actionem, & tamen non offert) ſed habere etiam poſſit habitudinem offerentis, ordinando nimirum totam illam actionem in cultum Dei, eamque Patri repræſentando in memoriam ſuæ Paſſionis, vt hominibus propitius ſit: eſt enim Chriſtus ſupremus Dei cultor, & interceſſor pro hominibus: ex eo autem, quod poſſit hoc modo ſemper offerre, quia poteſt hac intentione, & hoc affectu colendi Patrem ſemper concurrere ad conſecrationem, infert quod actu ſic offerat, & ea intentione concurrat, quia hoc eſt melius, & perfectius, magiſque conducens ad dignitatem, & valorem huius Sacrificij: quare totam ſuam ſententiam concludit his verbis. Ad exactam perfectionem huius Sacrificij,& vt omnino æquale ſit ex parte offerentis Sacrificio Crucis, & Cœnæ, oportet vt Chriſtus per ſe ipſum aliquo modo offerat, & non tantum per legatum repræſentantem, & hoc modo melius ſaluatur quod tunc exercet munus Sacerdotis Summi, & Æterni. Hæc eſt ſententia P. Suarez.

XXVII. *Proponitur ſententia P. Vaſquez.* Contra verò P. Vaſquez præter miniſterium Sacerdotum nihil prorſus admittit in Eccleſiæ Sacrificio, ideo negat primo concurſum illum phyſicum inſtrumentalem ad tranſubſtantiationem, & conſecrationem, deinde etiam illo admiſſo ſecundum habitudinem efficientis, negat omnino illum ſecundum habitudinem offerentis, & colentis. Quare in ſententia P. Vaſquez, non alio modo Chriſtus præſtat nunc cultum ſacrificalem Deo, quàm Rex longiſſime abſens, & nullo modo attendens, & cogitans, præſtat obedientiam Pontifici, quando eam Legatus præſtat, quo fit, vt licet quando Sacrificium offeratur in Eccleſia Chriſtus per poſſibile, vel impoſſibile dormiret, æquè diceretur offerre, nec minoris aut valoris, aut dignitatis eſſet Sacrificium, Chriſto ipſo non attendente, quàm attendente; immò ipſo potius mortuo, quàm viuente, id quod cap. 3. num. 21. probat hoc argumento. Quia ſi quis, inquit Apoſtolus, in triduo mortis Chriſti ſacrificaret, eiuſdem valoris, ac impetrationis eſſet Sacrificium cum eo, quod modo offertur, in quo euentu non poſſet eſſe Chriſtus proximè offerens; nam cum ex vi verborum formæ panis, ſolum eſſet Corpus Chriſti ſine anima, & ex vi verborum formæ Calicis ſolus eſſet ſanguis ſine anima, quæ in Limbum Sanctorum Patrum deſcenderat, planè non erat Chriſtus proximè offerens, tum quia iam extincto Sacerdote, non poteſt idem ipſe offerre, tum quia anima, nec propinquitatem ad Sacrificium proximè offerendum requiſitam, nec munus, & officium Sacerdotis habet, aut Sacerdotiſſæ. Hæc eſt ſententia P. Vaſquez.

XXVIII. *Examinatur ſententia P. Suarez.* Ac mihi quidem in ſententia P. Suarez diſplicent duo. Primum eſt, ad oblationem Chriſti, etiamſi nihil aliud intercederet, ſufficere, quod Sacerdos conficiat tanquam Legatus eius ipſum repræſentans. Alterum eſt, hoc aliud quod ad maiorem perfectionem de facto intercedit eſſe tantum actionem illam, qua ex affectu colendi Deum concurrit phyſicè ad tranſubſtantiationem. Ratio ob

XXIX. *Honor per Miniſtrum tátum inuoluit imperfectionem.* quam diſplicet primum, illa eſt. Quia ille modus honorandi tantùm per Miniſtrum, & Legatum repræſentantem inuoluit neceſſario, & præſupponit aliquam imperfectionem in ipſo honorante principaliter, vel impotentiæ, vel irreuerentiæ, nam vel honorat per Miniſtrum tantum ex neceſſaria quadam abſentia,

& distantia sui suppositi, & hoc reducitur ad imperfectionem alicuius impotentiæ. Vel honorat per Ministrum tantùm sine vlla ad magis honorandum impotentia, & reducitur ad irreuerentiam. Et quidem in Christo Domino nullum habet locum impotentia ex absentia, quia in loco ipso ad hunc publicum Sacrificij honorem destinato, qui est Altare, ipse necessario secundum suam humanitatem adest, vt exerceat munus Victimæ; ergo, si posita reali præsentia, nulla obstat ad maiorem honorem præstandum impotentia hoc ipso intercedet irreuerentia.

P. Vasquez facile se ab hac difficultate explicaret, quia docet Christum Dominum non esse nunc in statu, neque orandi, neque offerendi, atque adeo nec Deum sic honorandi pro nobis, quo fit, vt dum per Ministrum tantùm honorat, citrà irreuerentiam honoret, quia honorat quantum suum statum decet, atque adeo quantum potest. At verò P. Suarez apertè concedit Christum esse in statu, hoc etiam modo Patrem honorandi, immò propter hoc concedit de facto concursum illum actualem; & immediatum Christi cum actuali affectu offerendi, quia, inquit, quamuis honor à Rege per suum Legatum exhibitus, habeat quandam specialem dignitatem à persona Regia, tanquam à principali honorante per suum Ministrum, multum tamen secundum moralem existimationem adderetur, si Rex per se ipsum, vt posset, concurreret. Cum ergo in sententia P. Suarez absolutè possit, difficile est explicare qua ratione maior ille honor præsenti statui possibilis, sine vlla irreuerentiæ, immò etiam magnæ injuriæ nota omitti possit. Certè quod in simili proposito notauit Bellarminus lib. 1. cap. 21. Inter homines, si quis Regi non tribueret titulum honoris, qui solis conuenit Regibus, maiestatem videlicet, etiamsi conseruaret omnes inferiores titulos, non modo Regem non honorare, sed etiam contumelia afficere iudicaretur. Postulat quidem prorsus status Ecclesiæ, vt Christus in Altari offeratur sub specie non propria, sed aliena propter exercitium fidei, & ob eandem rationem offeratur ministerio externo alieno, non externo proprio, sed contra hunc statum non est vt oblatio interior, non solum sit propria Ministrorum, sed etiam principalis offerentis. Immò quemadmodum ab omni ratione alienum, ita omnino in intelligibile videtur, vt Christus ex officio Sacerdos, præsens in Altari, affectus ad offerendum, habens quod offerat, & Ministris suis ex sua institutione ministerialiter offerentibus per illos tantùm, & non quoque cum illis offerat. Quid in sententia P. Suarez cohonestare potest omissionem huius actualis, & immediati cultus ex parte offerentis principalis? quod si nihil est huiusmodi assignabile, non erit profectò illi sic opinanti integrum dicere, etiamsi nihil aliud intercederet, sufficere ad oblationem Christi, si Sacerdos offerat, vt Legatus illum repræsentans. Quia supremus Cultor in functione omnium maxima summi cultus, quod spectatis omnibus potest, omnino debet, vbi autem Christus debet, eius debiti oppositum nequaquam potest.

XXX. *Christus non potest offerre per Ministrum tantum.*

Alterum quod in sententia P. Suarez displicebat, erat ille concursus instrumentalis influens in transubstantiationem allatus ab illo tanquam sufficiens ad declarandam oblationem Christi. Quamuis enim talis concursus ponatur procedere in Christo ex affectu Religionis colendi Deum, ille tamen, vel est parum pertinens, vel certè omnino antecedens ad oblationem sacrificalem, de qua hîç

XXXI. *Concursus ad consecrationem nihil facit ad oblationem.*

loquimur. Nos enim hic loquimur de illo actu oblationis, quo se Christus in Altari offert se ipsum in aliena specie consumendum, & destruendum in honorem, & cultum Dei, ad eum modum, quo in Ara Crucis se consumendum, & destruendum obtulit in propria specie: huiusmodi autem actus oblationis præsupponit ex sua natura existentiam Sacerdotis, & victimæ sicut naturalem in Cruce, ita Sacramentalem in Altari; erga parum pertinenter se habet ille concursus ad oblationem, vel certè se habet antecedenter. Sicut enim actus, quo se Christus obtulit in Cruce inchoatus, vt alibi ostendimus ab ipso instanti suæ existentiæ naturalis præsupponit tanquam quid antecedens omnem concursum ad illud esse naturale, ita actus quo se offert in Altari, qui planè inchoatur ab ipso instanti suæ existentiæ Sacramentalis præsupponit tanquam quid antecedens omnem concursum ad esse Sacramentale; nec refert quod concursus ad esse Sacramentale possit ab humanitate Christi, quæ est in Cœlo procedere cum affectu colendi Deum, & offerendi, quia ille concursus præuius, siue habeat habitudinem efficientis tantùm, siue etiam offerentis nullo modo influit in oblationis actum, qui à iam existente in Altari procedit; ideo dixi parum pertinenter se habere ad oblationem, de qua hîc loquimur. Et ratio à priori est, quia oblatio sacrificalis Sacramentalis est actus Christi Sacramentaliter existentis iam ex vi omnium suarum causarum. Quare illa habitudo, quam excogitauit P. Suarez non est Sacerdotaliter, & Sacramentaliter offerentis, quia non est ab existente Sacramentaliter, atque adeo non solum est antecedens, sed merè impertinens ad Sacrificium Eucharisticum. Neque verò putandum est, Christum existentem in Cœlo in propria specie, fungi, & exercere officium Sacerdotis, existentem verò in Altari, fungi officio solius victimæ. Sec sicut officio victimæ non fungitur nisi in Altari; ita non nisi in Altari fungitur actuali officio, & exercitio Sacerdotis, quia cum Christus sit simul victima, & Sacerdos: & non aliter exerceat hanc oblationem Sacerdotalem, nisi quia cum sit victima voluntaria, offert se ipsum; hinc est, vt in eodem loco, & sub eodem esse, sub quo est victima offerens se ipsam, sit huius Sacrificij Sacerdos. Ideo etiam si Christus non haberet existentiam in Cœlo, eodem modo immutato offerret in Altari, vt Sacerdos. Sicut etiam si Christus habuisset alibi existentiam tempore Passionis, eodem itidem modo, se vt Sacerdos obtulisset in Cruce, quia quæcumque alia præsentia Sacerdotis extrà Altare, materialiter se habet ad Sacrificium.

XXXII. *Christus exercet officium offerentis sub aliena specie.*

Cum ergo P. Suarez concedat Christum esse adhuc in statu offerendi se ipsum Sacerdotaliter in Sacramento, & talis oblatio præsupponat totum esse Christi Sacramentale, non debet totam hanc Christi oblationem explicare per concursum illum remotum, & ordinatum tantùm proximè ad ponendam primam existentiam Sacramentalem. Vt nihil interim dicam de illo genere concursus instrumentalis, de quo alibi. Hæc ferè habui contra opinionem P. Suarez.

XXXIII. *Examinatur Sententia P. Vasquez.*

Veniamus ad P. Vasquez, in cuius opinione illud præcipuè restat examinandum, an eiusdem planè valoris esset Sacrificium, in quo Christus proximè, & actu offert, quod nos asserimus, cum Sacrificio, in quo Christus proximè, & actu non offerret sed remotè tantùm, & ratione solius institutionis. Contendit ipse eiusdem esse valoris vtrumque, & probat exemplo illo de Sacrificio oblato in triduo mortis Christi, in quo licet Christus, vtpote mortuus non offerret actu

tale Sacrificium, esse tamen illud æquale in dignitate & valore Sacrificiis; quæ nunc offerruntur. Vnde tandem infert actualem, & proximam Christi oblationem esse superfluam, quia, inquit, nihil deseruiret ad maiorem impetrationem, & valorem huius nostri Sacrificij. Sed videamus quantum probet hoc argumentum.

Assumit hîc primo Vasquez, Apostolum ordinatum in nocte Cœnæ Sacerdotem, potuisse in triduo mortis Christi sacrificare. Hoc assumptum est falsum. Primo, quia fortasse Apostoli non habuerunt ad conficiendum pro illo triduo potestatem. Habuerunt quidem in illo, seu potius ante illud, sed non habuerunt pro illo. Hoc autem patet, vt rectè notauit Gloss. in c. timorem de Consecrat. dist. 2. Quia, inquit, sic data est forma, vt post Resurrectionem hoc fieret: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quò etiam spectat quod docuit S. Thomas 3. par. quæst. 73. art. 5. ad 3. quod scilicet Sacrificium istud fuit institutum in Cœna, vt in futurum esset memoriale Dominicæ Passionis, ea perfecta. Vnde, inquit, signanter dicitur: *Hæc quotiescumque feceritis*, de futuro loquens. Habuerunt quidem Apostoli characterem Sacerdotalem ab initio, & consequenter potestatem Sacerdotalem: Character enim, vel non distinguitur ab ipsa potestate Sacerdotali, vt docent Thomistæ in 3. parte quæst. 63. art. 4. & 5. Vel est signum perpetuum habens connexionem cum potestate Sacerdotali, vt videntur alij sentire. Quare communiter sententia Theologorum fert: sicut manet Character in anima Sacerdotis post mortem, ita etiam manere illam potestatem; & si iterum mortali corpori diuinitus per resurrectionem vniatur, non esse necessariam nouam ordinationem, vt docet exprefsè S. Thomas in cap. 11. Epistolæ ad Hebr. Quamuis, inquam, ab initio Characterem, & potestatem indelebilem, & inextinguibilem acceperunt Apostoli, tamen sicuti si resuscitaretur nunc aliquis ex illis ad statum vitæ immortalis, & gloriosæ, non posset consecrare, eo quod vsus prædictæ potestatis ex voluntate Dei, solum est concessus Viatoribus pro statu præsentis vitæ mortalis, vt docet cum communi Turrianus par. 2. disput. 10. dub. 2. Ita quia vsus eiusdem potestatis concessus fuit Apostolis pro tempore post Resurrectionem Christi, immò fortasse etiam post Ascensionem. Vnde vt notat Augustinus, hoc Sacrificium est Sacramentum memoriæ Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Christi. Ideo ex limitatione inclusa in verbis ipsis institutionis, & ordinationis, non potuissent ante concessum tempus consecrare.

XXXIV. *Apostoli non habuerunt potestatem celebrandi pro triduo mortis Christi.*

XXXV. *Ex limitatione inclusa in verbis Institutionis.*

Secundo idem assumptum est falsum, quia ad Sacrificium ministeriale offerendum, quale est Sacrificium nostrum, necessario requiritur existentia Sacerdotis principalis, quamuis autem P. Vasquez doceat Christum non offerre proximè, & actu, atque adeo omnino cessare nunc ab exercitio offerendi, non negat tamen, immò docet exprefsè cum Conciliis, & Patribus, Christum esse principalem offerentem; quatenus Apostoli, eorumque Successores potestatem ad offerendum, & consecrandum acceperunt nomine Christi, vt Ministri, vt Substituti, & Mandatarij ipsius, per quos, tanquam per organa, & instrumenta sua Christus ipse loqueretur, & offerret. Hoc inquam non negat P. Vasquez, neque alius Doctor Catholicus, quod sciam. Atqui ex hoc sequitur non potuisse in triduo mortis Christi, Apostolum quempiam sacrificare, quia in illo

XXXVI. *Ex defectu principalis offerentis.*

triduo non existebat principalis, cuius nomine offerret, & cuius verbis loqueretur. Nam Christus, qui erat principalis Sacerdos, in illo triduo mortis non erat; anima verò, quæ separata in Limbo manebat, Sacerdos non erat, aut Sacerdotissa, vt sentit, & loquitur P. Vasquez. Cuius ergo nomine Substituti, & Mandatarij offerrent, & loquerentur.

XXXVII. *Ex defectu integræ Victimæ.* Tertio constare potest falsitas eiusdem assumpti, quia ex dictis de natura, & essentia Sacrificij, victima principalis debet necessario habere qualitatem capitis aliquo modo homogenij respectu creaturarum omnium, etiam Angelicarum, alioquin non posset fieri solemnis professio, & protestatio qualis in Sacrificio fieri debet, quod Deus solus est, & præter Deum nihil est. At verò in illo triduo mortis, victima Sacrificij non potuisset habere qualitatem capitis aliquo modo homogenei respectu omnium creaturarum, & præsertim Angelicarum, quia ita ex vi verborum vtriusque consecrationis veniret sub duplici separata specie Corpus, & Sanguis, vt in neutra veniret anima, quæ à corpore, & sanguine realiter separata mansit in Limbo. Esset ergo victima non integra, quippe necessario carens anima, ratione cuius habet Christi humanitas qualitatem capitis homogenei in natura generis respectu Angelorum, vt docet S. Thomas quæst. 8. art. 3. ex quibus omnibus conficitur, Apostolos non solum ex defectu Sacerdotis principalis, sed etiam ex defectu integræ victimæ non habuisse potestatem ad offerendam pro illo triduo.

Sed quoniam illa hypothesis tolerari à Theologis solet ad indagandam aliquam veritatem: Esto habuerint etiam pro illo triduo potestatem, & obtulerint Sacrificium; vnde probat P. Vasquez in eo euentu Sacrificium illud oblatum æqualis valoris, ac impetrationis futurum fuisse cum eo, quod modo in Ecclesia offertur? immò ex nostra doctrina manifesta consurgit ratio, ob quam illud multo minoris valoris, & impetrationis fuisset; licet enim vtrobique res oblata, fuisset infiniti valoris, quia non minus humanitas, quæ nunc est integra victima nostri Sacrificij, quàm corpus, & sanguis sine anima, quæ fuisset victima illius alterius Sacrificij subsisteret in eadem persona infinita Verbi Diuini, tamen vt rectè notat Bellarminus lib. 2. cap. 4. Sacrificium propriè non consistit in re oblata, sed in illius oblatione: Sacrificium enim est actio non res permanens, vt patet ex illius definitione. Ad indagandum ergo, an duo Sacrificia sint eiusdem valoris, oportet videre, an oblatio vtriusque sit eiusdem valoris: porrò in Sacrificio illius tridui valor oblationis non potuit esse nisi finitus, quia cum Primogenitus omnis creaturæ mortuus esset, non erat in Mundo Sacerdos in cuius persona posset Minister offerre. At verò quia in nostro Sacrificio Sacerdos Christus adest, qui ex nostra sententia proximè, & actu offert; hinc est, vt ex oblatione Christi principali, & nostra ministeriali integretur vna totalis oblatio continens valorem infinitum. Quare falsum est, quod iterum assumit P. Vasquez, actum Christi nunc esse superfluum, quia non deseruiret ad valorem impetrandi infinitum: nam quamuis Christus nunc non sit in statu neque merendi de nouo, neque satisfaciendi, est tamen in statu de nouo impetrandi, quo fit vt illa noua oblatio actualis Christi afferat quotidiano Sacrificio nouum semper valorem infinitum; & ratione illius, Sacrificium nostrum omnino æquale sit Sacrificio quod Christus ipse in Cœna obtulit, iuxtà id, quod docet S. Chrysost. Homil. 2.

XXXVIII. *Sacrificium in triduo mortis esset minoris valoris.*

Homil. 2. in Epist. 2. ad Timoth. Sacra ipsa oblatio cuiusuis meriti Sacerdos illam offerat; eadem est, quam dedit Christus; *nihil habet ista quàm illa minus.* Nota, quod non dicit Chrysostomus, sacra ipsa res oblata, sed sacra ipsa *oblatio*, in qua propriè Sacrificium consistit; & de oblatione sic accepta ait: *Nihil habet ista, quam illa minus.* Quod si ab oblatione hac nostra auferatur pars actualis oblationis Christi, vt vult P. Vasquez, profectò multum habet ista, quam illa minus; sed de valore nostri Sacrificij instituetur disputatio inferius ex professo. Ex qua noua desumi poterunt argumenta ad hoc ipsum quod hîc statuimus probandum, & confirmandum.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum Christus per preces, quæ in Missa fiunt Mediatorem agat.

XXIV. *Oratio imminutionis in Sacrificio.*
XXV. *Secunda ratio ex parte Christi.*
XXVI. *Tertia ratio ex parte nostra.*
XXVII. *Ecclesia non solum orat ipsa propter Christum, sed etiam per Christum.*
XXVIII. *An possimus dicere: Christe ora pro nobis.*



XTORQVET hanc à me quæstionem Simeon Thessalonicensis Episcopus de Mysteriis Ecclesiæ cap. 45. cuius testimonium refert noster Franciscus Turrianus lib. 8. Constitutionum Apostolicarum Clementis cap. 15. v. 5. Existimare, inquit, Christum per preces, quæ in Missa fiunt semper Mediatorem agere, plenum est blasphemia, & absurditate & quidem huius ego Authoris verba non magni facerem, cum nouerim suspectæ fidei fuisse apud Catholicos, qui controuersias contra Orientalium errores ediderunt, vt testatur de Lugo disput. 19. de Sacram. Sect. 7. tamen quia illiús tum authoritatem, tum sententiam, tum verba acriter tuetur P. Vasquez, qui nec paucos, nec ignobiles suæ habere solet sententiæ Sectatores; ideo nos, ne quid ad nostrum Institutum pertinens negligamus, hanc astruimus assertionem.

I. *Christus in Altari per preces quæ in Missa fiunt agit actu Mediatorem.*

Assertio, & explicatio. Quamuis multipliciter mediatio sumi possit, vnde plenum Mediatoris Officium explicatur, hoc tamen loco eius significationem, & acceptionem restringimus ad mediationem illam, quæ propriè fit orando, & supplicando vni parti pro altera. Qua etiam mediatione Christum esse nostrum Mediatorem ex pluribus Scripturæ locis constat, & præcipuè ex 1. Canon. S. Ioannis cap. 2. vbi dicitur. *Aduocatum habemus apud Patrem*, hoc est obsecratorem, & Mediatorem seu intercessorem. Hæc enim est maxime propria significatio illius vocis, ait P. Suarez disp. 45. Sect. 2. & sola illa, Ioannis intentioni quadrat; excitat enim, & animat peccatorem, quoniam Aduocatum habeat apud Patrem Iesum Christum iustum, quam vim probè intelligens S. Cyprianus Epist. 8. Habemus, inquit, Aduocatum, & Deprecatorem Iesum Dominum Deum nostrum. Loquendo ergo de hac mediatione, dicimus Christum illam nunc in Missa exercere, & quidem per preces, quæ in ea fiunt, eas videlicet pro nobis offerendo. Probamus autem hoc pacto.

II. *Probatur ex officio Sacerdotis.* Christus in Altari agit verè, & propriè Sacerdotem; ergo etiam per preces, quæ in Missa fiunt agit verè, & propriè Mediatorem. Antecedens vltrò admittitur ab Aduersariis. Consequentiam probo tripliciter. Et primo ex connexione huiusmodi mediationis per preces cum officio Sacerdotis iuxtà doctrinam S. Thomæ quæst. 22. art. 1. vbi hæc habet: propriè, inquit, officium Sacerdotis est, esse Mediatorem inter Deum, & populum, in quantum scilicet Diuina populo tradit, & in quantum præter Sacrificium, preces populi Deo offert. Nomine autem precum populi, primo, & potissimo loco intelliguntur preces, quæ fiunt in Missa, quæ sunt preces publicæ Ecclesiæ, seu populi Christiani, cuius videlicet Sacerdos, & Mediator est Christus. Porrò est tanta connexio inter esse

hoc modo Mediatorem, & Sacerdotem, vt non aliunde Christus ex officio sit Mediator, nisi quia ex officio est Sacerdos. Ideo Augustinus Præfatione in Psal. 85. explicans, qua ratione Christus orat in nobis, & pro nobis. Orat, inquit, in nobis, vt Caput nostrum, *vt Sacerdos noster orat pro nobis.* Id, quod ante Augustinum dixerat Iustinus Martyr quæst. 105. ad Orthodoxos, *vt Pontifex*, inquit, *confessionis nostræ Deum pro nobis interpellat.* Quæ doctrina sine dubio est Apostoli ad Hebr. 7. vbi vtriusque officij connexio, & consequentia denotatur illis verbis: *Sempiternum habet Sacerdotium, semper viuens ad interpellandum pro nobis.*

Secundo eandem consequentiam probo, quia vbicumque Christus egit, verè, ac propriè Sacerdotem, egit quoque expressa oratione & supplicatione Mediatorem; ergo si in Altari agit quoque Sacerdotem, agit quoque per preces, quæ fiunt in illo verè & propriè Mediatorem. III. *Christus vbicumque obtulit, etiam orauit.*

Antecedens probatur recolendo duplex illud Sacrificium à Christo per se oblatum, Crucis, & Cœnæ. Et quidem Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Septem verbis cap. 19. probat testimonium illud Apostoli ad Hebr. 5. quod Christus, *in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque cum clamore valido, & lacrymis obtulit*, intelligendum esse de tempore quando in Cruce Sacrificium mortis suæ consummauit præcipuè ad illa verba. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et quamuis S. Thomas ad Hebr. 5. referat eas preces, supplicationesque ad orationem in Horto, idem tamen S. Doctor in Comment. super Epist. Iacob. cap. 4. illas agnoscit in Cruce, ibi enim docet Christum quater fleuisse. Primum in Infantia instar aliorum Infantium; deinde cum Lazarum voluit à mortuis excitare, tertio super Ciuitatem Hierosolymam, postremò in Cruce iuxtà illud, inquit, Hebr. 5. *Cum clamore valido & lacrymis.* Sed quidquid sit nunc de hoc testimonio certè ex Euangelista constat apertè, ab ipso introitu ad Altare Crucis, Pontificem nostrum preces obtulisse: *Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis* Luc. 22. Super quæ verba idem Bellarminus lib. 1. cap. 1. cum explicuisset inter inimicos, nos etiam omnes fuisse, dicente Apostolo. Rom. 5. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* Itaque, inquit, nos omnes, etiam antequam nati essemus, numerati sumus in Sacratissimo illo *Memento*, vt sic loquar, quo Summus Pontifex Christus orauit in Missa illa Sacrosanctissima, quam in Ara Crucis peregit. IV. *Orauit in Cruce.*

Hoc idem, quod proposuimus patuit in Sacrificio Cœnæ, in quo cum oblatione sui Corporis, & Sanguinis, obtulit etiam preces, supplicationesque, ideo sub initium illius Sacrificij quando accepit panem in sanctas, & venerabiles manus suas, oculos eleuauit in Cœlum, vt constanter asserunt S. Iacobus in sua Liturgia, & S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. & ex Ecclesiæ traditione est manifestum. Quod autem oculos, ad preces potissimum offerendas, eleuauerit, vel ex eo cognoscere licet; quod quoties illos eleuauit, semper ad aliquid pro nobis impetrandum eleuauit, & semper aliquid ad Patrem dixit, Ioan. 11. *Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit, &c.* & Ioan. 17. *Hæc loquutus est Iesus, & subleuatis oculis in Cœlum dixit, &c.* V. *Orauit in Cœnaculo.*

Tertio probatur eadem consequentia ex natura ipsa Sacrificij, quæ petit, vt adjungatur orationi: vt quisquis Sacrificium offert, eo modo, quo illud offert, VI. *Coniunctio Sacrificij cum Oratione.*

orare debeat pro iis, pro quibus offert. Et ratio eſt, quia Sacrificium etiam quatenus offertur à Chriſto, non ſolum eſt Holocauſtum, quod etiam Latreuticon, & honorarium dicitur, cuius finis eſt ſolus Dei cultus, atque honor, neque ſolum Euchariſticum, hoc eſt oblatum ad agendas gratias pro beneficiis acceptis, ſed quod Hæretici noſtri temporis mordicus negant, & Catholica ſemper docuit Eccleſia, eſt verè propitiatorium, & impetratorium, quod etiam definiuit Tridentinum Seſſ. 22. can. 2. vbi docet, Sacrificium Miſſæ non ſolum propitiatorium eſſe pro pœnis, ſed etiam pro culpis, nec ſolum pro culpis leuibus, ſed etiam pro grauibus. Præterea non ſolum impetratorium eſſe ſpiritualium beneficiorum, ſed etiam temporalium, & idcircò offerri poſſe, vt de facto offertur pro peccatis, pro pœnis, & pro quibuſcumque aliis neceſſitatibus. Porrò vt docet Bellarminus lib. 2. cap. 4. propria efficientia Sacrificij, etiam vt à Chriſto offertur, eſt ad modum orationis impetrare, immò vt rectè ille obſeruat, hoc eſt maximum diſcrimen inter Sacrificium Miſſæ, & Sacrificium Crucis, quatenus à Chriſto vtrumque oblatum eſt, nam Sacrificium Crucis non ſolum fuit impetratorium, ſed verè, & propriè meritorium, & ſatisfactorium; quia Chriſtus tunc mortalis erat, & mereri, ac ſatisfacere poterat: At Sacrificium Miſſæ propriè ſolum eſt impetratorium, quia Chriſtus nunc immortalis nec mereri, nec ſatisfacere poteſt. Quare ait Bellarminus, cum dicitur Sacrificium eſſe propitiatorium, vel ſatisfactorium, vel meritorium, id intelligendum eſt ratione rei, quæ impetratur, vt ſi impetret remiſſionem culpæ, dicatur propitiatorium; ſi impetret remiſſionem pœnæ, dicatur ſatisfactorium; ſi denique impetret gratiam benefaciendi, & meritum acquirendi dicatur meritorium. Cum ergo tota vis Sacrificij, etiam provt offertur à Chriſto, ſit per modum impetrationis, natura ipſa talis Sacrificij poſtulat, vt ad ſuum conſequendum fructum conjungatur orationi. Atque adeo ſi Chriſtus in Altari agit verè Sacerdotem, agit quoque vera, ac propria oratione Mediatorem. Quare concludimus, preces, quæ in Miſſa fiunt, non ſolum fieri ab Eccleſia, ſed etiam, & quidem principalius à Chriſto, neque à Chriſto per Miniſtrum tantum, ſed etiam cum Miniſtro, vt ſicut Chriſtus non ſolum per Miniſtrum, ſed ipſemet cum Miniſtro offerenti proximè, & actu offert, ita cum eodem orante, tanquam Miniſtro, quod fit per preces Miſſales, proximè etiam, & actu oret.

VII. *Efficentia propria Sacrificij.*

VIII. *Chriſtus in Altari non ſolum per Miniſtrum, ſed cum Miniſtro orat.*

At inquiunt, ſi Chriſtus hoc modo in Altari Mediatorem ageret, & pro peccatoribus per preces, quæ in Miſſa fiunt, offerendo oraret, eſſet ſine dubio talis oratio impetrationis infallibilis, atque adeo omnes peccatores acciperemus donum pœnitentiæ, quod tamen ab experientia eſt falſum. Et idem argumentum fieri poteſt de cæteris temporalibus beneficiis, pro quibus impetrandis preces publicæ in Miſſa fiunt.

IX. *Impetratio Sacrificij eſt infallibilis.*

Verè negari non poteſt, preces, quæ in Miſſa fiunt, vt à Chriſto offeruntur, vim habere infallibilem, eo quod placeant ex bonitate offerentis, & poſtulantis Chriſti, quaſi ex opere ipſius operantis. Immo hoc eſt primarium opus operatum in Miſſa habens annexam impetrationem infallibilem. Vnde doctè dixit Bellarminus, quod eſt opus operantis reſpectu Chriſti, eſſe opus operatum reſpectu Miniſtri. Et ideo ex opere operato Miſſam etiam in genere cauſæ impetratoriæ eſſe infallibilem, quod videtur docere Tridentinum Seſſ. 22. cap. 2. dum

ait, ideo per hoc Sacrificium remitti peccata etiam ingentia, quia non ſolum eſt eadem hoſtia, ſed & idem offerens, qui fuit in Sacrificio Crucis, ex quo apparet totam infallibilitatem refundi ad oblationem Chriſti in hoc Sacrificio factam ſicut in Cruce.

Ad argumentum ergo in contrarium ab experientia ductum inſiſtendo veſtigiis eiuſdem Bellarmini lib. 2. cap. 5. Reſpondemus, Sacrificium, & preces cum pro peccatoribus offeruntur, infallibiliter impetrare nouum, ac certum auxilium Diuinum, quo peccatores ad pœnitentiam perducantur, ſed illud auxilium variè operari pro varia hominum diſpoſitione. Nam ſi is, pro quo Chriſtus Miſſam offert, & orat, diſpoſitus eſt ad contritionem, efficietur in illo vi noui auxilij, contritio, quæ propriè donum pœnitentiæ eſt; ſi verò non ſit diſpoſitus, efficietur in illo homine noua quædam diſpoſitio, ſed quæ fine ſuo fruſtrabitur, ſi ille ex arbitrij libertate vocationem Dei rejiciat. Itaque non eſt mirum, ait Bellarminus, ſi peccatores non ſemper conuertantur, pro quibus Miſſæ Sacrificium offertur, cum tamen ſine dubio ſemper iuuentur. Atque hæc quidem reſponſio vera eſt, & planè conformis doctrinæ communi. De infallibilitate impetrationis Sacrificij cruenti, & orationis factæ à Chriſto in Cruce, idem enim argumentum contra illam orationem fieri poteſt. Quomodo fuit infallibilis Collecta illa, quando pro inimicis offerendo orauit, *Pater dimitte illis?* Dicendum eſt, & illam orationem fuiſſe impetrationis infallibilis modo ſuperius explicato. Vnde multis per illius orationis meritum, data eſt à Deo gratia compunctionis, & reſipiſcentiæ, inter quos illi ſunt, qui *reuertebantur percutientes pectora ſua* Luc. 23. & Centurio, qui dicebat: *verè Filius Dei erat iſte*, & plurimi, qui paulo poſt ad Apòſtolorum prædicationem conuertebantur, & confitebantur quem negauerant, & adorabant quem deſpexerant. Ex quo manifeſtum fit non eſſe neceſſarium, vt effectus Sacrificij noſtri continuò exiſtat, ſed ſolum, vt Deus auxilium, & gratiam det quando ipſi opportunum videbitur.

X. *Quomodo ſemper aliquid impetrat.*

XI. *Quomodo Oratio in Cruce fuit infallibilis.*

Hinc patet etiam reſponſio ad id, quod addebatur de temporalibus beneficiis, plures enim poſſunt eſſe cauſæ, ait Bellarminus, cur non continuò obtineantur, licet infallibilis ſit efficacia Sacrificij, nam vel ea Deus non largitur, quia non eſſe vtilia ad ſalutem æternam intelligit, atque adeo non eſſe abſolutè beneficia; vel differt, vt opportuniore tempore illa concedat. Cæterum ſemper iuuat, & aliquod impetrat Sacrificium, quod omnes tenentur dicere de oblatione, & oratione illa facta in Cruce, cuius verbum illud, *dimitte*, non ſolum referebatur ad peccata, ſed etiam ad pœnas, non ſolum æternas, ſed etiam temporales, quomodo fuit infallibilis impetratio pro liberatione pœnæ temporalis? Fuit planè ſecundum ordinem Diuinæ prouidentiæ. Et quidem cum mererentur Iudæi propter admiſſum Deicidium ſtatim grauiſſimè puniri, dilata fuit pœna tanti peccati ad annos quadraginta ex vi orationis Chriſti; & ſi interim gens illa pœnitentiam egiſſet, ſalua, incolumiſque manſiſſet. Et ſanè ratio perſuadet, quod ſi oblatio, & oratio pro peccatis dimittendis infallibiliter valet modò explicato, etiam pro aliis neceſſitatibus, quæ ex peccato ortæ ſunt valent, eodem modo, ſi verè beneficium ſit iis ipſis, pro quibus oratur, quod diuinitus interdum patefactum eſt, nam S. Gregorius Homil. 37. in Euang. & Beda 4. lib. Hiſtor. Angliæ cap. 22. ſcribunt, cum Sacrificium Miſſæ offerretur pro homine captiuo

XII. *Quomodo Sacrificium impetrat infallibiliter temporalia.*

in alia Regione posito & ignorante quid pro se fieret, eius vincula diuinitus soluebantur ipsa hora Sacrificij. Sed an bona temporalia sint fructus huius Sacrificij certi, & infallibilis examinabimus libro sequenti.

XIII. *An Oratio fuerit conjuncta cum Sacrificio Christi pro statu tantùm Viatoris.*

Contra positam assertionem objici potest, mediationem istam per preces videri conjunctam cum officio Sacerdotis, non pro quocumque statu, sed pro statu Viatoris. Vnde ex eo quod Christus nunc in Altari agat Sacerdotem, non sequitur agere hoc modo Mediatorem. Et fundamentum huius responsionis esse potest, quia Sacrificium conjungitur orationi ad finem impetrandi, & obtinendi aliquid quod adhuc non habetur, & possidetur, hic est enim finis orationis. At Christus sua oblatione, & oratione facta in Cruce obtinuit quidquid ad nostram salutem pertinens posset per totam æternitatem obtineri; ergo cessat nunc tota ratio, cur Sacrificium debeat cum oratione conjungi. Quod verò Christus omnia ad salutem pertinentia nobis in Cruce obtinuerit, patet ex Apostolo ad Heb. 9. ver. 12. *Christus per proprium sanguinem introïuit semel in sancta æterna redemptione inuenta,* ex quo loco sic argumentatur P. Vasquez, & post illum Martinus Becanus. Nemo re inuenta orat pro illa, vt inueniat, sed potius gratias agit, quod inuenerit: At Christus in Cœlo existens inuenit nostram redemptionem, quam in hac vita desiderabat; ergo non orat nunc pro nostra redemptione; tametsi in hac vita existens pro illa orauerit; cumque nomine redemptionis significentur omnia, quæ pertinent ad nostram salutem, sequitur quod Christus pro nulla re ad salutem nostram pertinente nunc orat.

XIV. *An, & quomodo negotium salutis fuit à Christo consummatum.*

Vt huic argumento respondeamus, vnum ex Scripturis animaduertimus; negotium videlicet salutis æternæ, quod est opus Christi, dici posse perfectum, & consummatum, & dici etiam posse, nondum perfectum, & consummatum. Et quidem quod negotium salutis nostræ perfectum sit, & consummatum, patet primo ex testimonio eius, qui illud perfecit, & consummauit, nam cum huiusmodi negotium illa duo opera includat, quæ injunxerat filio Pater, *Vnum* prædicationis, *Alterum* Passionis, vtrumque opus, testatus est ipse, nam absoluta vltima illa, & longissima concione habita ad Discipulos post Cœnam, pridie quam moreretur, de hoc priori opere Prædicationis dixit Ioan. 17. *Opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem, manifestaui nomen tuum hominibus*: de posteriore autem opere, quod erat Sacrificium ipsum humanæ redemptionis, antequam Caput inclinaret, & traderet spiritum, dixit: *consummatum est.* Quod perinde fuit ac dicere. Vtrumque opus consummaui, quod dedisti mihi, vt facerem, manifestaui nomen tuum hominibus, & ecce quod restabat pro iisdem hominibus tradens me ipsum oblationem, & hostiam, emitto spiritum. Atque hoc modo vniuersum nostræ salutis negotium consummatum est.

Hoc idem patet secundo. Ex pluribus testimoniis Apostoli præcipuè ad Hebræos cap. 10. *Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Et rursus. *Vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei. De cætero expectans donec ponantur inimici sub pedibus eius.* Et alibi.

XV. *Christus tempore vitæ tantùm meruit.*

Tertio ex doctrina communi omnium Theologorum, qui docent, Christum Dominum comprehensum fuisse illa generali lege à Deo statuta, vt tempus operis cuiuscumque seu meriti, sit tempus vitæ, ad quod insinuandum plures Patres citati à P. Suarez disput. 39. Sect. 3. exponunt verba illa Christi Ioan. 9.

Me oportet operari opera eius, qui misit me donec dies est, venit nox quando nemo potest operari. Quo in loco per noctem interpretantur mortem, post quam nemo meritoriè operari potest: & cum Christus loqueretur de se ipso, se ipsum sub negatione vniuersali comprehendisse aptè deducunt. Et sanè ait P. Suarez, quod Christus Dominus ab instanti mortis suæ nihil amplius vltrà, neque sibi, neque nobis meruerit, est ita certum, vt sine temeritate in dubium reuocari non possit. Propterea tanquam indubitatum semper illud supponit S. Thomas, vt quæst. 19. art. 2. ad 1. vbi ait: Et ideo quia nunc non est Viator, non est in statu merendi; & quæst. 56. & 57. vbi ait: Resurrectionem, & Ascensionem Christi, esse causam resurrectionis, & ascensionis nostræ, sed non per modum meriti: immò cum instans ipsum mortis sit extrinsecum viæ, & vitæ, atque adeo omni merito, docet S. Thomas quæst. 50. art. 6. Christum redemisse nos per mortem, vt est in fieri non vt est in facto esse. Ex quo colligit P. Suarez, Christum in instanti mortis non meruisse, sed cum vita terminatum esse meritum, eodem modo, quo ipsam vitam, quamuis quod pertinet ad formam loquendi, non displiceat mihi distinctio illa Caietani, videlicet, mortem in facto esse, sumi posse dupliciter. Vno modo secundum se solam, alio modo, vt terminat fieri, & mors quidem ait Caietanus, vt terminat fieri cadit sub merito vno, & eodem, sub quo cadit suum fieri; & sic mors Christi fuit meritoria; sed quicquid sit de modo philosophandi circa instans mortis, & vtrum homo moriatur per vltimum sui esse. an per primum sui non esse, tenendum ab omnibus est post mortem vtcumque explicatam, Christum nihil amplius meruisse, atque adeo totum salutis nostræ negotium in vita, & in statu Viatoris consummasse.

XVI. *An Christus meruerit in instanti mortis.*

Ex altera verò parte ex iisdem fontibus Scripturarum, & Patrum peti possunt argumenta, quibus rectè dicitur, negotium nostræ salutis, quod opus Christi fuit nondum esse perfectum, & consummatum.

Satis sit testimonium ipsius Christi in institutione Sacrificij sui ad verba formæ Calicis. Sic enim habet Matthæus 26. *Hic est enim Sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si illud *effundetur* restringitur ad effusionem in propria sanguinis specie mox futuram in Cruce, argumentum ex hoc loco erit nullum: verum si eius significatio ampliatur ad effusionem Sanguinis Christi, etiam in aliena specie consummandam vsque ad finem Mundi, idque vt expresse dicitur in remissionem peccatorum habebit argumentum non leue robur, & vim. Porrò hanc vocem cum ea ampliatione esse accipiendam, ostendimus fusè libro primo pluribus testimoniis, & argumentis; quomodo autem est verum Christi Sanguinem in Altari vsque ad consummationem Sæculi effundendum in remissionem peccatorum, si opus nostræ salutis, & remissionis peccatorum consummatum in Cruce fuit? Vrget hoc argumentum, quia vt supra monuimus, Sacrificium quotidianum, provt à Christo offertur, est maximè propitiatorium pro peccatis nostris. Quare dixit Augustinus quæst. 57. in Leuit. in multis Sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, vnum hoc nostrum Sacrificium significatur, in quo vera fit remissio peccatorum. Et Serm. 11. de Sanctis, de Altari loquens, ibi inquit, pro peccatoribus Christi sanguis effunditur, & lib. 10. de Ciuitat. cap. 25. scribit, Sacrificium pro peccato offerri in Ecclesia vsque in diem Iudicij, sed non vlterius, quia

XVII. *Sanguis Christi adhuc funditur in remissionem peccatorum.*

XVIII. *Sacrificiū Missa propitiatorium pro peccatis.*

post eum diem non erunt, quibus peccata remitti possunt.

Ex quibus contra Aduersarios illud conficitur, vel pro remissione nostrorum peccatorum posse adhuc à Christo offerri preces in Missa, aut neque Sacrificium ipsum ab eo offerri posse in remissionem peccatorum. Et quidem P. Vasquez videtur mihi cohærenter procedere, negando non solum nouam orationem, sed etiam nouam oblationem ex parte Christi; vnde ait: quod sicut nunc cessat ab omni oratione, ita ab omni oblatione. Cæterum quàm tutè hoc dici possit,

XIX. *Christus principalis offerens.* aliis definiendum relinquo. Certè Tridentinum Sess. 22. cap. 1. & 2. apertè docuit eundem Christum, qui in Cœna, & in Cruce obtulit, esse in hoc mysterio principalem offerentem, ideoque propter Ministrorum offerentium iniquitatem, mundam hanc oblationem inquinari non posse; quod etiam ex vniuersalissima Patrum traditione confirmatur; nam Augustinus 4. de Trinit. cap. 7. & 14. & lib. 2. de Ciuit. cap. 2. Christus ipse offerens, ipse & oblatio, cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 48. & super Psal. 38. Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat Sacrificium, quod offertur. Chysost. 34. in Matth. qui tunc in illa Cœna confecit, ipse nunc quoque operatur: & in Liturgia: ipse est, qui offert, ipse qui offertur. Tandem Ambrosius loco superius citato de Officiis: Offert, inquit, Christus se ipsum, quasi Sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Si ergo Christus nunc pro statu hoc, vt Sacerdotem decet pro hominibus constitutum vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis, offert se ipsum, vt ait Ambrosius pro remissione peccatorum, cur non possit pro eorundem remissione orare, & supplicare, præsertim, quod eodem modo Patres loquuntur de vtroque officio retento sibi à Christo, etiam post mortem vsque ad consummationem sæculi.

XX. *Christus nunc orat non merendo, sed exigendo.* Propter hæc existimo ab omnibus admittendam esse distinctionem allatam à P. Suarez disp. 39. in 3. par. Sect. 3. de duplici Oratione, altera, qua aliquis petit merendo, altera qua petit veluti exigendo. Christus ergo non orat nunc, vt per ipsam orationem faciat sibi deberi rem, quam postulat; nam per mortem acquisiuit plenum ius, ac perfectum ad omnia proëmia. Sed potius tanquam exigens, quod aliàs titulo Iustitiæ sibi iam est debitum. Itaque ait P. Suarez, illa oratio nititur præcedentibus meritis, non denuò meretur, sicut inter homines, quando quis petit mercedem suam, quam promeruit, non ideo petit, vt illam mereatur,

XXI. *Non orat ex necessitate.* sed vt illam exigat ex meritis præcedentibus. Addo quod hoc ipsum, quod orat exigendo, non est necessitate, sed ex ipsa Christi voluntate, conjuncta cum plenissima potestate.

Quod si petas, cur Christus hoc etiam modo petat, & habet hanc voluntatem, si aliunde habet omnem potestatem, & possit pro arbitrio de omnibus disponere dicente ipso: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* Matth. 28. Nam si Rex daret filio suo omnem potestatem temporalem in aliqua Prouincia, profectò non opus esset, vt filius oraret Regem pro aliquo negotio temporali ad illam Prouinciam pertinente. Quod igitur nulla intercedente necessitate adhuc velit Christus eo modo ad Patrem recurrere, illumque deprecari, reddenda aliqua ratio est talis voluntatis.

Reddam ego quidem libentissimè, sed moneo ab Aduersariis etiam suo modo esse reddendam. Nam esto Christus non oret expresè petendo, & rogando pro nobis,

nobis, certè orat ſaltem, vt aiunt, interpretatiuè humanitatem ſuam, quam pro nobis aſſumpſit repræſentando; nam quod ſaltem hoc poſteriori modo pro nobis interpellet, & oret, euidenter oſtendunt Scripturæ loca, niſi velimus ea violentiſſimè detorquere; & ideo tanquam indubitatum ſupponit S. Thomas lect. 4. ſuper Epiſt. ad Hebræos cap. 7. duplicem illum modum interpellationis: Interpellat, inquit, pro nobis, primo humanitatem ſuam, quam pro nobis aſſumpſit repræſentando: Item ſanctiſſimæ animæ ſuæ deſiderium, quod de ſalute noſtra habuit, exprimendo. Poſito ergo quod aliquo tandem modo verè interpellat; quæro ab Aduerſariis: Eſt-ne huiuſmodi interpellatio, neceſſitatis, an voluntatis? Quod ſi eſt voluntatis, vt omnino dicendum eſt, tenemur omnes huiuſmodi amantiſſimæ voluntatis cauſas indagare.

Sunt autem illæ potiſſimum tres. Prima ex parte Dei, qui oratur. Altera ex parte Chriſti, qui orat. Tertia ex parte hominum, pro quibus ea fit oratio, & interceſſio. XXII. *Cur Chriſtus pro nobis nunc orat.*

Et prima quidem ex parte Dei; nam oratio eſt cultus Religionis Deo debitus, pertinet autem ad honorem Dei, vt ſupremus eius cultor, qui eſt Chriſtus primogenitus omnis creaturæ, omnibus actibus Religionis eum colat, qui nullam includunt imperfectionem repugnantem, aut Diuinitati, aut Beatitudini Chriſti. Conſtat autem, orationem neque repugnare Chriſto, eo quod Deus eſt, aliàs neque in hac vita vnquam oraſſet; neque eo quod Beatus, & comprehenſor eſt, aliàs neque alij Beati orarent. Atque huc refero quod docet P. Leſſius de Prædeſtinatione Chriſti Sect. 3. Vbi cum deſcripſiſſet ampliſſimam, & abſolutiſſimam Chriſti poteſtatem; nec obſtat, inquit, quod ille dicatur interpellare pro nobis, & eſſe noſter Aduocatus apud Patrem, hoc enim non eſt neceſſitatis, ſed humilitatis. Delectatur enim ſe ſubjicere Patri, & ab eo petere, vt fiat, quod per ſe facere poſſet: Sicut ſi Gubernator ſupremus Regni habens plenam poteſtatem, multa nollet facere, niſi petita venia à Rege, vt hac ratione declaret reuerentiam, qua Regem proſequitur, & ſuam ſubjectionem. Quod ſi hæc interpellatio humilitatis non dedecet Chriſtum Regnatorem agentem in Cœlis, quanto minus illum dedecet cultorem, & adoratorem agentem in Altari? XXIII. *Prima ratio ex parte Dei.*

Vnde mirandum eſt Patrem Vaſquez tantam vim facere in eo, quod ſi interceſſio Chriſti eſſet interceſſio orationis, eſſet interceſſio imminutionis: quamuis enim daremus, Chriſtum provt exiſtit in Cœlo dedecere interceſſionem imminutionis, quod ex verbis Chryſoſtomi Homil. 15. ad Romanos P. Vaſquez probare contendit, certè non dedecet Chriſtum in Altari, vbi ex ſupremo cultu Latriæ erga Patrem, cum in forma viuentis, & regnantis in Cœlo ſit, ſemetipſum exinanuit, formam non viuentis accipiens. Ex quo habes reſponſionem ad Patres, qui videntur negare Chriſtum nunc fundere ſeruilem, & ſupplicem orationem, vt in primis eſt Nazianzenus Orat. 36. vbi ait: Aduocatum habemus Ieſum, non ſe noſtra cauſa ad Patris pedes aduoluentem, ſeruilique modo abjicientem; nam quidquid ſit de Oratione Chriſti, vt exiſtentis, & conſedentis in propria ſpecie, & in ſuo eſſe naturali, & humano ad dexteram Patris in Cœlo, de quo tantum ſit diſputatio, negari non poteſt aliam eſſe rationem in Altari, vbi nouum quemdam accipit ſtatum ſub ſpecie aliena in proteſtationem Diuinæ Majeſtatis, & creatæ inferioritatis, quæ eſt proteſtatio ſolemnis & propria Sacrificij. XXIV. *Oratio imminutionis in Sacrificio.*

XXV. *Secunda ratio ex parte Christi.*

Secunda ratio, quæ est ex parte Christi, illa est, quia vult implere munus perfecti Pontificis, ad cuius officia pertinet orare pro populo, quam rationem tetigit Iustinus Martyr quæst. 105. ad Orthodoxos. Si superatis, inquit, Resurrectione, infirmitatibus carnis, vt Pontifex confessionis nostræ, Deum pro nobis interpellat, nonne magis cum adhuc subjaceret infirmitati carnis, &c. quam rationem meritò non contemnendam admonet P. Suarez. Petitur enim à munere Sacerdotis, ad quem pertinet pro suis orare, vt colligitur ex Apostolo ad Hebr. 5. Cum ergo Christus vsque ad consummationem Sæculi munus pro nobis Sacerdotis, & Pontificis exercere velit, non est mirandum si velit etiam pro nobis intercedere præsertim in actu Sacrificij sui.

XXVI. *Tertia ratio ex parte nostra.*

Tertia tandem ratio ex parte nostra, quia scilicet nos per Christum, accessum habemus ad Deum; nam sicut quia Christus Sacerdos noster est, per ipsum, tanquam per Pontificem nostrum offerimus Sacrificium, vt clarè docuit S. Irenæus lib. 4. contra Hæres. cap. 32. *Per Iesum Christum offert Ecclesia*, ita quia idem Christus est Caput nostrum, per ipsum etiam, vt per intercessorem nostrum, orationes, & preces offerimus. Quod sanè ex ipsa nostra Liturgia non obscurè constat: dicimus enim in ipso sacri Canonis Exordio: *Per Iesum Christum Filium tuum supplices rogamus, ac petimus*; vtique tanquam per nostrum Caput, & Os, in eo sensu, quo præmium immediatè ante fuerat; *per quem Majestatem tuam laudant Angeli*, vt sicut Angeli gaudentes esse de corpore mystico Christi, mediante ipso, tanquam suo Capite, Deum laudant; ita nos eodem mediante Christo, ob eandem rationem, quia nostrum etiam caput est, non solum gratias agamus, sed etiam supplices Deum rogemus, & obsecremus. Verè enim dignum, & iustum est, vt in publica, ac solemnissima Sacrificij adoratione, in qua per suum Summum, vnicumque Pontificem tota offert Ecclesia, per ipsum etiam supplex oret, & petat, ita vt sicut Caput est principale offerens, ita sit principale orans, & petens.

XXVII. *Ecclesia non solum orat ipsa propter Christum, sed etiam per Christum.*

Hoc planè fuit donum, quo vt egregiè disserit Aug. in Psal. 85. Nullum maius præstare Deus potuit hominibus, vt nimirum verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret, vt esset Filius Dei, filius Hominis, & vnus Deus cum Patre, vnus Homo cum hominibus, vt & quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde filium separemus, & quando precatur corpus filij, non à se separet Caput suum, sicque vnus ipse Saluator corporis sui [illegible] Dei, qui, & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis: *Orat pro nob[illegible] Sacerdos noster, orat in nobis, vt Caput nostrum, oratur à nobis vt Deus noster.* Agnoscamus ergo, & in illo voces nostras, & voces eius in nobis. Hæc Augustinus.

XXVIII. *An possimus dicere Christe ora pro nobis.*

Ex quibus omnibus illud etiam fit manifestum non esse per se illicitum orare Christum, vt pro nobis oret. Est quidem laudabilis Ecclesiæ consuetudo, & planè custodienda, qua non dicit in Orationibus publicis Christo, vt Sanctis cæteris: Ora pro nobis, sed potius, audi, & exaudi nos, tum ad vitandum errorem Arrij, & Nestorij, tum quia Oratio simpliciter loquendo, dirigitur ad personam, quæ est Diuinum suppositum, cuius non est petere, sed donare. Cæterùm vt rectè P. Suarez disput. 45. Si quis sciat rationes distinguere, & considerare Christum vt hominem in Cœlo orantem, & pro nobis sua merita Patri repræ-

sentantem, non erit illicitum, neque indecorum ab illo postulare, vt suæ orationis nos participes efficiat, & efficacem suorum meritorum applicationem nobis obtineat, nostramque orationem suæ conjunctam Patri offerat.

QVÆSTIO NONA.

Vtrum omnia, quæ in Missa dicuntur & fiunt accipi possint tanquam dicta, & facta principaliter à Christo.

I. *Explicatur sensus quæstionis.*
II. *Sacerdos in Altari est pro Christus.*
III. *Eadem est persona Christi, & Ecclesiæ.*
IV. *Caput, & corpus vnus Christus.*
V. *Corpus mysticum Christi est sicut vnus idemque homo.*
VI. *Caput, & membra vna persona.*
VII. *Ratio nostræ sententiæ.*
VIII. *Omnia in Missa possunt accipi, aut in persona Christi, vt Cap. nostri, aut in persona nostra vt membrorum Christi.*
IX. *Oratio Capitis ex persona membrorum suorum.*
X. *Quædam dicuntur de Christo secundum proprietatem naturalem, quædam secundum proprietatem personalem.*
XI. *Quæ conueniebant Christo Viatori secundum proprietatem personalem, conueniunt etiam nunc.*
XII. *Verba, & actiones Liturgiæ eiusdem suppositi sunt Christi, & Ecclesiæ.*



RATIO in contrarium esse potest, quia multæ sunt cæremoniæ in sacra Liturgia, siue in verbis, siue in actione positæ, quæ si Christo attribuantur dedecere planè videntur, ipsius aut Majestatem, aut Sanctitatem; propter quod fortasse Simeon ille Thessalonicensis allatus à P. Vasquez disput. 225. dixit plenum esse blasphemia, omnia, quæ in Missa fiunt, & dicuntur Christo tribuere, cuius blasphemiæ exemplum afferens P. Vasquez, & resumens verba Thessalonicensis: existimat igitur, inquit, plenum esse blasphemia, Christo tribuere illam Orationem: *Supplices te rogamus Omnipotens Deus*, iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui, &c. Similesque alias, quæ super Sacrificium Deo offeruntur, vt ei acceptum sit. Noui communem doctrinam de tribus offerentibus, vt quædam à Sacerdote dicantur, I. *Explicatur sensus quæstionis.*

& fiant in persona Christi, quædam in persona propria, quædam in persona Ecclesiæ. Cæterum sensus præsentis quæstionis est, an omnia ita attribui possint Christo, tanquam summo, & primario offerenti, vt posset ipse per se, & immediatè celebrare iuxta ritum præsentem Ecclesiæ, tam quoad verba, quam quoad actiones, & circa præiudicium vllum propriæ, aut Sanctitatis, aut Maiestatis, totum Missæ officium peragere, eo prorsus modo, quo à Sacerdotibus nunc celebratur; ex quo si possit consequens erit, tametsi illo modo immediatè non peragat, attribui tamen illi de facto posse tanquam summo, & primario celebranti omnia, quæ in Missa per Ministrum fiunt tanquam etiam facta cum ipso, ex qua, vt ita dicam, communione magna profecto dignitatis, & valoris accessio fiet toti Liturgiæ.

II. *Sacerdos in Altari est pro Christus.*

Et sanè si spectemus modum loquendi Patrum, videtur Sacerdos non solum in vna, aut altera, sed in tota Liturgiæ actione per modum vnius moralis operis agere Vicarium Christi, iuxta illud S. Cypriani Epist. 63. absolutè dicentis: Sacerdos in Altari vice Christi fungitur, vnde vestes Sacerdotales sunt vestes Christi, & in Altari, vt pluribus in locis loquitur S. Chrysostomus, Sacerdos non tam est Vicarius Christi, quàm Christus. Quod si Sacerdos quæcumque facit, aut loquitur, agere potest vt Christus, poterit illud vtique per se, & immediatè facere Christus ipse: quid si interdum hoc fecerit? quid si subinde visus in terris fuerit præsenti forma, ac ritu hoc suum iterare, ac peragere Sacrificium? Vide quæ congerit ex Nauclero, & aliis Cornelius à Lapide in cap. 8. Apocal.

III. *Eadem est persona Christi & Ecclesiæ.*

Verùm vt dubitationi initio factæ occurramus, & sententiam nostram affirmatiuam argumento Theologico roboremus, statuendum est hoc principium, Christum, & Ecclesiam subsistere moraliter in vna eademque mystica persona, & hypostasi, ad eum planè modum, quo corpus, & caput humanum subsistunt in eadem omnino persona, & hypostasi naturali, vt sicut non est diuersa persona capitis, & corporis naturalis, ita nec diuersa sit, sed planè eadem persona capitis, & corporis mystici, quod est Ecclesia.

Nititur hoc principium Doctrinæ Apostoli, qui pluribus in locis, sed præcipuè 1. Corinth. 12. dedit vno verbo vberem occasionem Augustino rem totam explicandi, & declarandi; loquens enim Apostolus de Corpore Ecclesiæ ex pluribus membris compacto. *Sicut enim*, inquit, *Corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus.* Obserua hoc vltimum verbum, *ita & Christus*, ait August. lib. 1. de Peccatorum merito cap. 31. tom. 7. non dixit; *ita & Christi*, id est corpus Christi, vel membra Christi, sed ita & Christus, vnum Christum appellans caput, & corpus; id autem qua ratione intelligi possit explicat magis in Psal. 127. cap. 1. Multi, inquit, homines, & vnus homo, multi Christiani, & vnus Christus; ipsi Christiani cum capite suo, quod ascendit in Cœlum, vnus est Christus, non ille vnus, & nos multi, sed & nos multi in illo vno vnum. Vnus ergo homo Christus caput, & corpus; intelligamus ergo vocem huius hominis in cuius corpore vnus sumus homo.

IV. *Caput, & corpus vnus Christus.*

Hoc principium arripuit S. Thomas, tanquam ad intelligendas Scripturas, & ad Theologicas veritates fundandas maxime necessarium, & ex illo plures intulit conclusiones: Nam 3. par. quæst. 48. art. 1. infert, Passionem Christi fuisse

causam nostræ salutis per modum meriti, quia, inquit opera Christi ita se habent ad Ecclesiam, sicuti se habent opera singularis hominis ad se ipsum. Manifestum est autem, quod singularis homo in gratia operans meretur sibi salutem. De qua consequentia loquens Caietanus: consequentia hæc, inquit, vt euidens per se relinquitur nota ex terminis, & verè sic est penetrantibus corpus mysticum Christi esse sicut vnum eumdemque hominem. Rursum in eadem quæstione art. 2. ad 1. ex eodem principio probat S. Thomas, Christum pro omnibus nobis satisfecisse, quia, inquit, caput, & membra sunt vna quasi persona mystica, & ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet, sicut ad sua membra, & quæst. 49. art. 1. dicit totam Ecclesiam, quæ est mysticum corpus Christi, computari quasi vnam personam cum suo capite Christo.

V. *Corpus mysticum Christi est sicut vnus idemque homo.*

VI. *Caput, & membra vna persona.*

Hoc jacto fundamento, sic argumentor. Quæcumque in Missa dicuntur, & fiunt, accipi saltem possunt tanquam dicta, & facta ex persona Ecclesiæ; Ergo omnia quæ in Missa dicuntur, & fiunt accipi possunt tanquam dicta, & facta principaliter à Christo. Antecedens admittitur ab Aduersariis, contendunt enim aliqua esse in tota actione Missæ, quæ ita fiunt in persona Ecclesiæ, vt nullo modo fieri possint in persona Christi: quales sunt supplicationes quædam, peccatorum confessiones, &c.

VII. *Ratio nostræ Sententiæ.*

Consequentia probatur ex principio posito, quia in Christo, & Ecclesia non est dualitas, aut pluralitas personæ, sed identitas, vt sicut in Christo humanitas non subsistit in propria naturali persona, sed in persona naturali Verbi, ita Ecclesia non subsistit in propria mystica persona, sed in eadem persona mystica Christi. Ad eum planè modum, quo caput, & membra eandem vnam, communemque habent personam, & subsistentiam; ex hoc autem fit, vt si quæ dicuntur, & fiunt in Missa, non debent accipi in persona Christi tanquam capitis nostri, possint saltem accipi in persona nostra, tanquam membrorum Christi. Cumque eadem sit vtriusque persona, quæ non solum est Christi, sed Christus, consequens est, vt omnia, quæ in Missa dicuntur, & fiunt, possint sine vlla nota blasphemiæ, sed cum magna Diuinæ Majestatis dignatione, & Ecclesiæ vtilitate accipi, tanquam dicta, & facta principaliter à Christo.

VIII. *Omnia in Missa possunt accipi, aut in persona Christi vt Capitis nostri, aut in persona nostra vt membrorum Christi.*

Exemplum manifestum habemus in Sacrificio Crucis. Quæ preces alienæ magis ab ore Pontificis nostri? Sancti innocentis, & impolluti, quam illæ, quæ continentur in toto Psalmo 21. qui incipit: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.* Et tamen hæc vna ex præcipuis Collectis fuit, quam magna voce, post trium horarum secreta orauit Pontifex noster in Ara Crucis. *Et circa horam nonam* ait Euangelista Matthæus 27. *clamauit Iesus voce magna dicens: Deus Deus meus, &c.* quem Psalmum totum fuisse à Christo in Cruce recitatum affirmant passim Interpretes. Et quidem quod voluerit Christus suam derelictionem summam manifestare per viam interrogationis, quasi rogando causam à Patre, cur ita sit derelictus, hoc maximè pertinuit ad totius humani generis excitandam attentionem, quodammodo intentos nos faciens, ait Augustinus, & dicens: Psalmus iste de me scriptus est: Verum quod ipsemet Dominus Iesus sibi ipse respondens, & causam derelictionis aperiens, dicat: longè à salute mea verba delictorum meorum, hoc planè mirandum, stupendumque est. Verba delictorum meorum; quorum de-

IX. *Oratio Capitis ex persona membrorum suorū.*

lictorum ? ait Augustinus, de quo dictum est, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*: quomodo ergo dicit delictorum meorum ?

Quid hîc responderet Thessalonicensis, quid hîc P. Vasquez ? Multi ait Bellarminus, timentes ne Christo peccati notam inurant, ea verba coactè nimis, & violenter exponunt, sed discedere non licet ab vnanimi Patrum consensu, Iustini, Theodoreti, Athanasij, Nazianzeni, Cyrilli, Ambrosij, Hieronymi apud Genebrardum, & præcipuè Damasceni lib. 3. de Fide cap. 25. Ex cuius doctrina S. Thomas quæst. 15. art. 1. ad 1. explicans hæc ipsa verba. Dupliciter, inquit, dicitur aliquid de Christo. Vno modo secundum proprietatem naturalem, vt cum dicitur Christus passus est pro nobis. Alio modo secundum proprietatem personalem, prout aliqua dicuntur de ipso in persona nostra, quæ sibi secundum se nullo modo conueniunt, vnde & inter septem Regulas Ticonij, quas Augustinus ponit tomo 3. lib. 3. cap. 31. Prima ponitur de Domino, & eius corpore, cum scilicet Christi, & Ecclesiæ vna persona existimatur, & secundum hoc Christus ex persona membrorum suorum loquens, dicit: Verba delictorum meorum. Hæc S. Thomas.

X. *Quædam dicuntur de Christo secundum proprietatem naturalē, quædam secundum proprietatem personalem.*

XI. Quid ergo excogitari potest in tota actione Liturgiæ, quod conuenire, & dici non possit de Christo secundum proprietatem personalem membrorum suorum; si secundum illam in Sacrificio Crucis dici ab illo potuit: Verba delictorum meorum ? certè quod hoc dicere potuerit non fecit status Viatoris; sed quia, vt ait Apostolus ad Coloss. 1. 18. *Ipse est Caput corporis Ecclesiæ*, nam status Viatoris nunquam facere potuisset, vt verba illa dici possent de Christo secundum proprietatem naturalem: esset enim horrenda blasphemia asserere huiusmodi verba illi secundum se conuenire posse. Non status ergo, sed proprietas personalis hoc fecit, secundum quam, vt loquitur Augustinus, corpus suum gerebat, idest Ecclesiam, quod si corpus suum nunquam dimisit sed siue in Cruce, siue in Altari gerit, quæ absurditas fingi potest in eo, quod in persona illius hæc, & huiuscemodi verba sui Ministri ore loquitur caput ?

Quæ conueniebant Christo Viatori secundum propr. etatem personalem conueniunt etiam nunc.

XII. Hæc igitur sit controuersiæ definitio, de tota videlicet Actione Missæ respectu principalis Sacerdotis dici posse, quod de toto primo versu illius Psalmi, quem recitauit Christus in Cruce, scripsit Augustinus libro de Gratia noui Testamenti cap. 6. Totus, inquit, hic versus dicitur partim ex persona Christi, quod ad formam Christi attinet, partim ex persona sui corporis, quod est Ecclesia. Quod si vlterius quæras: quis est, qui dicit, Christus, an Ecclesia, cuius sunt Missæ, supplicationes ? cuius verba illa. Supplices te rogamus? Respondebo, quod idem Augustinus de simili oratione respondit in Præfatione Psalmi 85. Nemo cum audit hæc verba, dicat, Non Christus dicit, aut rursus dicat, non ego dico; immò si se in Christi corpore agnoscit, vtrumque dicat, *& Christus dicit, & ego dico.*

Verba, & actiones Liturgiæ eiusdem suppositi sunt, Christi & Ecclesiæ.

FINIS LIBRI TERTII.



LIBER QVARTVS.

De Fructibus Montis Propitiatorij pro peccatis,

SEV

De effectibus Sacrosancti Ecclesiæ Sacrificij.




OGITANTI mihi quid sit, quod apud populum Christianum hoc tempore penè jaceat æstimatio de valore, fructibusque Sacrosancti Ecclesiæ Sacrificij, illa causa facile veniebat in mentem, floruisse nimirum sub exitum Superioris Sæculi Doctores aliquot, magni quidem nominis, & doctrinæ, & verò etiam pietatis qui, nescio quo fato de effectibus, ac fructibus huius Sacrificij fortasse non magnificè sunt loquuti. Quatuor erant, quæ probè demonstrata de hoc valore, permouere fidelium animos maximè potuissent. Primum est, Sacrificium nostræ Religionis esse causam vniuersalem concurrentem ad omnes fructus, & effectus gratiæ, vt quidquid est effectus Dominicæ Passionis, totum sit effectus huius Sacrificij. Secundum, effectus omnes tàm latè patentes, omnes esse ex opere operato, omnes fundatos in promissione, & pacto Diuino, atque adeo omnes esse certos, & infallibiles. Tertium, effectus huiusmodi pluribus applicatos, ita singulis prouenire, ac si paucioribus addicerentur. Quartum, quod acuere maximè poterat fidelium industriam, & pietatem, tales fructus ex opere operato prouenientes, distribui iuxtà quantitatem dispositionis, seu deuotionis illos participantium, vt quo

maior est dispositio, eò sit prouentus vberior. Hæc, & quæ ex his consectaria sunt plurima, pretium non leuiter auxissent rei, si solidè, hoc est Theologicè probata fuissent; at verò Doctores illi, de quibus loquimur, tantum ab huiusmodi Axiomatis insinuandis abfuerunt, vt potius longis tractatibus, suis auditoribus persuaserint, Sacrificium nostrum, nullo modo esse causam vniuersalem concurrentem ad omnes fructus, & effectus gratiæ, neque omnes eius effectus esse ex opere operato: immò nullum prorsus habere effectum ex opere operato præter remissionem pœnæ temporalis. Præterea hunc ipsum effectum remissionis pœnæ ita esse taxatum, ac definitum, vt quantumuis crescat participantium deuotio, ac dispositio, ipse non crescat, sed potius ad multiplicationem participantium, & ipse minuatur, atque decrescat.

Et sanè si Doctores illi, aut ex antiquis Patribus, aut ex Conciliis Oecumenicis, aut ex Theologicis receptissimis principiis, suæ fundamenta doctrinæ attulissent, nihil esset, quod quereremur; neque enim magnificentia mysteriorum Fidei, priuatis, ac penè voluntariis hominum exaggerationibus nititur; at sine huiusmodi fundamentis veritatis, de vnico, ac singulari Ecclesiæ Sacrificio mysteriorum omnium Diuinissimo, minus altè sentire, mirabile planè est, ac stupore plenissimum.

Statueram ex huiusmodi Doctoribus neminem nominare, sed qui fieri poterat, vt res grauissima ad rigorosum examen reuocaretur, nisi fideliter, & exactè omnia Aduersariorum argumenta proferrentur? Hæc autem qua ratione constiterit allata fuisse fideliter, nisi Codices ipsi suo vocari nomine in jus possent. Cogimur ergo Aduersariorum in causa tanti momenti nomina vsurpare, sed præclarè nobiscum actum putauimus, quod eorum Antesignanus, ac Dux, cum quo, veluti singulari certamine necessario confligendum erit, extrà nostræ censuræ jactum positus sit, qua doctrina, quæ eruditione, qua etiam pietate. Sic enim fiet, vt citrà tanti nominis vulnus, quæ verior sententia videbitur quàm liberrimè propugnetur.



QVÆSTIO PRIMA.

An effectus adæquatus Montis Propitiatorij ex opere operato sit tantùm remissio pœnæ temporalis.

I. *Opinio P. Suarez cum suo fundamento.*
II. *Non est per se necessarium remedium ad solam pœnam remittendam.*
III. *Pœna sensus quæ in hac vita.*
IV. *Aliqua pars Sacramenti primario, & directè instituta ad pœnæ remissionem.*

V. *Satisfactio*

V. *Satisfactio Sacramentalis habet pro suo effectu adequato remittere pœnam ex opere operato.*

VI. *Sacramentum Pœnitentiæ remittit, aut totam, aut partem pœnæ pro dispositione pœnitentis.*

VII. *Confessio iterata eiusdem, potest tandem totam pœnam remittere.*

VIII. *Extra Sacramentum, & Sacrificium est remedium directè institutum ad remissionem pœnæ.*

IX. *Institutio Indulgentiæ.*

X. *Indulgentia non tollit reatum culpæ mortalis.*

XI. *Neque reatum culpæ venialis.*

XII. *Per Indulgentiam remitti potest omnino pœna.*

XIII. *Indulgentia remittit pœnam ex opere operato.*



QVOD Sacrosanctum Missæ Sacrificium habeat vim satisfaciendi pro pœna ex opere operato, seu quod in idem recidit, habeat ex vi suæ institutionis, & ex vi externi operis, virtutem conferendi non ponenti obiicem, pœnæ remissionem vltra omne meritum & satisfactionem operantis, plane conuenit inter Catholicos. Controuersia tantum est, an huiusmodi pœnæ remissio, sit proprius, totalis, & adæquatus huiusce Sacrificij effectus ex opere operato, ita vt præter hunc nullum habeat vt causa proxima immediata, & infallibilis. P. Suarez disp. 79. Sect. 6. docet Sacrificium hoc fuisse per se primo ad hunc tantum effectum institutum, id quod maximè colligit ex eo, quia, inquit, nullum aliud remedium est à Christo per se primo institutum ad hunc effectum. Nam licet Sacramentum Pœnitentiæ per se quidem auferat pœnam æternam, non tamen omnem temporalem, sed commutat æternam in temporalem maiorem, vel minorem iuxtà dispositionem suscipientis, vnde si interdum nullam pœnam relinquit, illud est, quia perfectè remittit culpam propter perfectam dispositionem, non quia directè sit institutum ad tollendum reatum pœnæ, habet quidem vim remittendi etiam pœnam temporalem per Sacramentalem satisfactionem, tamen id totum efficit, quatenus habet quandam annexionem cum culpa, & ad plenum, & perfectum iudicium de illa pertinet, vindicare, & curare illam; reliqua etiam Sacramenta suos proprios, ac distinctos fines habent, præter remissionem pœnæ. Decuit ergo aliquod remedium directè, ac per se esse institutum ad hunc effectum. I. *Opinio P. Suarez cum suo fundamento.*

Nos quid de effectu totali, & adæquato huius Sacrificij sentiamus, disputabimus infra. Interim propositum nobis hoc loco est, examinare quantum ponderis habeat prædictum fundamentum.

Et primò. Gratis omnino in eo assumitur, esse debere remedium aliquod directè, ac per se primo institutum ad hunc effectum solius remissionis pœnæ. Ratio est, quia pœna illa, quæ luenda restat post culpæ remissionem, est malum secundarium, & per se consequens ad malum primarium culpæ, immò, vt rectè explicat Caietanus in Tract. de Contrit. quæst. 4. & ex eo Bellarminus lib. 4. de Pœnitentia cap. 1. Est illa ipsa pœna sensus, quam in gehenna pati debuisset peccator, remota solum æternitate. Tria enim complectitur pœna gehennæ, pœnam II. *Non est per se necessarium remedium ad solam pœnam remittendam.*

III. *Pœna sensus quæ in hac vita.* damni, pœnam sensus, & vtriusque pœnæ æternitatem; quorum primum respondet auersioni à Deo, secundum conuersioni inordinatæ ad creaturas, tertium inimicitiæ cum sempiterno, & infinito Rege. Ex his autem tribus malis, quæ sunt in gehenna, à primo, & tertio liberantur continuo, qui ad amicitiam Dei, & eius gratiam redeunt; solum autem remanet malum illud secundum, debitum videlicet pœnæ sensus ad tempus luendæ. Cum ergo omnis pœna sensus quæ sola luenda est ad tempus post culpæ remissionem, sit malum secundarium consequens ad culpam, satis est, vt remedium institutum pro malo primario extendatur ad secundarium.

IV. *Aliqua pars Sacramenti primario, & directè instituta ad pœnæ remissionem.* *Secundò.* Quamuis Sacramentum Pœnitentiæ, primo, & per se sit institutum ad remissionem culpæ post Baptismum, continet tamen aliquam sui partem, quæ non secundario, sed primario, & directè est instituta ad remissionem pœnæ temporalis ex opere operato. Quare licet nullum sit institutum à Christo Sacramentum, cuius totus, & adæquatus effectus ex opere operato remissio tantum pœnæ sit, tamen in vno Sacramentorum, est aliquid, cuius totus, & adæquatus effectus, & quidem ex opere operato, est pœnæ remissio. Quod verò illud aliquid hanc efficacitatem habeat, quatenus habet quandam annexionem cum culpa, & ad plenum, & perfectum iudicium de culpa pertinet vindicare, & curare illam, hoc nihil prorsus refert, quia non tollit quominus habeat rationem veri remedij primo, & per se instituti ad hunc effectum. Quemadmodum, quod potentia visiua, seu oculus sit in homine, tanquam pars integralis illius, non tollitur quominus in homine, & in rerum natura sit aliquid primario, & directè ordinatum ad visionem.

Quia tamen posset aliquis in dubium reuocare an satisfactio Sacramentalis hunc adæquatum habeat effectum ex opere operato. Efferam doctrinam ipsius

V. *Satisfactio Sacramentalis habet pro suo effectu adæquato remittere pœnam ex opere operato.* P. Suarez, quam tradit 4. tom. in 3. par. disput. 38. Sect. 2. vbi quærit; An hæc pars habeat aliquem effectum ex opere operato. Dico igitur, ait ille, proprium, & maximè indubitatum effectum ex opere operato huius satisfactionis, esse remissionem alicuius pœnæ temporalis, præter illam, quæ respondere posset ex opere, seu merito operantis: probat autem hanc suam positionem, quam dicit esse communem Theologorum, quia vt ex Conciliis constat, hæc quæ est vera pars Sacramenti, potissimum instituta est ad remissionem pœnæ temporalis; ergo, inquit, per se primo institui debuit ad remittendam pœnam ex opere operato: nota illud *per se primo*.

Probat hoc idem rursus, quia, inquit, totum hoc Sacramentum est institutum ad remissionem peccati. Sed hæc pars non ordinatur ad remissionem culpæ; ergo ad remissionem pœnæ; ergo aliquid pœnæ remittet ex opere operato. Vides, vt assignat proprium, & totalem ordinem huius partis.

Denique idipsum confirmat ex principiis generalibus quia si hæc est pars Sacramenti, vt eam vocat Tridentinum Sess. 14. cap. 3. necesse est, vt significationem aliquam propriam, & Sacramentalem habeat: at Sacramentalia signa nouæ legis sunt efficacia, id enim efficiunt quod significant; ergo necesse est, vt hæc pars aliquem proprium effectum habeat ex opere operato, illum scilicet, quem Sacramentaliter significat; atqui hunc maximè effectum significat; nam est quędam punitio peccati, & commutatio pœnæ vitæ futurę in talem pœnitentiam;

ergo maximè significat remissionem illius pœnæ; ergo illam efficit ex opere operato. Ex communi ergo doctrina Theologorum, quam rectè propugnat P. Suarez, habemus remedium aliquod primo, & per se institutum ad pœnæ remissionem eo modo, quo explicatum est extrà Sacrificium.

Neque quidquam facit, quod hæc pars Sacramenti non remittat totam pœnam, sed maiorem, vel minorem iuxtà dispositionem subjecti; nam hic modus operandi, & causandi non solum est communis omnibus Sacramentis, sed etiam Sacrificio. Neque enim quodlibet Sacrificium remittit semper totam pœnam ex opere operato, sed maiorem, vel minorem iuxtà deuotionem offerentis, vel eius, pro quo offertur. Cæterum sicut vnum Sacrificium remittere interdum potest totam pœnam, & sæpius, ac sæpius iteratum potest quamcumque; ita Sacramentum Pœnitentiæ, & potest interdum totam pœnam remittere, si perfecta adsit dispositio suscipientis; & si hæc sit remissior saltem pluries, & pluries iteratum potest tandem ex toto diluere.

VI. *Sacramentum Pœnitentiæ remittit, aut totam, aut partem pœnæ pro dispositione pœnitentis.*

Neque hoc est alienum à doctrina ipsius P. Suarez, immò vtrumque expressè docet. Primum disput. 19. Sect. 2. vbi ait, formam pœnitentiæ significare simpliciter remissionem pœnæ iuxtà dispositionem seruata lege Iustitiæ à Deo statuta, & inde fieri, vt non semper remittat totam, quia dispositio pœnitentis non est sufficiens ad totum effectum, ex quo etiam consequenter concedit interdum posse totam remittere, quia, inquit, effectus ex opere operato eiusdem Sacramenti, est maior in eo, qui melius dispositus accedit; ergo etiam hic effectus remissionis pœnæ temporalis est maior in eo, qui est melius dispositus, ergo tantus potest esse dolor, vt virtute huius Sacramenti auferatur tota pœna. Ideo concludit ipse: non diximus hoc Sacramentum nunquam remittere totam pœnam, sed non semper.

VII. *Confessio iterata eiusdem potest tandem totam pœnam remittere.*

Alterum docet disput. 18. Sect. 1. assertione 2. vbi cum sibi objecisset; quod si per secundam confessionem Sacramentalem eiusdem peccati tolleretur reatus pœnæ temporalis ex priore relictus, nulla esset necessitas satisfactionis extrà Sacramentum, sed iteratæ confessionis eiusdem peccati.

Respondet, verum esse in secunda confessione eiusdem peccati, remitti aliquid pœnæ temporalis, sicut in priore iuxtà dispositionem confitentis, neque esse inconueniens, quod aliquando non sit necessario satisfactio ex opere operantis, si per alia media remittatur pœna ex opere operato. Nullum ergo, inquit, inconueniens est, quod per iteratam confessionem eiusdem peccati, tota pœna illi debita tandem remittatur, immò, inquit, hic fortasse est vnus finis institutionis, ideo enim concessum est, vt eadem peccata possent sæpius esse materia confessionis, vt perfectior eorum remissio comparari posset, & vt ita inducerentur homines ad eorum pœnitentiam sæpius agendam.

VIII. *Extrà Sacramentum, & Sacrificium est remedium directè institutum ad remissionem pœnæ.*

Sed supponamus ad prouidentiam, quam Christus Dominus de hominibus habuit, pertinere vt remedium aliquod per se primo institueretur ad hunc effectum pœnæ remittendæ ex opere operato etiam extra Sacramentum. Dico ob hanc causam non esse recurrendum ad institutionem Sacrificij, quasi Sacrificium institutum fuerit tanquam causa particularis huius effectus, quia reuera non solum extra Sacramenta, sed etiam extrà Sacrificium habemus institutionem per se talis remedij.

Hoc fatentur Doctores omnes Catholici ſuper illud Matth. 16. *Et quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Illa enim verba ampliſſima, & vniuerſaliſſima vt docet Bellarminus, & poſt illum ipſe P. Suarez tom. 4. diſt. 49. Sect. 1. omnem actum includunt, qui ad aperiendum Regnum Cœlorum poſſit eſſe accommodatus, ideoque non ſolum includit poteſtatem ſol-

IX. *Institutio Indulgentiæ.* uendi à præceptis, vel obligationibus, ſed etiam ab omnibus vinculis, & impedimentis, quæ niſi tollantur, non poteſt intrari in Regnum Cœlorum, ideoque non dicitur: *Quemcumque ſolueris*, ſed *quodcumque ſolueris*, id eſt quodcumque vinculum, vel impedimentum Regni Cœlorum abſtuleris. In qua vniuerſalitate agnoſcunt Patres, & Concilia, particulare quoddam remedium obtinendi remiſſionem pœnæ temporalis abſque propria ſatisfactione, vel ſatis paſſione ipſius peccatoris, quod eſt per conceſſionem Indulgentiæ, per quam directè, & per ſe aufertur reatus pœnæ temporalis, qui eſt vnum ex impedimentis, & vinculis, quæ detinent homines ab ingreſſu Regni Cœlorum.

Et ſanè negari non poteſt per Indulgentias prouiſum liberaliſſimè eſſe de remedio directè, & per ſe inſtituto ad hunc effectum, quod requirebat P. Sua-

X. *Indulgētia non tollit reatum culpæ mortalis.* rez. Nam primo Indulgentia non habet vim tollendi reatum culpæ, neque mortalis, neque venialis; non mortalis, quia culpa mortalis tolli non poteſt ſine infuſione gratiæ, vt ſupponitur in materia Iuſtificationis, & ex Tridentino Seſſ. 6. cap. 7. Gratia autem non infunditur miniſterio humano, niſi per Sacramenta, vt docet idem Trident. Seſſ. 6. cap. 4. & Seſſ. 14. cap. 2. vbi docet Sacramentum Pœnitentiæ eſſe ad ſalutem lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium; Vnde infert P. Suarez, de fide eſſe, Indulgentiam non valere ad remiſſionem peccati


XI. *Neque reatum culpæ venialis.* mortalis. Quod verò neque per ſe valeat ad remiſſionem peccati venialis, eſt communis Theologorum Sententia contra Paludanum in 4. diſt. 20. quæſt. 4. Ideo ait Bellarminus: Si quando in Litteris Indulgentiarum, legatur concedi abſolutionem à culpa, & pœna, intelligendum eſt, id propterea dici, quod Indulgentia conjungitur ordinariè cum confeſſione Sacramentali, & facit, vt qui per Sacramentum Pœnitentiæ fuit abſolutus à culpa, per Indulgentiam abſoluatur à pœna. Pari ratione cum dicunt Pontifices, ſe per Indulgentias abſoluere pœnitentes à peccatis, vel condonare peccata, vel ex toto, vel ex parte, ſemper loquuntur de peccatis quoad pœnam, non quoad culpam, quæ ante Indulgentiam remiſſa eſſe creditur. Quamuis autem hoc de venialibus non ſit ita definitum, vt de mortalibus, Theologi tamen habent pro certo, & rationem etiam addit P. Suarez diſp. 50. Sect. 1. quia venialis culpa deleri non poteſt ſecundum ordinariam legem ſine actu hominis, quo prior voluntas aliquo modo mutetur, in quo multum differt à remiſſione pœnæ temporalis, quæ huiuſmodi mutationem voluntatis non requirit. Conſtat autem per Indulgentiam non dari homini huiuſmodi actum contra peccatum veniale, atque adeo, neque remiſſionem illius; ſed quidquid ſit de ratione, certum eſt apud P. Suarez Indulgentiam nullo modo eſſe inſtitutam tanquam remedium ad tollendum peccatum quoad culpam qualemcumque; ergo eſt inſtituta tanquam remedium directè, & per ſe ad tollendum peccatum quoad pœnam tantùm.

XII. *Per Indulgen-* Præterea effectus remiſſionis pœnæ per Indulgentias eſt ampliſſimus. Nullum enim eſt debitum pœnæ ita ingens, quod per Indulgentiam abſolui, & ſolui non

possit; quo etiam fit, vt nulla sit pœnitentia in Sacramento injuncta, cuius obligatio per se tolli per Indulgentiam non possit. Quare communis Doctorum sententia est per illam ipso facto, & Iure relaxari Sacramentalem Pœnitentiam, eiusque obligationes cessare, quia effectus Indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis; ergo formaliter expellit reatum, seu debitum eius; implicat autem pœnam esse remissam, & adhuc manere debitum eius. Ablato verò debito pœnæ, auferetur etiam debitum satisfaciendi pro illo, vndecumque ortum sit, siue ex Diuina lege, siue ex præcepto confessionis; quia præceptum illud non imponitur nisi sub ratione satisfactionis ad Deum: ratio autem satisfactionis iam cessauit, quia vbi non est debitum, nec satisfactio locum habet. Sicut ergo per remissionem Indulgentiæ tollitur debitum, ita etiam cessat satisfactionis ratio, & consequenter præceptum eius. Aduertunt tamen Doctores, quod cum in pœnitentia duplex ratio inueniri possit, nimirum *Vindictæ*, & *Medicinæ præseruatiuæ*, quamuis ex vi Indulgentiæ cesset satisfactio Sacramentalis sub priori ratione, non tamen sub posteriori, si sub illa posita sit. Ratio P. Suarez est, quia hîc non cessat præceptum ob dispensationem, vel abrogationem eius, sed per substractionem materiæ; substrahitur autem per Indulgentiam materia satisfactionis, seu vindictæ, vt sic: quia Indulgentia tollit debitum, non tamen tollitur materia, seu necessitas medicinæ; & ideo non obstante Indulgentia, manet etiam obligatio applicandi medicinam præseruatiuam. *tiam remitti potest omnis omnino pœna.*

XIII. *Indulgentia remittit pœnam ex opere operato.*

Denique hîc effectus Indulgentiæ, est etiam suo modo ex opere operato, quod negare non potest P. Suarez, ipse enim explicans sensum illius quæstionis; an sit in Ecclesia potestas concedendi fidelibus peccatorum Indulgentias, ait, intelligendum esse de potestate remittendi pœnam temporalem extrà Sacramentum, & Sacrificium, & subdit: licet in hoc cum eis conueniat quod ad modum sit *operis operati*, seu quod est, *extrà meritum, & satisfactionem operantis*, & addit, ex quibus constat eos, qui possunt Sacramenta ministrare, vel Sacrificium offerre, posse pœnas temporales pro peccatis remissis debitas remittere; verumtamen illa potestas non est per se primo ad remittendam temporalem pœnam, sed ad conficiendum Sacramentum, vel offerendum Sacrificium, quibus ex Christi promissione talis effectus adjunctus est. At vero potestas Indulgentiæ est ad remittendam pœnam temporalem immediatè, & per solam relaxationem, seu condonationem ipsius pœnæ. Quæ doctrina est valdè notabilis contra P. Suarez ad confirmandam nostram sententiam, quod scilicet Sacrificium non est per se primo, & tanquam causa particularis institutum ad pœnæ remissionem quia sicut in Sacramentis, ita in Sacrificio remissio pœnæ est effectus non primarius, sed secundarius, in Indulgentia verò primarius.



QVÆSTIO SECVNDA.

De proprio, & primario effectu Montis Propitiatorij ex opere operato.



EFFECTVM proprium, & primarium illum dicimus, ad quem primo, & per se causa aliqua ordinatur, & qui est ratio, & radix cæterorum. Quærimus ergo, qui nam est effectus hîc proprius, & primarius respectu Sacrificij ex vi suæ Institutionis. P. Suarez rectè docet, hoc Sacrificium conferre ex opere operato remissionem pœnæ, & quidem tanquam causam proximam, & immediatam. Verum effectus hîc, neque proprius huius Sacrificij est, neque primarius, non proprius, quia remittere hoc modo pœnam, est Sacrificio commune cum Sacramentis; non primarius, quia effectus hîc non est radix cæterorum effectuum, quos habet Sacrificium; & sanè mirandum est quomodo possit assignari tanquam effectus primarius ex opere operato huius Sacrificij remissio pœnæ temporalis, quæ inter omnes effectus gratiæ, censetur infimus; cum aliunde certum sit rationem Sacrificij vt sic, altiorem esse ratione Sacramenti, & Sacrificium hoc nostrum, non solum in formali ratione Sacrificij, sed in Excellentia ipsius rei, & mysteriorum, quæ continet, superare omnia Sacramenta ab ipso realiter distincta, immò ipsum vt Sacrificium superare se ipsum vt Sacramentum.

I. *Remissio pœnæ non est effectus proprius, & primarius.*

II. Vt autem in hoc assignando effectu distincto ab effectu Sacramentorum, altius, & à priori philosophemur, statuendum est rationem effectus primarij, & proximi in Sacrificio, necessario inuoluere ordinem, & relationem immediatam ad Deum, ratio est, quia ex communi Theologorum doctrina, in hoc maximè

Differẽtia præcipua inter Sacrificium, & Sacramentum.

differt Sacrificium à Sacramento, quod Sacrificium immediatè refertur ad tribuendum ſupremum cultum Deo, quocumque titulo tribuatur: Sacramentum verò immediatè refertur ad ipſos cultores Dei, quos diſponit, ſeu ſanctificat ad cultum Dei. Non differunt præcisè per ordinem qualemcumque ad noſtram vtilitatem; nam & Sacrificium ad noſtram etiam vtilitatem ordinatur, ſcilicet, vt aliquem effectum gratiæ ex opere operato nobis afferat: & Sacramentum ad cultum Dei refertur, quia verè eius vſus ad Religionem ſpectat, & ſanctificatio ad magnum Dei cultum pertinet. Sed differunt per ordinem immediatum, & mediatum, quia ſuſceptio Sacramenti ad ſanctificandum ſuſcipientem, immediatè ordinatur; Sacrificij verò oblatio immediatè ad colendum Deum. Hinc fit, vt effectus primarius Sacramentorum ſumi debeat per ordinem immediatum ad nos, effectus verò primarius Sacrificij non niſi per ordinem aliquem immediatum ad Deum: omnis enim cauſa per ſuum effectum primarium ordinatur ad objectum ſuum. Conſtat autem ex ipſis definitionibus ab omnibus receptis, Sacrificium ad Deum tanquam ad objectum ſuum, Sacramenta ad nos ordinari.

Videamus nunc inter omnes effectus Sacrificij, quis nam ille eſt, qui ita immediatè referatur ad Deum, & ita eſt huius Sacrificij proprius, vt ſit etiam cauſa & radix cæterorum effectuum, qui eidem Sacrificio tribuuntur.

Ego ſanè, quantum ex Scripturis, & Patribus cognoſcere potui, exiſtimo hunc nullum eſſe præter propitiationem, & placationem ipſam Dei, quam proximè, & immediatè efficit Sacrificium. Hic eſt effectus proprius, & primarius Sacrificij *propitiare, & placare*.

Probanda igitur, & explicanda ſunt tria. Primum eſt, Dei propitiationem, & placationem eſſe effectum Sacrificij. Secundum; hunc effectum eſſe proprium, & ſingularem Sacrificio. Tertium eſſe in illo, principium, & radicem reliquorum omnium effectuum, qui ex Scripturis tribuuntur Sacrificio.

III. *Effectus Sacrificij eſt placare.*

Et primo, effectum Sacrificij eſſe Deum placare, apertè oſtendit ſacra Scriptura, dum Sacrificio tribuit *odorem ſuauitatis*, ſiue, vt eſt Hebraicè, *odorem quietis*. Primus locus expreſſus eſt Geneſ. 8. vbi fit mentio primi Sacrificij poſt Diluuium. *Ædificauit autem Noë Altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper Altare, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis*, ſeu *quietis*. Quærunt ſuper hoc loco Interpretes; quare odor Sacrificij dicebatur odor quietis, neque aliam afferunt cauſam, niſi quia effectus Sacrificij eſt Deum quietum facere, & placatum. Dicebatur, inquit Oleaſter, odor quietis, eo quod faceret Dominum quieſcere, ſeu quietum eſſe, & placatum offerenti: peccata enim noſtra, & immunditiæ noſtræ malè Deo olent; ideo nobis aliquando iratus occurrit, vt puniat, cuius furori, ſuaui illo odore occurrebatur, vt ſcilicet à furore quieſceret. Similis eſt locus Leuit. 1. ver. 9. & alibi paſſim. *Adolebitque ea Sacerdos ſuper Altare in holocauſtum, & ſuauem odorem Domino*, vbi Hebraicè habetur, *& odorem quietis Domino*, hoc eſt, vt ait Lorinus; in odorem, in quo conquieſcat Dominus, & propter quem *pacatus, & placatus reddatur*, nec indignetur velut ob tetrum odorem ex peccatis prouenientem. Vt autem oſtenderet Deus, odorem hunc Sacrificiorum, quæ in Altari extimo holocauſtorum offerrebantur, ſibi eſſe gratiſſimum, & ad ſe peruenire, voluit, vt Altare Thymiamatis, in quo Sacrificiorum odor

IV. *Odor ſuauitatis Sacrificiorũ.*

V. *Quomodo odor Sacrificiorum aſcendebat ad Deum.*

repræſentabatur, & offerebatur quotidie bis, ſcilicet mane, & veſpere inſtar iugis Sacrificij, cuius odor eſſe cenſebatur; voluit, inquam, vt Altare illud Thymiamatis eſſet intra Tabernaculum ipſum, ſiue in Sancto, in medio Candelabri, & Menſæ, obuerſum Propitiatorio, quod erat in Sancta Sanctorum ſupra Arcam, & ita obuerſum, vt per aperturam, quæ erat supernè in pariete diuidente Sanctum à Sancto Sanctorum, fumus aromatum incenſorum aſcenderet, & euaporaret in ipſum propitiatorium, ſeu placatorium, vt ſic oſtenderet ſe oblata Sacrificia acceptare, iiſque propitiari, atque placari.

VI. *Sacrificium placabile quid.* Nulli ergo dubium eſt Sacrificium vt ſic, virtutem peculiarem habere propitiatoriam, & placatiuam, in quantum videlicet eſt præſtantiſſimum quoddam munus Religionis; hinc Hoſtia, quæ offerebatur in Sacrificio, dicebatur *Hoſtia placabilis*, vt Leuit. 19. & 22. Altare, in quo offerebatur, dicebatur placabile, vt Iſai. 60. Offerentur ſuper *placabili Altari* meo, & Sacrificium ipſum dicebatur placabile, vt Exod. 29. vbi iubentur Nouelli Sacerdotes, qui ibi ſunt offerrentes carnes pacificas, quibus propitiatum erat, comedere, *vt ſit*, inquit, *placabile Sacrificium*, hoc eſt, vt explicat noſter Cornelius, vt Deus oſtendat ſe hoc Sacrificio placatum eſſe; quandoquidem eos tàm benignè ad menſam ſuam, puta ad ſuas victimas inuitatos admittat.

VII. *Sacrificium noſtrum eſt ſimpliciter placatiuum.* Quod ſi omne Sacrificium à Deo inſtitutum peculiarem vim placandi habet, quis dubitet illam eſſe in Sacrificio noſtro, quod vt docet Tridentinum Seſſ. 22. cap. 1. *Bona omnia* per antiqua Sacrificia ſignificata, velut *illarum omnium conſummatio, & perfectio*, complectitur, neque contenti Patres ampliſſimi illius Concilij, hunc effectum generatim inſinuaſſe, declararunt infra, ſpeciatim illis verbis ſæpius repetendis. Huius quippe *oblatione* placatus Dominus, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.

VIII. *Effectus placandi eſt propriiſſimus Sacrificij.* Secundo loco erat probandum effectum hunc *placandi* ex opere operato, eſſe proprium, & ſpeciale huius Sacrificij. Habent quidem cuncta bona opera generalem quandam vim Deum placandi, quatenus quæcumque placent, placant; in quem ſenſum legimus lib. 2. Paralip. cap. 20. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde quærunt eum.* Rurſus orationes, & preces, præter generaliſſimam illam vim, habent ſuam peculiarem, & ſpecialem propitiandi, & placandi; vnde beneficia Diuina ex miſericordia Dei per illas impetrâmus. Sed Sacrificium continet omnem vim placandi, ſicut, & impetrandi, idque ex opere operato, ita vt opus ipſum ſit ex ſe placatiuum, & propitiatiuum; & ideo etiam reponitur ſub genere orationis, & quidem efficaciſſimæ, non verbalis, ſed realis. Hinc Doctores Catholici contra Caluinum, aſſerentem ſuperfluum eſſe Sacrificium noſtrum, tanquam applicatorium Sacrificij Crucis, quia meritum, & pretium Sacrificij Crucis ſatis nobis applicantur à Sacramentis. Reſpondent, quod

IX. *Sacrificij eſt placare ſicut Sacramentorū ſanctificare.* licet Sacramenta applicent nobis meritum quoad iuſtificationem, non tamen applicant illud quoad propitiationem, quia ſola, inquiunt, Miſſa eſt Sacrificium propitiatorium, quod ex opere operato impetrat gratiam præuenientem, qua excitamur ad ſuſcipienda Sacramenta ipſa, quibus iuſtificamur. Affert inter alios hanc doctrinam noſter Cornelius in cap. 10. ad Hebr. diſertiſſimis verbis: Sacramentorum, inquit, eſt iuſtificare, Sacrificij verò eſt propitiare, ſiue Deum propitium reddere, vt ſcilicet peccatorum incipiat miſereri, eiuſque gratiam præuenientem,

præuenientem, & excitantem largiatur. Quæ doctrina sine dubio magnum habet fundamentum in Tridentino, loco citato, vbi ait: Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Ex quibus verbis ad rem nostram sic argumentor. Efficientia propria Sacramentorum, præsupponit propitiationem, & placationem factam per Sacrificium; ergo propitiatio, & placatio non est effectus Sacramentorum, sed propius Sacrificij. Probo antecedens. Efficientia propria Sacramentorum est respectu gratiæ sanctificantis, & quæ per se est remissiua peccatorum; vnde idem Tridentinum definit Sess. 6. cap. 4. sine Sacramentis, aut eorum voto, neminem posse gratiam iustificationis adipisci, quod dictum est ratione Baptismi respectu Infidelium, & ratione Sacramenti Pœnitentiæ respectu baptizatorum, qui post Baptismum lapsi sunt. Cum ergo *prima, & propria* efficientia Sacramentorum sit respectu gratiæ per se remissiuæ peccatorum; & hæc concedatur ex vi placatiuæ oblationis, *Huius quippe oblatione placatus Deus*, gratiam concedit remissiuam peccatorum, ait Concilium, consequens est, vt propitiatio, & placatio sacrificalis antecedat primam, & propriam efficientiam Sacramentorum.

X. *Sacramenta præsupponunt, non efficiunt propitiationem.*

Atque hinc, quod *Tertio* loco probandum erat, clarissimè infertur; quia nullus est excogitabilis effectus Sacrificij, in quantum pro nobis offerri potest, cuius primum principium, & radix non sit sacrificalis propitiatio, & placatio. Est enim generalissima ista causalis. Ideo Sacrificium habet hunc, & hunc effectum respectu nostri, quia habet effectum propitiationis respectu Dei. Si enim quæras, vnde habet Sacrificium vt gratiam, & donum pœnitentiæ impetret, vt crimina, & peccata etiam ingentia dimittat, vt soluat pro pœna temporali, vt plurimis necessitatibus succurrat, vt beneficia etiam plurima, & bona temporalia peccatoribus impetret; non alia debet, aut potest ratio assignari, nisi quia propitiatorium, & placatorium per se est. Deus enim, qui propter peccata iustam indignationem, & auersionem habens, negabat merito auxilia vberiora, quibus indigebamus, ablato indignationis obice per Sacrificij oblationem, quæ prius ante iustè negabat, iam clementer benigneque concedit. Quia ergo effectus placationis est reliquorum omnium radix, qui proueniunt è Sacrificio, idcirco effectus illius primarius dicendus est. Atque hanc puto esse sententiam veterum omnium Theologorum, quam videtur sequutus Bellarminus lib. 1. cap. 3. vbi rationes affert cur Martyrum passiones, Sacrificia propriè, & in rigore dici non possint, vt Christi Passio. Ratione finis illa, inquit, est ratio, quia proximus, & principalis finis Passionis, & Mortis Christi fuit, *Placare Deum, qui est finis veri Sacrificij*. Finis autem proprius mortis Martyrum non erat Deum placare, sed testimonium veritati præbere, vnde dixit S. Leo Epist. 83. Nullius insontis occisio propitiatio Mundi fuit.

XI. *Prima radix omnium effectuum Sacrificij est placatio.*

Ex hoc principio videtur vlterius sequi nullum esse effectum gratiæ, & salutis, qui tribui non debeat huic Sacrificio, cum enim omnis huiusmodi effectus peccatoribus proueniat, ex eo quod placetur Deus, & cum hæc placandi actio sit propria Sacrificij, & cum nullum iam Sacrificium sit præter hoc vnicum Ecclesię incruentum, sequitur, vt huic tanquam causæ cuidam vniuersali, omnes effectus salutis referri possint ac debeant. Verum qua ratione id verum sit disputabimus quæstione sequenti.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum hoc Sacrificium ſit cauſa vinculis concurrens ad omnes effectus gratiæ ex opere operato.



AGNVM certamen suscipimus, & magno cum Aduersario, sed quamuis impares viribus, fortasse paribus pugnabimus armis. Igitur P. Suarez disput. 79. Sect. 1. hanc ponit conclusionem quæ in suo ordine est secunda. Hoc Sacrificium nulla ratione diei potest causa vniuersalis ex opere operato conferens, vel concurrens ad omnes effectus gratiæ, qui ex Redemptione Christi nobis proueniunt. I. *Aduersariorum Assertio.*

Pro hac sua conclusione, nullum P. Suarez ex antiquis citat Authorem, affirmatque nihil ferè antiquos de illa loquutos esse, quia vt ipse se existimare ait, nunquam huiusmodi causalitatis modus in eorum mentem venit.

Nos contra, libratis vtrinque rationum momentis, & ducti tantùm amore veritatis, contradictoriam statuimus conclusionem, asserimusque Diuinum hoc Sacrificium dici omnino posse, & esse causam vniuersalem ex opere operato concurrentem ad omnes fructus, & effectus gratiæ, quos Christus per Passionem suam nobis meruit, & quacumque via, aut ratione nobis applicantur. Atque hanc contendimus esse sententiam totius antiquitatis, vt mirandum non sit, quod fatetur P. Suarez, nullum antiquum oppositum docuisse. II. *Nostra Positio.*

III. *Probatur primo ex Scriptura.* Primùm solidum fundamentum sumimus ex Scriptura Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo caro mea est pro Mundi vita.* Hoc verbo, *pro Mundi vita*, comprehenduntur omnes omnino effectus gratiæ, quos Christus per Passionem suam nobis meruit, neque in hoc vllum contradicentem inuenio; nam idem est *pro Mundi vita*, quod *pro Mundi salute*, qua phrasi vniuersali, fructus Passionis, & Mortis Christi in Scriptura significari notissimum est; Immò Doctores aliqui

IV. *Vita Mundi quid.* ex eo verbo, totum hunc locum de causalitate Passionis Christi interpretantur, vt sensus sit: dabo carnem meam in Cruce quasi frumentum molendam, quasi panem pinsendam in cibum Mundi. Nulla ergo fingi potest controuersia in acceptione vniuersalissima huius vocis. Controuersia tantùm esse potest; An hîc vniuersalissimus effectus dicatur hoc loco dandus à carne, seu corpore Christi in Cruce, an in Altari. Pro qua controuersia asserimus duo. Primum non agi hoc loco de fructu Passionis sustinendæ, sed de fructu Eucharistiæ instituendæ. Rursus neque de fructibus, & effectibus Eucharistiæ, vt Sacramentum solummodo est, sed maximè, & potissimè de effectibus Eucharistiæ, vt Sacrificium iuge Ecclesiæ est.

V. *Locus Ioannis intelligendus de Eucharistia.* Ac primum quidem, quod hoc loco, & his verbis agatur de Eucharistia instituenda probat Bellarminus lib. 1. cap. 5. quatuor argumentis. Primo ex ipso textu Scripturæ. Secundo ex Conciliis, & testimonio totius Ecclesiæ. Tertio ex Patribus omnibus, qui Commentaria scripserunt super hunc locum. Quarto, ex absurdis, quæ sequuntur ex Aduersariorum sententia. Addit Maldonatus, nemini ferè Authori bono, malove ante Lutherum venisse in mentem, vt diceret hoc loco de Eucharistia non agi; neque equidem intelligo ait ille, vbi Tridentini Concilij Decretum valere debeat, ne quis contra Patrum consensum Scripturas sacras interpretetur; si hîc non valet, vbi de re agitur inter nos, & Hæreticos maximè controuersa. In hac igitur parte comprobanda non moror.

VI. *De Eucharistia vt Sacrificium est.* Illud probare aggredior, quod à Catholicis plurimis video inobseruatum, hoc nimirum loco, vbi constat agi de Eucharistia, de illa, non tam vt Sacramento, quàm vt Sacrificio agi. Conferamus hæc verba cum verbis Institutionis Sacrificij. Hic dicitur, *Panis quem ego dabo caro mea est pro Mundi vita.* Seu

VII. *Conferuntur verba promissionis cum verbis Institutionis.* vt est in Græco, & legunt S. Cyrillus, Theophylactus, & Theodoretus: Panis, quem ego dabo caro mea est, *quem ego dabo* pro *Mundi vita.* Et Arabicus apud nostrum Cornelium, Panis, quem ego dabo est *corpus meum*, quod ego do pro Mundi vita. In verbis autem Institutionis habetur: Accipite: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur in remissionem peccatorum*, tanta est similitudo, ait Bellarminus, vt planè clamare videatur Diuina Scriptura: *ibi reddit, quod hic fuit promissum.*

Consuetudo Christi fuit, maiora mysteria, antequam re ipsa fierent, prænunciare, deque eximiis illorum fructibus aliquid disserere, eiusque rei rationem non raro reddebat, *vt cum factum fuerit credatis* Ioan. 14. *Vt non scandalizemini, vt eorum reminiscamini. quia ego dixi vobis.* Ioan. 6. Porrò Euangelistæ sic ea referunt, vt quæ vno tempore, aut loco promissa, ea alio loco reddita esse demonstrent. Sic Claues Regni Cœlorum Petro promisit Christus Matth. 14. *Et tibi dabo*, simulque explicuit, quam vim illæ essent habituræ; tradidit autem illas post Resurrectionem Ioan. 21. Pari modo in re nostra, quod

vno anno ante se facturum, & instituturum promisit: *Corpus, quod ego dabo pro Mundi vita*, reddit pridie Passionis, quasi ostendens promissum, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur* Luc. 22. & vide quàm aptè cuncta respondeant: hîc dicitur, *dabo*, ibi redditur, *datur*; hîc dicitur, panis, quem ego dabo *caro mea est*, ibi Panis qui datur corpus meum est; hîc explicatur fructus, dabo *pro Mundi vita*, ibi idem æquipollenter exprimitur, datur *in remissionem peccatorum*.

VIII. *Implet quod promittit.*

IX. *Sacrificium cruentum & incruentum æquè latè patent.*

At in Eucharistia dicet aliquis: Caro Christi pro Mundi vita non datur. Dicet quidem hoc Hæreticus (verba Maldonati non mea sunt) Catholicus nemo dicet; nam etsi in Cruce pro Mundi vita in Sacrificium cruentum data est, etiam in Eucharistia pro eadem Mundi vita in Sacrificium datur incruentum. Notabilis planè responsio. *Pro eadem Mundi vita*: ergo hæc duo Sacrificia, cruentum, & incruentum æquè latè patent? Ita planè. *Ad omnia valet*, inquit Ricardus art. 16. *Sacrificium Altaris, ad quæ valuit victima Crucis.*

X. *Quid significat, dabo, & datur.*

Sed ex collatione hac verborum sacræ Scripturæ conseramus cominus manus. Id promittitur cum dicitur: *Panis quem ego dabo pro Mundi vita*, quod exhibetur, & instituitur. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Seu vt pressius agam, & neruosius, id significat, *dabo*, de futuro, quod significat, *datur de præsenti*, sed *datur* de præsenti, significat, *offertur* in Sacrificium incruentum; ergo *dabo* de futuro, significat *offeram* in Sacrificium pariter incruentum, de quo prædicatur vniuersalissimus effectus pro Mundi vita.

XI. *Datur, est idem quod sacrificatur.*

Maior propositio huius argumenti admittitur iam à Catholicis. Minor subsumpta probata à nobis est alibi fusè; illam tamen Hæretici omnes mordicus negant, ne fateri cogantur Missæ Sacrificium, ideo aiunt, sensum verborum, quod pro vobis *datur*, quemadmodum etiam sensum verborum consecrationis Calicis, *qui pro vobis funditur*, esse, qui *incipit fundi*, quia initium iam Passionis erat.

XII. *Non in Cruce, sed in Altari.*

Sed vtrumque commentum, vno Apostoli verbo refutatur, ait Maldonatus, qui ait, hoc est corpus meum, *quod pro vobis frangitur*, quod de corpore Christi in Cruce dici non potuit, quia Sacramentalem loquutionem esse constat. Dicitur autem Corpus Christi frangi, quatenus sub panis specie, & Sacramento est, quia panis frangitur. Itaque extrà Sacramentum frangi non dicitur, ac ne in Cruce quidem, vbi etiam B. Ioannes, tanquam mysterium adnotauit, latronibus crura confracta fuisse, Christo non fuisse. Verus ergo sensus horum verborum. Pro vobis *datur*, pro vobis *funditur*, est, *pro vobis offertur Deo, & sacrificatur*; neque enim dicit, qui *vobis* datur, qui *vobis* funditur, vt dicendum erat, si ad edendum daretur, & ad bibendum funderetur, sed qui *pro vobis* datur, *pro vobis* funditur, quod cum Sacrificio optimè conuenit, Sacrificium enim non hominibus, sed *pro hominibus offertur*. quod egregiè obseruat Maldonatus, & nos vbi recurrit necessitas, inculcare sæpius non piget; est enim hæc particula, *Pro*, in hac tam graui materia validum telum, quod non semel contra Hæreticos intorquet Bellarminus, præsertim lib. 1. de Missa cap. 12. explicans eundem hunc locum Apostoli 1. Corinth. 11. quod *pro vobis* frangitur, quæ verba, inquit, non possunt, vt contendunt Hæretici de solo pane intelligi; non enim panis *pro nobis* frangitur, sed nobis, sed oportet illa intelligere de vero corpore, sed non de vero corpore in propria specie, vt in Cruce, sed de vero corpore sub specie panis,

XIII. *Pro nota sacrificalis.*

vt in Altari. Itaque ſenſus eſt: Hoc eſt corpus meum, quod nunc pro vobis in ſpecie panis frangitur, ideſt *datur*, & immolatur Deo.

XIV.
Ioannes hic tantum meminit Sacrificij incruenti.

Si ergo verba hæc promiſſionis de carne danda pro Mundi vita, eundem planè ſenſum habent cum verbis Inſtitutionis de carne data, & in perpetuum Sacrificium relicta pro peccatorum remiſſione, dicendum neceſſario eſt in hoc loco Ioan. 6. commendari ampliſſimum, & vniuerſaliſſimum effectum, & fructum iugis, perpetuique Eccleſiæ Sacrificij, qui fructus ſub Mundi vita, pleniſſimè commendatur.

Et ſanè quod in ſimili adnotauit Bellarminus ſi in hoc loco B. Ioannes non agit de Euchariſtia vt Sacrificium eſt, ſequeretur nihil planè ſcripſiſſe de hoc Sacrificio; nam nuſquam attigit hanc materiam de Euchariſtia niſi hoc loco: At certè valde abſurdum eſt Euangeliſtam Primarium, & diligentiſſimum in ſummis myſteriis explicandis, in tàm longo Euangelio, nihil de hoc ſummo Sacrificio ſcriptum reliquiſſe, præſertim, cum hoc ipſum ſibi propoſuiſſe videatur, vt maxima quæque myſteria conſectaretur. Quare Auguſtinus lib. 3. de conſ. Euang. monet, Ioannem nihil ſcripſiſſe de Euchariſtia in proprio loco, vt cæteri fecerunt, quia plurima de ea re ante ſcripſerat. Cæteri autem Euangeliſtæ in proprio loco non ſolum egerunt de Euchariſtia, vt Sacramentum, ſed etiam, & potiſſimè, vt Sacrificium eſt. Præterea ſi hìc non eſt ſermo de Sacrificio, ſequeretur Chriſtum nunquam explicuiſſe fructum, aut excellentiam Sacrificij corporis ſui, cum id tam ſæpè fecerit de Sacramentis, nam in vltima Cœna ſolum inſtituit, & ad verba conſecrationis corporis nihil addidit, & quamuis Matthæus addidit ad verba conſecrationis Calicis illud, *in remiſſionem peccatorum*, propter hoc ipſum par erat, vt Ioannes, qui Euangeliſtarum vltimus ſcripſit, & ſibi propoſuerat inſignia quædam ab aliis prætermiſſa conſignare; par, inquam, erat, vt quod de ſanguine à Matthæo expreſſum fuerat, hoc de corpore alibi declararet. Maneat ergo his verbis, promiſſum Eccleſiæ fuiſſe Sacrificium inſtituendum pro noſtra, & totius Mundi ſalute, & *Vita*.

XV.
Chriſtus hic explicuit fructum Sacrificij corporis ſui.

XVI.
Probatur 2. ex S. Thoma.

Secundum fundamentum principale eſt, Authoritas, eaque luculentiſſima Principis Theologorum S. Thomæ, cui quantum in hac præſertim materia Eccleſia deferat, notius eſt, quàm vt hìc oporteat demonſtrare. Eſt autem prænotandum ad loci intelligentiam, familiare eſſe S. Thomæ agere promiſcuè de Sacrificio ſub communi nomine Sacramenti, quatenus Sacramentum comprehendit totum myſterium ſub quacumque ratione ſigni Sacri, vt manifeſtum eſt ex tota quæſt. 83. 3. par. vbi ſemper agit de Sacrificio ſub hoc communi nomine, quod adnotarunt omnes Interpretes S. Thomæ, & Aduerſarij noſtri non diffitentur.

XVII.
Sacrificium dicitur quandoque Sacramentum.

Igitur S. Doctor in cap. 6. Ioan. lectione 6. ſub finem, explicans vtilitatem Euchariſtiæ ſuper allata à nobis Euangeliſtæ verba; *pro Mundi vita*. Vtilitas, inquit, huius Sacramenti magna eſt, & *vniuerſalis*, magna quidem, quia efficit in nobis nunc, vitam ſpiritualem, tandem æternam, vt dictum eſt; nam cum hoc Sacramentum ſit Dominicæ Paſſionis, continet in ſe Chriſtum paſſum, vnde: *quidquid eſt effectus Dominicæ Paſſionis, totus etiam eſt effectus huius Sacramenti.* Nihil enim aliud eſt hoc Sacramentum, quàm *applicatio Dominicæ Paſſionis* ad nos; non enim decebat Chriſtum ſecundum præſentiam ſuam eſſe ſem-

XVIII.
Locus egregius [illegible]lore Sacrificij.

per nobiſcum, & ideo voluit hoc ſupplere per hoc Sacramentum. Vnde manifeſtum eſt, quod deſtructio mortis, quam Chriſtus moriendo deſtruxit, & reparatio vitæ, quam reſurgendo effecit, *& hoc eſt effectus huius Sacramenti. Vniuerſalis* autem, quia *vita, quam confert*, non ſolum eſt vita vnius hominis, ſed quantum in ſe eſt, *totius Mundi*, ad quam *ſufficiens eſt mors Chriſti*, 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed etiam totius Mundi.* Notandum autem eſt, quod aliter eſt in iſto Sacramento, & aliter in aliis, nam *alia Sacramenta habent ſingulares effectus*, ſicut in Baptiſmo, ſolus baptizatus ſuſcipit gratiam, *ſed in immolatione huius Sacramenti eſt vniuerſalis effectus*, quia non ſolum Sacerdos effectum conſequitur, ſed etiam illi, pro quibus orat, & *Eccleſia tota, tam viuorum, quàm mortuorum.* Cuius ratio eſt, quia continetur in ipſo ipſa cauſa vniuerſalis omnium Sacramentorum, ſcilicet Chriſtus; nec tamen ſi laicus ſumat hoc Sacramentum prodeſt aliis quantum eſt ex opere operato, in quantum conſideratur vt perceptio, quamuis ex intentione operantis, & percipientis poſſit communicari omnibus, ad quos dirigit ſuam intentionem. Hæc ibi S. Thomas pro materiæ amplitudine preſsè, clarè, & plenè.

XIX. *Quædam magis notabilia in hac doctrina S. Thomæ.*

Quid ad tanti Doctoris tam apertam authoritatem aduerſarij comminiſcentur? quem ſenſum accomodabunt vniuerſaliſſimæ illi aſſertioni. *Quidquid eſt effectus Dominicæ Paſſionis, totus etiam eſt effectus huius Sacramenti*, id quod ſuperius dixerat, *Totus etiam eſt effectus.* Si dubitent, ad quos dicendum eſt ſe extendere efficaciam, ſeu efficientiam Sacrificij, quàm latè dicendum eſt patere vitam, cuius eſt cauſa. Perpendant verba, quibus extenſiuam vniuerſalitatem ſubindicat S. Doctor. *Vita, quam confert, eſt vita quantum in ſe eſt totius Mundi, ad quam ſufficiens eſt mors Chriſti*; vide quid aſſerat. Quouſque ſe extendit Sacrificium cruentum quoad ſufficientiam, eo ſe extendit incruentum, quoad efficaciam; & rationem huius coëxtenſionis aperuerat, *nihil enim aliud eſt hoc Sacramentum quàm applicatio Dominicæ Paſſionis ad nos*; quaſi dicat, tantum latè patet Sacrificium applicatorium, quantum latè patuit Sacrificium redemptorium. Quod ſi ſubeat animum ſuſpicio aliqua, S. Thomam, contra quod prænotauimus non loqui de Euchariſtia, vt Sacrificium eſt; obſeruent primo, verbum immolationis, quod eſt verbum ſacrificale. *In immolatione*, inquit, *huius Sacramenti eſt vniuerſalis effectus.* Obſeruent ſecundo, Euchariſtiam, vt à Sacrificio diſtinguitur habere ſuum effectum ſingularem tantùm in ſuſcipiente, vt reliqua pura Sacramenta, *ſicut in Baptiſmo ſolus baptizatus ſuſcipit gratiam*, ſed in immolatione huius, *non ſolum Sacerdos effectum conſequitur, ſed etiam Eccleſia tota, tàm viuorum, quàm mortuorum.* Denique ſi aliqua ſuboriatur dubitatio, non eſſe hoc loco ſermonem de effectu vniuerſali ex opere operato, attendant ad id, quod dicitur de ſumptione Euchariſtiæ non Sacerdotali, & ſacrificali, ſed laïcali. *Nec tamen ſi laïcus ſumat hoc Sacramentum, prodeſt aliis quantum eſt ex opere operato*, & mox, *ex quo patet quod laïci ſumentes Euchariſtiam pro his, qui ſunt in Purgatorio errant.* Hinc manifeſtè cognoſcent S. Thomam loqui de effectu ex opere operato, qui videlicet in ſumptione ſacrificali prouenit etiam non ſumentibus; in ſumptione verò laïcali, prouenit tantùm ſumenti, atque adeo in Purgatorio degentibus nihil prodeſt ex opere operato.

XX. *Cauſalitas vniuerſalis ex opere operato.*

Citauit allatum hunc locum S. Thomæ P. Suarez, & ex parte etiam illum attulit, sed hoc tantùm, & quidem generatim respondet, Authores citatos, non loqui de effectu ex opere operato. Merebatur Summi Theologorum Principis authoritas non obscura, pleniorem aliquam responsionem, & explicationem, sed nos contra illam datam, in qua totum positum videtur effugium.

XXI. *Probatur nostra Conclusio ratione.* Tertium principale ponimus fundamentum à ratione, hoc modo. Diuinum hoc Sacrificium habet absolutè, & simpliciter effectum ex opere operato, sed nulla est authoritas, aut ratio, quæ probet hunc effectum simpliciter ex opere operato, & non probet illum esse vniuersalem; ergo si hoc Sacrificium habet simpliciter effectum ex opere operato, illum habet vniuersalem.

Maior propositio est communis apud Theologos cum teste Bellarmino lib. 2. de Missa cap. 4. Vnus tantùm, aut alter inueniatur, qui dissentiat, addit P. Suarez se Catholicum contradicentem non inuenisse; quare, ait ille, certam existimo veritatem hanc.

Veniamus ergo ad minorem propositionem, in qua sine dubio tota vis est. Dixi nullam esse authoritatem, nullam rationem, quæ probet, hoc Sacrificium habere effectum ex opere operato, & non habere illum vniuersalem. Ac de authoritate quidem satis mihi est, quod fatetur P. Suarez Sect. 6. huius disp. 79. nimirum Concilium Tridentinum imitatum antiquos Patres, nihil specialiter dicere de modo operandi effectum remissionis pœnæ ex opere operato, sed eodem generali modo de eo, & cæteris loqui. Quare ex antiquis Patribus, & ex Tridentino ipsos imitato, hoc expresse fatente P. Suarez nihil habemus, quod ostendat hunc potius, quàm illum effectum Sacrificij esse ex opere operato.

Accedamus igitur ad rationes, & vt cogamus Aduersarios suas omnes proferre ad eruendam ex illis, & euincendam, rei, de qua, agimus, veritatem. Nego absolutè Sacrificium hoc habere modum causandi ex opere operato; cedo mihi iam, vnde habet, & probat P. Suarez Sacrificium hoc habere effectum aliquem ex opere operato?

Habeo, inquit ille primo ex communi Ecclesiæ consensu, omnes enim persuasum habent Sacrificium hoc ex vi suæ Institutionis habere singularem vim, & efficaciam ad applicandum aliquem fructum Redemptionis Christi iuxtà id, quod Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. dixit, Christum instituisse hoc Sacrificium. *Vt illius* (idest Sacrificij Crucis) *salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur*, quod in cap. 2. latius docet. Hæc autem applicatio cum fiat ex vi Institutionis, oportet, vt includat causalitatem ex opere operato; nam si solum esset ex merito, vel satisfactione operantis, nihil haberet singulare hoc Sacrificium ex vi Institutionis, immò neque in hac superaret Sacrificia veteris legis, vel Naturæ, nam etiam illa habere poterant similem effectum ex opere operantis, vel per modum impetrationis. Quod si dicatur hanc impetrationem esse maiorem in hoc Sacrificio propter dignitatem eius, hoc non satis est, nam inde fit hoc Sacrificium nullam habere virtutem applicandi redemptionem Christi ex peculiari institutione ad hunc finem, sed solum quatenus ex natura rei sequitur ex ipsa Institutione Sacrificij secundum substantiam eius, hoc autem non videtur consentaneum doctrinæ Concilij Tridentini.

Hæc

Hæc prima ratio si probat Sacrificium habere effectum ex opere operato, profectò vniuersaliter probat de omni illius effectu. Ecce tota vis argumenti. Per hoc Sacrificium fit applicatio virtutis Passionis Christi; & hæc applicatio fit ex vi Institutionis; ergo includit causalitatem ex opere operato. Hæc illatio rectè ostendit connexionem causalitatis gratiarum, & applicationis Passionum Christi, vt æquè latè patere debeat causalitas illarum, & harum applicatio; atqui applicatio est vniuersalis ex Concilio; ergo etiam causalitas. XXII. *Sacrificium hoc est vniuersale applicatorium Passionis Christi.*

Dices, applicatio hæc ex Concilio est in gratiam remissionis peccatorum quoad pœnam tantùm, nòn quoad culpam. Sed relegamus verba Concilij: *Vt illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur.* Vbi est applicationis limitatio quoad pœnam, & non quoad culpam? Sed quoniam P. Suarez ait, hanc applicationem latius explicari à Concilio cap. 2. Afferantur verba capitis secundi. Ecce: *Oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur. Quare non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxtà Apostolorum traditionem offertur.* Ex his verbis clarissimè constat applicationem hanc fieri vniuersalem. Dicitur enim propositione indefinita, quæ æquiualet vniuersali sine vlla limitatione percipi fructus oblationis cruentæ. Neque licet amplius respondere esse vniuersalem pro remissione peccatorum quoad pœnas. Nam Concilium distinguit hìc, & enumerat: *pro peccatis, pro pœnis, pro aliis necessitatibus.* Igitur hæc prima ratio, aut probat causalitatem ex opere operato esse vniuersalem, aut neque probat esse particularem. Aliunde ergo ostendat Aduersarius, vnde habet in Sacrificio hunc causandi modum ex opere operato.

Habeo, inquit secundo, quia Ecclesia semper intellexit fructum huius Sacrificij non pendere ex gratia, seu sanctitate Ministri offerentis; ergo signum est dari ex opere operato.

Hæc item ratio si probat vnum effectum ex opere operato, probat omnes. Quia verè Ecclesia semper intellexit, nullum fructum huius Sacrificij pendere ex gratia, seu sanctitate Ministri offerentis. Quis enim dixerit remissionem peccati quoad pœnam non pendere ex conditione Ministri offerentis, quoad culpam verò pendere; cum absolutè doceat Tridentinum cap. 1. Sacrificium, quod offertur pro peccatis, seu culpis, & pro pœnis, aliisque necessitatibus, esse oblationem illam mundam, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest. Igitur secunda ratio, vel nimis pro sua sententia, vel nihil probat. Alia igitur afferenda est ratio vnde modum illum operandi habeat. XXIII. *Nullus fructus sacrificij pendet ex conditione Ministri.*

Habeo, inquit tertio, quia Sacramenta legis nouæ, omnia habent effectum ex opere operato, ergo & Sacrificium debet habere aliquem similem effectum sibi proportionatum. Patet consequentia, quia vtrumque spectat ad dignitatem, & excellentiam nouæ legis, neque minus dignum, aut perfectum est hoc Sacrificium in ratione Sacrificij, quàm sint in suo genere Sacramenta. Quapropter, quod de Sacramentis nouæ legis dicunt Concilia, efficere quod significant, quia non sunt signa egena, & vacua, sed plena virtute Sanguinis Christi, quo iam effuso nituntur: Totum, inquam, hoc conuenit huic Sacrificio: Est enim eadem XXIV. *Sacrificium est signum non egenum & vacuũ, sed plenũ magis quolibet Sacramento.*

ratio, immò quia cum vno Sacramentorum idem realiter eſt quoad hoc ſub nomine Sacramenti comprehendi poteſt.

Hæc paritas Sacramentorum, ſi probat cauſalitatem aliquam Sacrificij ex opere operato, probat omnem. Ratio eſt quia ad perfectionem Sacramenti nouæ legis pertinet, vt omnes effectus illius vt Sacramentum eſt, ſint ex opere opera-

XXV. *Omnis effectus tum Sacrificij, tum Sacramenti eſt ex opere operato.*

to, Neque enim ex parte ſunt plena virtute Sanguinis Chriſti, & ex parte ſunt vacua; ergo ad perfectionem Sacrificij nouæ legis, quod ſine dubio non eſt minus dignum, & minus perfectum, pertinet, vt omnis effectus illius, vt Sacrificium eſt, ſit etiam ex opere operato. Quandoquidem Aduerſarij fatentur, quod eſt eadem, immò maior ratio. Et ſanè valde egenum eſſet Sacrificium Chriſti, ſi ex opere operato nihil haberet, niſi remittere pœnam temporalem, & quoad hoc vix ſuperaret Sacrificia veteris legis, vel Naturæ. Nam etiam illa ex vi Inſtitutionis Diuinæ, ſimilem habebant effectum. Præterquam quod ſuperaretur ſimpliciter à quolibet Sacramento nouæ legis. Nullum enim eſt Sacramentum in noua lege, quod præter remiſſionem alicuius pœnæ non habeat alios plures, & quidem multo nobiliores effectus ex opere operato. In paritate ergo Sacramentorum, ſuum Aduerſarij intentum nequaquam habent.

Habeo, inquit, quarto, quia alias ſequitur non magis poſſe hoc Sacrificium offerri pro alio, quàm ipſam Euchariſtiæ ſumptionem, quod eſt planè falſum, & contra omnium mentem. Sequela probatur, quia etiam ſumptio offerri poteſt pro alio quoad ſatisfactionem ex opere operantis, & ſimiliter quoad impetrationem: Eſt enim opus ſatisfactorium, & meritorium, ſeu impetratorium: ſicut & alia opera Religionis. Si autem ab oblatione Sacrificij vt ſic, tollamus vim ex opere operato, nihil aliud in ea manet, quod pro alio offerri poſſit, præter ſatisfactionem, & impetrationem ex opere operantis; nulla ergo eſt diuerſitas.

XXVI. *Sacrificium prodeſt vniuerſæ Eccleſiæ ex opere operato.*

Hæc ratio pari efficacitate probat Sacrificij cauſalitatem ex opere operato vniuerſalem, quia ſequeretur non magis poſſe hoc Sacrificium offerri pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis, & pro omnibus effectibus gratiæ conſequendis, quàm ipſam Euchariſtiæ ſumptionem, vt eſt manifeſtum ex ratiocinatione iam facta, quare ſi ab oblatione Sacrificij vt ſic, tollamus hanc vim vniuerſalem ex opere operato, nihil aliud in ea manet, quod pro omnibus viuentibus, & defunctis offerri poſſit præter ſatisfactionem, & impetrationem ex opere operantis. Nulla ergo ſit diuerſitas. Vides vt neque ex hac quarta ratione quidquam habet.

Habeo, inquit, quinto, & vltimo, quia ſequi ex contraria ſententia videtur, oblationem Sacrificij, qua in hoc myſterio Chriſtus offertur, non eſſe de ſe magis fructuoſam, magiſque applicatoriam Redemptionis, quàm ſit oblatio interna eiuſdem Chriſti, & Paſſionis eius, quam vnuſquiſque fidelis ſua priuata deuotione facere poteſt. Conſequens autem eſt etiam abſurdum, & contra totius Eccleſiæ ſenſum, & traditionem, nam Sacrificium hoc re ipſa oblatum cenſetur habere ſpecialem efficaciam vltrà ſolum deſiderium, ſeu interiorem actum.

XXVII. *Sacrificium ex vi externi operis valet.*

Hæc ratio, ſicut reliquæ præcedentes ſi quid probat, vniuerſalem cauſalitatem probat, alioquin hoc Sacrificium re ipſa oblatum pro vniuerſo gradu Eccleſiæ, & pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus; & aliis omnibus neceſſitatibus, non eſſet de ſe magis fructuoſum, magiſque applicatorium Paſſionis in ordine

ad vniuersas personas, & vniuersos effectus, quàm sit oblatio priuata, & interna eiusdem Passionis pro iisdem personis, & ob eosdem effectus facta. Quod sine dubio est expresse contra Concilium capite illo secundo, vbi dicitur: *Cuius quidem oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur.* In quibus verbis vnum supponitur à Concilio, alterum explicatur. Supponitur fructus Crucis percipi per Sacrificium Ecclesiæ; & quidem sine vlla restrictione, aut distinctione; vbi enim illa est? Quod explicatur, pertinet ad modum, seu quantitatem, secundum quam percipiuntur, & dicitur fieri vberrimè, quod planè demonstrat non fieri tantum ad modum operis operantis.

Hæ planè sunt rationes, quibus P. Suarez disp. 79. Sect. 1. concl. 1. probat Sacrificium nostrum habere causalitatem ex opere operato. Quæ omnes, si tanquam efficaces habendæ sunt, planè demonstrant, quod iam ostendimus huiusmodi causalitatem esse vniuersalem; vnde satis superque probatum manet tertium nostrum fundamentum ductum à ratione.

Incipiamus nunc respondere ad argumenta, quæ coëgerunt P. Suarez, vt causalitatem tanti Sacrificij ex opere operato vsque adeo coarctaret. Res erit laboriosa, quia Author hîc in suis argumentis est fœcundissimus, & nobis ad suspicionem omnem subterfugij amoliendam, propositum est, quæ objicit singula ad verbum afferre, & ne apicem quidem difficultatis dissimulare.

Primum ergo Argumentum illud est, quia aut hæc vniuersalis causalitas fundatur quasi ex natura rei in excellentia, vel satisfactione actuali talis Sacrificij, vel in speciali promissione, & institutione Christi, dum præter hos nullus alius modus excogitari potest; neuter autem illorum probabilis. De primo patet, tum quia potuisset hoc Sacrificium institui, & nullam omnino habere causalitatem ex opere operato, nam cur repugnat? tum etiam quia si rei dignitas consideretur, etiam Eucharistiæ Sacramentum est infinitæ dignitatis, & tamen non propterea est principium omnium gratiarum ex opere operato; immò seclusa promissione, nec proprium aliquem effectum haberet ex opere operato; si autem consideretur actualis satisfactio, hæc nulla est in hoc Sacrificio ex parte Christi, & quamuis daremus esse aliquam, potius esset per modum sufficientiæ, quàm efficacis applicationis, sicuti fuit in Sacrificio Crucis. De secundo verò, scilicet de Institutione, aut voluntate Christi probatur, nam vbi est talis institutio? Neque enim in Scriptura Sacra habetur, neque in Ecclesiæ traditione est aliquod vestigium. XXVIII. *Prima objectio principalis.*

Hæc objectio petit fundamentum causalitatis vniuersalis ex opere operato; sed non minus petit fundamentum causalitatis particularis, quam Aduersarij huic Sacrificio concedunt, remissionis videlicet pœnæ ex opere operato. Nam vel hæc fundatur in excellentia talis Sacrificij vel in speciali promissione, & institutione Christi; non in excellentia, nam potuisset hoc Sacrificium institui, & nullam omnino habere causalitatem ex opere operato, atque adeo neque vim ad pœnam remittendam, nam cur repugnat? non in speciali promissione, & institutione Christi, nam vbi est talis institutio? Nullum ergo est fundamentum causalitatis particularis; quid ad hæc Aduersarij?

Atque hîc vnum habeo, quod planè dissimulare vix possum. Quis crederet, Aduersarios, dum tàm rigidè, & seuerè à nobis exigunt, vt ostendamus Christi XXIX. *Durior Aduersariorũ exactio.*

promissionem, & institutionem, in qua fundetur causalitas hæc nostra vniuersalis. Quis, inquam, crederet eos non in promptu, & ad manum habere, quam ostendant promissionem, & institutionem pro sua causalitate particulari? Et tamen legi ego totum Tractatum de Sacrificio Missæ decem, & sex Disputationibus comprehensum, & nullum in eo legi testimonium, nullam authoritatem pro hac particulari causalitate, immo Sect. 6. disp. 79. vbi agit ex professo de illa, in objectione, sed contra, cum objecisset sibi non posse de hoc effectu remissionis pœnæ specialiorem Christi promissionem ostendi, quàm de reliquis, statim ingenuè liberaliterque dat manus, respondetque, propterea non esse veritatem hanc de fide certam. Quæ ergo ratio patitur, vt contra causalitatem vniuersalem Aduersarij clament; vbi est Institutio? cum ipsi hoc ipsum, quod esset multo facilius, exhibere non possint pro causalitate particulari?

Sed respondeamus directè ad objectionem, & conemur opera etiam nostra ipsos juuare; quidquid enim ex Scripturis, Conciliis, Patribus pro causalitate vniuersali exhibebimus, confirmabit causalitatem particularem, quæ in illa vniuersali comprehenditur.

XXX. *Excellentia Sacrificij est magnum fundamentum causalitatis vniuersalis.*

Dicimus ergo causalitatem hanc vniuersalem fundari, tum in excellentia talis Sacrificij, tum in speciali promissione, & institutione Christi. Ac de primo quidem fundamento, quod est quasi ex natura rei, miror P. Suarez, tam parum nunc illi tribuere, cum ipse disp. 79. Sect. 11. in illo fundet valorem huius Sacrificij infinitum in ratione Sacrificij, quia, inquit, hoc Sacrificium est infinitum ex parte rei oblatæ, & non est minus infinitum ex parte offerentis, quia licet Sacerdos videatur persona finita, tamen non offert in sua, sed in Christi persona, & est veluti æquiualenter Christus, qui est principalis offerens; ergo est tam infiniti valoris, quod spectat ad impetrationem, sicut Sacrificium Cœnæ, & nihil minus habet, quàm illud, nam quod nunc interueniat ministerium Sacerdotis, est quidpiam valde materiale, quod non diminuit moralem æstimationem, seu valorem oblationis. Cum ergo P. Suarez talem naturam constituat huius Sacrificij, & tantam dignitatem in illo agnoscat, vt fundet actualem valorem infinitum, quomodo potest ex hac parte illi deesse sufficiens fundamentum vniuersalis causalitatis?

At, inquit, potuisset hoc Sacrificium institui, & nullam omnino habere causalitatem ex opere operato? Hoc ipsum miror quomodo affirmare P. Suarez id velit de nostro Sacrificio, quod de nullo Sacramento nouæ legis fortasse ausus esset asserere. Certè ipse in hac eadem Sectione effectum aliquem Sacrificij ex opere operato infert, & probat à fortiori ex effectu simili Sacramentorum, quia, inquit, vtrumque spectat ad dignitatem, & excellentiam nouæ legis, neque minus dignum, aut perfectum est hoc Sacrificium in ratione Sacrificij, quàm sint in suo genere Sacramenta. Si ergo est eadem ratio quoad hoc de Sacramentis, & Sacrificio, sicut non potuerunt Sacramenta aliter institui de potentia Dei ordinaria, ita & quidem multo minus potuit hoc Sacrificium, quod est eiusdem rationis, & consequenter eiusdem essentialis perfectionis cum Sacrificio Cœnæ, de quo dixit Chrysost. Homil. 2. in Epist. 1. ad Timoth. Sacra ista oblatio, cuiusuis meriti sit Sacerdos, qui illam offerat, eadem est, quam dedit Christus. *Nihil habet ista, quàm illa minus.*

At etiam stante rei dignitate infinita, Eucharistia vt Sacramentum, non est principium omnium gratiarum ex opere operato? Distinguo, non est principium omnium in suscipiente, & sumente hoc Sacramentum, nego; non est principium omnium in aliis non suscipientibus, & sumentibus concedo; sed in non sumentibus non solum non est principium omnium gratiarum, sed neque vllius particularis, cuiusmodi est remissio pœnæ. Est autem hoc generale discrimen inter Sacrificium, & Sacramentum, ortum ex naturis rerum, vt Sacramentum qua tale non prosit nisi sumenti, Sacrificium verò prosit non solum offerenti, sed etiam illis, pro quibus offertur.

XXXI. *Excellētia non est fundamentum infallibile, & absolutè necessarium.*

Sed non existimo magnam vim esse faciendam in hoc primo fundamento causalitatis vniuersalis, quod est excellentia & perfectio Sacrificij, vt sic dicam entitatiua ex eo scilicet quod res, quæ offertur, & ipse offerens, sit infinitè dignus; nam quod rectè etiam obseruat idem P. Suarez, Sacrificium cruentum in esse suo tam perfectum fuit sicut Sacrificium incruentum, & tamen nullum habuit effectum ex opere operato quoad efficaciam, solum quia ex Christi voluntate non fuit ad hoc ordinatum, sed habuit sufficientiam, quæ ex natura rei sequuta est, supposita dignitate personæ offerentis, & aliis conditionibus ad satisfaciendum requisitis; ergo similiter hoc Sacrificium, quantumuis perfectum in suo esse, non intelligitur habere necessario prædictam efficaciam nisi adjuncta ordinatione, aut promissione Christi.

XXXII. *Promissio est necessaria ad fundandum opus operatum.*

Maioris ergo ponderis, & consequentiæ est quod secundo loco inquirebatur de speciali promissione, & institutione Christi: & quidem si verum esset, quod assumit in hoc argumento P. Suarez, neque in Scriptura Sacra, neque *in Ecclesiæ traditione,* vllum haberi vestigium talis promissionis, & institutionis, actum omnino esset de causalitate huius Sacrificij ex opere operato, quia effectus ex opere operato nulli conuenit operi, vel signo externo ex natura sua, sed necessario pendet ex Christi promissione, vt ex communi Theologorum sententia supponimus cum Aduersariis ipsis, qui disertissimè aiunt in argumento, non solum Eucharistiam, vt Sacrificium, sed ipsam etiam vt Sacramentum seclusa promissione, nec proprium aliquem effectum habere ex opere operato. Quare P. Suarez Sectione citata, in responsione ad fundamentum primæ opinionis negantis omnem effectum ex opere operato propter defectum huiusmodi promissionis; Respondet tandem: nec refert, quod in Scriptura Sacra non inueniatur expressa talis promissio, *sufficit enim Ecclesiæ traditio*, ex qua sufficienter colligitur, & addit: Dici etiam potest insinuatam esse à Christo in illis verbis Consecrationis Sanguinis, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, *intellectis de effusione mystica, vel Sacramentali.*

XXXIII. *Videtur admittere hic effusionem Sacramentalem.*

Sed quo pacto dices, non pugnant inter se duo hæc dicta. *Neque in Ecclesiæ traditione est aliquod eius vestigium*, &, *sufficit Ecclesiæ traditio, ex qua sufficienter colligitur.* Si in Ecclesiæ traditione nullum est huius promissionis vestigium, quomodo ex Ecclesiæ traditione talis promissio sufficienter colligitur?

Verè vix habeo quid ad concilianda hæc dicta respondeam, & libenter audirem aliquem ex eius opinionis fautoribus qua illa tandem ratione concordet. Vnum venit in mentem in priori loco negasse in Ecclesiæ traditione vestigium promissionis fundantis causalitatem vniuersalem, in posteriori vero affirmasse

in Ecclesiæ traditione vestigium non promissionis fundantis causalitatem vniuersalem, sed particularem, quam ipse alibi explicat quoad pœnæ remissionem.

XXXIV. *Pugnantia de Traditione.* Sed vnde quæso habet, esse vestigium promissionis fundantis causalitatem particularem in Ecclesiæ traditione? Hoc profectò non habet nisi ab authoritate Tridentini, dicentis: Hoc Sacrificium iuxtà Apostolorum traditionem offerri pro pœnis. Sic enim sumitur argumentum. Concilium agit de valore huius Sacrificij ex opere operato, quo valet ex se ad ea, pro quibus offertur: si enim ad illa, pro quibus offertur non valeret ex se, nihil peculiare diceret Concilium de hoc Sacrificio, quod non conueniret aliis operibus, & precibus: Atqui ex traditione Apostolorum, offertur pro pœnis; ergo ex traditione Apostolorum valet ex se, & habet causalitatem ex opere operato respectu remissionis pœnæ; sed omnis effectus ex opere operato præsupponit promissionem, & pactum, vt patet in Sacramentis; ergo in Ecclesiæ traditione est vestigium sufficiens talis promissionis. Hanc puto esse vim argumenti, quod ex authoritate, & verbis Concilij sumi potest. Et sanè si Concilium loqueretur solum de Apostolorum traditione circa oblationem pro pœnis, vel certè verbum aliquod diceret, quod speciatim ad pœnas esset referendum, magnum in authoritate Concilij præsidium haberent. At quod est iterum, atque iterum animaduertendum, sacrum Concilium non magis applicat Apostolorum traditionem ad oblationem pro pœnis, quàm pro aliis rebus. Ecce iterum verba Concilij. *Quare non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, non dum ad plenum purgatis, ritè iuxtà Apostolorum traditionem offertur.* Vides non magis verba Concilij fauere huic effectui, quàm aliis, pro quibus obtinendis hoc Sacrificium offertur.

Absolutè autem magnum est hoc testimonium pro causalitate ex opere operato, & consequenter pro ipsius fundamento, quia vt dicebam, si ad omnes illos effectus obtinendos ritè offertur, sine dubio ad illos omnes ex se, & ex vi operis valet; si autem ex vi operis valet, habet consequenter adnexum quidquid ad infallibilitatem effectus huiusmodi est necessarium, in quo includitur institutio, & promissio.

At nos non solum in traditione à Concilio asserta vestigium promissionis agnoscimus, sed illam expressam esse existimamus in Scriptura; ideo peculiarem disputationem induximus, in qua ex verbis Institutionis probauimus lib. 1. quæst. 4. promissionem factam huic Sacrificio de omnibus effectibus gratiæ virtualiter inclusis in remissione peccatorum, quibus addi etiam possunt, quæ initio præsentis disputationis attulimus super locum Ioan. 6. Est enim ille locus insignis, & præclara promissio facta huic Sacrificio incruento, offerendo, & instituendo *pro Mundi vita*.

XXXV. *Secunda obiectio principalis.* Secundum argumentum P. Suarez sumitur ex inæqualitate Sacrificij incruenti cum Sacrificio cruento quoad effectum, & fructum, tum intensiuum, tum extensiuum illius; nam fructus Passionis Christi dupliciter considerari potest. Primo secundum perfectionem intensiuam singulorum effectuum, vt verbi gratia, quod fuit sufficiens ad merendum nobis gratiam magis, ac magis intensam; vel secundum extensiuam, idest quoad multitudinem effectuum. Neutro autem modo potest efficacia ex opere operato conueniens huic Sacrificio, esse adæquato

ſufficientiæ meriti, & ſatisfactionis Sacrificij Crucis; ergo nullo modo poteſt eſſe hoc Sacrificium cauſa vniuerſalis omnium gratiarum prouenientium ex Redemptione Chriſti.

Minor explicatur fuſiſſimè à P. Suarez, ſumma tamen, quoad perfectionem intenſiuam eſt, quia ſufficientia Sacrificij Crucis, de ſe eſt infinita, & exhauriri non poteſt; quoad extenſiuam verò, quia Sacrificium Crucis valuit pluribus perſonis, & ad plures effectus.

Hoc argumentum vtile eſt, quia dat occaſionem hanc, de qua diſputamus, materiam, magis explicandi, & illuſtrandi. Cæterum aut nimis, aut nihil probat; nam quamuis demus efficaciam huius Sacrificij non eſſe adæquatam ſufficientiæ Sacrificij Crucis, non ſequitur conſequentia; ergo hoc Sacrificium non poteſt eſſe cauſa vniuerſalis omnium gratiarum prouenientium ex Redemptione Chriſti. Ratio quia non eſt contra rationem efficaciæ, vt non adæquetur ſufficientiæ, quod oſtendo ex doctrina ipſius P. Suarez, & ex iis, quæ contra nos vrget. Et primo de perfectione intenſiua eſt manifeſtum, quia nulla cauſa quoad efficaciam poteſt eſſe intenſione infinita, nam efficacia reſpicit effectum in re ipſa dandum; non datur autem, nec dari poteſt effectus infinitè intenſus. Itaque quoad efficaciam intenſiuam, neque Sacrificium Crucis potuit eſſe infinitum. XXXVI. *Non eſt neceſſe, vt efficacia adæquetur ſufficientia.*

Hoc principium tenentur applicare Aduerſarij ad præſentem materiam, quia licet per ipſos Sacrificium hoc non ſit cauſa omnium gratiarum prouenientium ex Redemptione Chriſti, tamen eſt cauſa gratiæ remiſſionis peccati quoad pœnam. Quæro ergo, efficacia huius Sacrificij quoad remiſſionem pœnæ, eſtne adæquata ſufficientiæ Sacrificij Crucis in perfectione intenſiua? Profectò ait P. Suarez, non eſt adæquata, nam Chriſtus per Paſſionem, non ſolum nobis meruit ſufficienter decem, aut viginti gradus remiſſionis pœnæ, ſed in quocumque gradu, ita vt ſicut ratione ſuæ ſatisfactionis nunc voluit tantum remiſſionis per quodlibet Sacrificium incruentum dari, ita velle potuiſſet, vt maior, vel maior daretur: Hoc autem modo non poteſt efficacia huius cauſalitatis, quæ eſt in Sacrificio Euchariſtiæ, adæquari ſufficientiæ Sacrificij Crucis, quia ſufficientia Crucis ad hunc effectum remiſſionis, de ſe eſt infinita, & exhauriri non poteſt, neque oportet, vt ſit ad certum gradum determinata, quia vt ſic non applicatur ad operandum; at verò efficacia oportet, vt ſit determinata ad certum gradum, quia includit applicationem, & inſtitutionem ad certum gradum. Sicut ergo non obſtante hac inadæquatione intenſiua inter efficaciam, & ſufficientiam vnius, & alterius Sacrificij, potuit incruentum Sacrificium inſtitui, vt eſſet quoddam inſtrumentum eiuſdem Chriſti ad applicandum nobis ſatisfactionem ſui Sacrificij cruenti in remiſſionem pœnæ; ita ſtante eodem modo hac intenſiua inadæquatione potuit inſtitui, vt eſſet inſtrumentum generale, & vniuerſale eiuſdem Chriſti ad applicandum nobis omnes diuitias Paſſionis ſuæ. Neque enim (quod docet idem P. Suarez in hac eadem diſputatione Sect. 11. repugnat, Chriſtum in propria ſpecie exiſtentem vti oblatione ſui, vel ſe ipſo, vt Sacramentaliter exiſtente ad applicandum nobis diuitias Paſſionis ſuæ. XXXVII. *Oſtenditur in efficacia intenſiua remiſſionis pœna.*

Eſt autem commune omnibus inſtrumentis vt aſſumi non poſſint niſi ad determinatum, & finitum effectum. Quare rectè monent Doctores, diſtinguere oportere in hac materia Sacrificij valorem ab effectu. Valor enim ſignificare videtur dignitatem XXXVIII. *Diſtinguendus eſt valor ab effectu Sacrificij.*

moralem, quam oblatio habet, vt ea sufficere possit ad meritum, satisfactionem, & impetrationem, si iuxtà Diuinam ordinationem ad aliquid eorum referatur. Effectus autem est id, quod de facto datur, vel dari potest iuxtà Christi institutionem ob talem oblationem. Et quamuis plurimi Doctores conueniant, valorem Sacrificij Eucharistici esse infinitum, & adæquatum in ea ratione cum sacrificio Crucis, tamen omnes omnino fatentur effectum, & fructum vtriusque esse finitum intensiuè.

XXXIX. *Neque efficacia extensiua adæquatur necessario sufficientiæ.* Idem proportionaliter est dicendum de perfectione extensiua; neque enim est contra rationem efficaciæ quoad extensionem, vt quoad illam non adæquetur sufficientiæ; nam loquendo de effectu remissionis pœnæ, qui ex sententia aduersariorum est proprius, & adæquatus effectus ex opere operato huius Sacrificij. Certè efficacia quoad hunc effectum non adæquatur sufficientiæ sacrificij Crucis; nam loquendo de personis, sacrificium Crucis fuit sufficiens remittere pœnam omnibus hominibus, tam qui Christum præcesserunt, quàm qui sequuti sunt, nec solum baptizatis, sed etiam iis, qui non baptizati sunt. At verò sacrificium Eucharistiæ efficaciam habere non potest quoad hoc in homines, qui Christum præcesserunt, neque in his omnibus, qui subsecuti sunt, sed tantùm in baptizatis, & iustis.

Applicando autem doctrinam hanc directè ad argumentum, damus efficaciam Sacrificij nostri non esse adæquatam sufficientiæ sacrificij Crucis, tum quoad perfectionem intensiuam, tum quoad extensiuam in sensu explicato: negamus tamen, non posse propterea dici, & esse causam vniuersalem omnium gratiarum prouenientium ex Redemptione Christi. Quia ad veritatem huius propositionis hoc tantum requiritur, vt quæ hoc modo dicitur causa, extendatur

XL. *Efficacia extensiua respicit capacitatem.* ad omnes, qui sunt capaces illius effectus, & pro illorum capacitate; neque enim iustè petitur, vt extendatur ad homines, qui Christum præcesserunt, cum illi omnes supponantur in statu iam esse, in quo huiusmodi effectuum capaces non sunt: cæterum ad capaces, siue degant in Purgatorio, siue adhuc viuant iuxtà cuiusque capacitatem vniuersaliter se extendit hoc Sacrificium, quoad omnem varietatem effectuum. Itaque quod infra singillatim ostendemus, se extendit ex opere operato ad remissionem omnis peccati, siue originalis, siue actualis, & ad omnem remissionem pœnæ, siue æternæ, siue temporalis, & ad infusionem, & collationem cuiuscumque gratiæ, siue sanctificantis, siue gratis datæ; vt verum sit tandem dicere, quod absolutè pronunciat sanctus Thomas illa Sect. 6. in Ioan. *Quidquid est effectus Dominicæ Passionis, totus etiam est effectus huius Sacramenti.* Et rursus: *Vita, quam confert est vita totius Mundi, ad quam sufficiens est mors Christi.*

XLI. *Tertia obiectio principalis.* Tertium argumentum petit modum, quo causa hæc vniuersalis concurrit ex opere operato; nam si quis, inquit, contendat efficaciam huius Sacrificij tam esse vniuersalem, vt non solum per Sacramenta, sed etiam per nostras dispositiones, & per omnia media, quibus Deus ad nostram sanctificationem vtitur, operetur; quid dicetur de prima illuminatione, interna vocatione, seu excitante gratia, quam Deus in nobis, sine nobis, idest sine vlla dispositione nostra operatur.

XLII. *Prima illumi-* Respondeo ad intentum præsentis disputationis satis esse, vt Sacrificium hoc concurrat,

concurrat, & conferat ex opere operato ad omnes omnino effectus Passionis Christi. Quando autem talis concursus est immediatus, quando mediatus, quando physicus, quando moralis, hoc ostendemus inferius. Interim ne videamur ictum declinare, dicimus, primam illam illuminationem, esse etiam effectum huius Sacrificij tanquam à causa immediata morali illius.

natio est etiam effectus Sacrificij.

At contra instat P. Suarez, quia, inquit, Sacrificium hoc non est ratio talis effectus vt in re oblatum, quia supponimus non esse oblatum, neque applicatum ab aliquo offerente, neque etiam, vt in voto existens; nam in eo, qui primam illuminationem, & fidem suscipit, nullum votum huius Sacrificij præcessit. Non ergo datur illa gratia intuitu huius Sacrificij incruenti, sed cruenti solius.

XLIII. *Sacrificium semper est actu oblatum pro vniuersis effectibus gratiæ.*

Respondeo falsò supponi Sacrificium hoc non esse oblatum, neque applicatum ab aliquo offerente ad effectum etiam primæ illuminationis, vnde hoc supponitur? Certè non ex Scriptura, non ex Patribus, non ex Conciliis. Immò vt nos probauimus lib. 3. q. 1. Christus vt vnicus, & æternus Sacerdos, Pontifex Ecclesiæ nunquam vacat ab officio, & exercitio offerendi, tum per Ministros, tum cum Ministris suis. Quod si assiduè offert, profectò pro hominibus offert, pro nostra, & totius Mundi salute offert; nam omnis Pontifex Hebr. 5. *Ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.*

Quanti autem valeat actualis hæc Christi oblatio explicat ipse P. Suarez Sect. 11. Concl. 1. sub finem vbi probat esse infiniti valoris, quia tales sunt omnes actus Christi, & alioqui Christus nunc est in statu impetrandi; vnde de facto est illa oblatio infinitè impetratiua quoad sufficientiam sicut alias dicitur de merito, & satisfactione Christi; sed quidquid sit de hac peculiari opinione; certissima, & communis est doctrina Bellarmini lib. 2. cap. 4. Sacrificium Missæ non solum offerri à Ministro pro nostra, & totius Mundi salute, sed etiam à Christo, & vt à Christo offertur, vim habere ex opere operantis, sed infallibiliter, quia placet ex bonitate offerentis Christi, quæ semper est eadem, & nec minui, aut crescere potest, vt autem offertur à Ministro, vim habere ex opere operato, quia placet Deo, etiamsi homo, qui offert, Deo non placeat; vnde rectissimè infert id, quod est opus operantis respectu Christi, esse opus operatum respectu Ministri; & licet Minister operetur, per illum tamen verè Christum operari, & exercere actum Sacerdotij sui iuxtà id, quod indicat Apostolus ad Hebr. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur, vnde necesse est, & hunc habere aliquid quod offerat.* Super quem locum idem Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 6. Vides, inquit, vt Paulus per necessariam consequentiam colligit, debere Christum, si verè est Pontifex Ecclesiæ, habere aliquid, quod offerat, & consequenter debere offerre, quia omnis Pontifex constituitur ad offerendum. Quare secundum Pauli sententiam Christus non est Pontifex in æternum, nisi assiduè aliquid offerat. Hæc Bellarminus. Si ergo Christus assiduè offert Sacrificium Ecclesiæ pro nostra, & totius Mundi salute. Qua ratione supponunt Aduersarij non esse actu oblatum ad effectum primæ illuminationis, quæ est initium salutis?

XLIV. *Christus offert semper, & operatur in quolibet Sacrificio.*

XLV. *Quarta objectio principalis.*

Quartum Argumentum, quia ridiculum dictu est Sacramenta omnia habere efficaciam ab hoc Sacrificio incruento, vt sic, aut in illo niti, vt operentur, quia

Sacramenta ſolum nituntur in merito, & ſatisfactione Chriſti; ergo ſolum nituntur in illo Sacrificio, in quo Chriſtus ſuum meritum, & ſatisfactionem conſummauit: hoc autem fuit ſolum ſacrificium Crucis; ergo in illo ſolo nituntur, nam ſeclusis ab hoc nouo Sacrificio merito, & ſatisfactione, nulla ratio excogitari poteſt, ob quam Sacramenta dicantur ſuos effectus conferre in virtute huius Sacrificij, quia in nullo genere cauſæ habent virtutem ab illo, neque in conferendis ſuis effectibus includunt habitudinem ad illud; qualis enim eſt hæc habitudo, aut quod habet fundamentum?

XLVI. *Sacramenta habent habitudinem ad Sacrificium.* Reſpondeo: Si habere efficaciam ab aliquo, & niſi in illo, eſt in aliquo genere cauſæ, habere virtutem ab illo, aut in conferendis ſuis effectibus includere habitudinem ad illud, vt explicatur in argumento; non video quomodo negari poſſit Sacramenta aliquam efficaciam habere à Sacrificio incruento, & aliquo modo niſi in illo vt operentur. Profero fundamenta. Primum ex tribus propoſitionibus S. Thomæ. Prima eſt. *Quidquid eſt effectus Dominicæ Paſſionis, totum*

XLVII. *Effectus Sacramentorum ſunt etiam effectus Sacrificij.* *eſt effectus huius Sacrificij.* Ex qua ſubſumo ſic, ſed effectus Sacramentorum eſt effectus Dominicæ Paſſionis; ergo effectus Sacramentorum eſt etiam effectus huius Sacrificij. Maior eſt ſancti Thomæ. Minor eſt de Fide. Conſequentia tenet ex forma. Secunda propoſitio S. Thomæ. *Nihil aliud eſt hoc Sacrificium, quàm applicatio Dominicæ Paſſionis ad nos.* Ex hac argumentor ſic. Hæc applicatio ad nos Dominicæ Paſſionis non eſt tanquam à cauſa particulari; ergo tanquam à cauſa vniuerſali; ergo eſt etiam applicatio Paſſionis, quæ applicatur per Sacramenta. Antecedens eſt expreſſiſſimum S. Thomæ. Sic enim ait. *Sacramenta habent ſingulares effectus, ſed in immolatione huius Sacrificij eſt vniuerſalis effectus.* Conſequentia conſtat ex notione cauſæ vniuerſalis, & particularis, de quarum ratione eſt, vt quidquid eſt effectus cauſæ particularis, ſit etiam effectus cauſæ vniuerſalis.

XLVIII. *Sacrificium eſt cauſa vniuerſalis, Sacramẽta ſunt cauſa particulares.* Tertia propoſitio S. Thomæ. *Vita, quam confert hoc Sacrificium eſt vita quantum in ſe eſt totius Mundi, ad quam ſufficiens eſt mors Chriſti.* Ex qua tale conficio argumentum. Tam Sacramenta, quàm Sacrificium conferunt vitam, ad quam ſufficiens eſt mors Chriſti. Nam quod Sacramenta conferant vitam, ſupponunt Aduerſarij; quod Sacrificium conferat, docet hîc expreſsè S. Thomas. Vel ergo tam Sacramenta, quàm Sacrificium, illam conferunt, ambo vt cauſæ particulares, vel ambo cauſæ vniuerſales, vel alterum, vt cauſa generalis, alterum vt cauſa particularis; non ambo vt cauſæ particulares, quia Sacrificium in ſententia Aduerſariorum, non eſt primo, & per ſe inſtitutum ad conferendam vitam ex opere operato, ſed tantum remiſſionem pœnæ. Non ambo vt cauſæ vniuerſales, quia Sacramenta habent ſingulares tantùm effectus, vt docet hoc loco S. Thomas, & Aduerſarij non negant; ergo eiuſdem vitæ, alterum, hoc eſt ſacrificium erit cauſa vniuerſalis, alterum, hoc eſt Sacramenta erunt cauſæ particulares; ergo Sacramenta in conferendis ſuis effectibus includunt aliquam habitudinem ad Sacrificium, & in aliquo genere cauſæ habent virtutem ab illo.

XLIX. *Sacrificium in aliquo genere cauſa concurrit ad cauſalitatẽ Sacramentorũ.* Secundum fundamentum principale habeo ex duabus propoſitionibus Sacroſanctæ Synodi Tridentinæ Seſſ. 22. Prima eſt cap. 1. vbi ait, hoc Sacrificium eſſe à Chriſto inſtitutum. *Vt illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur.* Ex qua definitione Concilij ſic

argumentor. Remiſſio peccatorum in virtute ſalutaris Paſſionis Chriſti fit per Sacramenta; ſed virtus ſalutaris Chriſti Paſſionis in remiſſionem peccatorum applicatur nobis per hoc Sacrificium; ergo per hoc Sacrificium applicatur nobis remiſſio peccatorum, quæ fit per Sacramenta; ergo Sacramenta includunt habitudinem ad Sacrificium tanquam ad cauſam ſuorum effectuum vniuerſalem. Omnia ſunt manifeſta præter primam propoſitionem, in qua diximus remiſſionem peccatorum, quæ fit in virtute ſalutari Paſſionis Chriſti fieri per Sacramenta. Sed ea, vt alibi notauimus, eſt communis omnium Theologorum, loquendo de peccatis mortalibus, quia hæc tolli non poſſunt ſine infuſione gratiæ: gratia autem non infunditur miniſterio humano niſi per Sacramenta. Sed quia locus allatus Concilij intelligi fortaſſe poteſt de venialibus, de quibus alia videtur ratio, ideo afferimus alium locum eiuſdem Concilij.

Secunda ergo propoſitio Concilij eſt cap. 2. *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Ecce hîc ſermo eſt etiam de mortalibus. Sic ergo iterum argumentor. Hoc Sacrificium confert gratiam remiſſionis peccati in aliquo genere cauſæ, ſed huiuſmodi gratia remiſſionis non infunditur humano miniſterio niſi per Sacramenta; ergo Sacramenta pendent in aliquo genere cauſæ ab hoc Sacrificio.

Tertium denique fundamentum ſumimus ex effectu proximo, & primario huius Sacrificij, in quo eſt radix omnium effectuum gratiæ quocumque modo prouenientium à Paſſione Chriſti. Sed hoc fundamentum tractauimus quæſtione præcedente, de proprio, & primario effectu Montis Propitiatorij ex opere operato.

Sed quid interim dicemus ad probationem argumenti P. Suarez. Sacramenta, inquit, ſolum nituntur in merito, & ſatisfactione Chriſti; ergo ſolum nituntur in illo Sacrificio, in quo Chriſtus ſuum meritum, & ſatisfactionem conſummauit, hoc autem fuit ſolum ſacrificium Crucis.

Reſpondeo, negari non poſſe, ſolum ſacrificium Crucis fuiſſe propriè meritorium, & ſatisfactorium, quia ad proprium meritum & ſatisfactionem requiritur ſtatus viatoris; ſed negari à nullo Catholico poteſt, Sacrificium etiam Altaris eſſe verè propitiatorium, vt definiuit Trident. Seſſ. 22. cap. 2. nec ſolum propitiatorium pro pœnis, ſed etiam pro culpis, nec ſolum pro culpis leuibus, ſed etiam pro grauibus, immò abſolutè à Patribus non ſolum dicitur propitiatorium ſicut ſacrificium Crucis, ſed etiam meritorium, ſatisfactorium, & impetratorium, vt ſacrificium Crucis. Quare hoc? Non poteſt alia ratio aſſignari, niſi quia ſacrificium Altaris eſt vniuerſale, & generale applicatorium ſacrificij Crucis; ſunt quidem Sacramenta ipſa etiam applicatoria, ſed particularia, non generalia, & ideo plura ſunt, ſacrificium verò eſt applicatorium generale, & ideo vnicum etiam eſt; & quia eſt generale applicatorium, ideo dicitur, & eſt ſimul propitiatorium, ſatisfactorium, meritorium, & impetratorium; propitiatorium, quatenus applicando nobis virtutem ſalutarem ſacrificij Crucis, impetrat ex opere operato remiſſionem culpæ; ſatisfactorium, quatenus eodem modo impetrat remiſſionem pœnæ; meritorium quatenus pariter impetrat gratiam benefaciendi, ac merita acquirendi, vt explicat Bellarm. lib. 2. cap. 4.

L. *Sacrificium eſt applicatorium generale.*

LI. *Causa generalis applicata, & causa generalis applicans.* Ad argumentum ergo dicimus, Sacramenta nisi in sacrificio Crucis tantùm, tanquam in causa vniuersali applicata, sed tanquam in causa vniuersali applicante, dicimus nisi etiam in Sacrificio Altaris, tanquam in generali applicatorio sacrificij Crucis.

Vltimum argumentum P. Suarez cum superiori connexum est, quia, inquit, hoc ipsum sacrificium Eucharistiæ non habet effectum vllum ex opere operato, nisi quatenus nititur in sacrificio Crucis, & ab illo habet virtutem, & efficaciam, quia Passio Christi est vniuersalis causa omnium effectuum gratiæ, siue per Sacramenta, siue per quodcumque aliud instrumentum conferantur; ideo enim dicitur Christus vna oblatione Crucis consummasse sanctificatos, quia ab illa est omnis gratiæ, omnisque sanctificatio nostra, & propter eandem causam, ad Rom. 3. ait Paulus, Deum proposuisse Christum propitiatorem in sanguine ipsius; ac denique Concil. Trident. Sess. 22. cap. 2. Ideo dicit efficaciam huius Sacrificij affirmari sine injuria sacrificij Crucis, quia institutum est, *vt per illud salutaris sacrificij Crucis virtus applicaretur*, ergo huius efficacia nititur in illius sufficientia.

Respondeo, argumentum rectè probare sacrificium Crucis esse causam vniuersalem omnium effectuum gratiæ, siue per Sacramenta, siue per sacrificium Ecclesiæ conferantur, atque adeo omnem efficaciam siue Sacramentorum, siue huius Sacrificij nisi in illius sufficientia. Quod nunquam negauimus, sed quod præter causam vniuersalem applicatam, non datur altera causa vniuersalis applicans; Hoc certè argumentum non probat, immo ex auctoritate allata Concilij satis insinuatur, & probatur oppositum, quia ibi dicitur, hoc Sacrificium esse institutum, vt per illud *salutaris sacrificij Crucis virtus applicaretur.* Sed non vt applicaretur tanquam per causam applicantem particularem; ergo tanquam per causam applicantem vniuersalem iuxtà doctrinam S. Thomæ, & omnium Patrum.

LII. *Ratio vniuersalitatis in Sacrificio super Sacramenta.* Quod si quæras cur vniuersalitas causalitatis concessa sit Sacrificio super omnia Sacramenta; ratio in promptu est, quam tangit S. Thomas, qui inquit, *continetur in ipso ipsa causa vniuersalis omnium Sacramentorum, idest Christus passus.* In cæteris Sacramentis non est ipsa causa vniuersalis, sed virtus tantum eius, eaque diuisa, & partialis, & quamuis in vno ex Sacramentis, hoc est in Eucharistia sit Christus ipse, in illa tamen, vt Sacramentum est, non continetur tanquam causa vniuersalis, sed tanquam causa particularis, cuius euidens signum

LIII. *Christus in Eucharistia vt Sacrificium tantùm est, continetur tanquam causa vniuersalis.* est, quia Eucharistia vt Sacramentum est non prodest nisi sumenti. Immo quod adnotaui alibi cum Bellarmino lib. 1. de Missa cap. 22. potuisset Eucharistia verè, & propriè Sacramentum esse, etiamsi Christi corpus reipsa non contineret, quia cum Sacramentum nihil aliud sit, nisi instrumentum sanctificationis, non est necesse, vt contineat reipsa Corpus Christi, sed satis est, vt sit signum visibile continens virtualiter gratiam sanctificationis. Vnde optimè infert Bellarminus contra Lutherum, veritatem Sacrificij, quia, inquit, nulla est causa, cur debuerit necessario Eucharistia Christi corpus re ipsa continere, nisi, vt posset verè, & propriè Deo Patri à nobis offerri, & proinde Sacrificium esse verè, ac propriè dictum.

Etsi iterum quæras, cur Christus in Eucharistia, qua Sacramentum est, con-

tineatur, vt causa particularis, & in eadem, vt Sacrificium est, contineatur vt causa vniuersalis. Afferam huius rei rationem à priori, quia in Eucharistia vt Sacrificium tantùm est, continetur Christus actu offerens se ipsum pro nostra, & totius Mundi salute, quo fit, vt applicatio generalis Sacrificij, & oblationis factæ in Cruce meritò concessa non sit, nisi alteri Sacrificio, & oblationi, in qua idem sit offerens, & eadem victima, sola offerendi ratione diuersa vt loquitur Tridentinum.

QVÆSTIO QVARTA.

An omnes effectus, & fructus Montis Propitiatorij sint ex opere operato.



INVEXIT hanc controuersiam P. Suarez disp. 79. Sect. 2. sub his terminis. *Vtrum hoc Sacrificium sit aliis modis fructuosum præter quam ex opere operato*, affirmatque præter effectum ex opere operato, quem in sola pœnæ remissione positum opinatur, habere plures alios effectus, ac fructus, qui neque sunt ex opere operato, neque ex opere I. *Opinio contraria.*

operantis, ſed per modum ſpecialis impetrationis, qui modus in multis differt à propria cauſalitate, & effectu ex opere operato.

II. *Noſtra ſententia.* Nos contra cum communi Theologorum affirmamus, omnes effectus, & fructus huius Sacrificij eſſe ex opere operato, & modum illum, quem ſpecialis impetrationis appellat, condiſtinctum à propria cauſalitate, & effectu ex opere operantis, non differre à propria cauſalitate, & effectu ex opere operato. Vt autem noſtram aſſertionem ſolidè ſtatuamus, oportet examinare quatuor differentias, quas P. Suarez conſtituit inter illum modum ſpecialis impetrationis, & cauſalitatem ex opere operato.

III. *Prim. differentia ex promiſſione.* Prima, inquit, differentia eſt, quod prior cauſalitas ex opere operato fundatur in ſpeciali promiſſione diſtincta à ſubſtantiali inſtitutione Sacrificij, & non neceſſario ex illa conſecuta, ſed ex Chriſti beneplacito adjuncta; poſterior autem modus impetrationis, non requirit ſpecialem promiſſionem, ſed ex natura talis Sacrificij neceſſario conſequitur; nam ex ſanctitate, & majeſtate talis ſacrificij intrinſecè ſequitur ille valor ad impetrandum; nam ſicut ipſum eſt altiſſimum Dei obſequium, ita de ſe eſt idoneum ad inuitandam Diuinam voluntatem, vt poſtulata concedat. Et confirmatur, nam ex vi ſuæ Inſtitutionis habet, vt in perſona Chriſti offeratur, quod non pertinet ad promiſſionem alicuius effectus, ſed ad ipſam ſubſtantialem inſtitutionem Sacrificij; ſed hinc habet intrinſecè prædictum valorem, multoque magis, ſi non ſolum poſtulat inſtitutio, vt in perſona Chriſti offeratur, verum etiam vt ab ipſo Chriſto actualiter offeratur.

IV. *Etiam operi per ſe digniſſimo ſit promiſſio.* Hoc primum diſcrimen ad rem noſtram applicatum, inſufficiens planè eſt, quia valor intrinſecus ad impetrandum, fundatus in rei natura, & dignitate non excludit, immò potius poſtulat cauſalitatem effectus infallibilis, fundatam in adjuncta promiſſione, quæ affert infallibilitatem. Quod manifeſtum eſt primo in Euchariſtia, vt Sacramentum eſt, cuius ſi rei dignitas conſideretur ſine dubio eſt infinita, & tamen non ſolum admittit adiunctam promiſſionem, ſed tanquam neceſſariam poſtulat, vt intelligatur tanquam cauſa per ſe efficax, & quaſi naturaliter operans Sacramentalem effectum infallibilem in ſubiecto diſpoſito, prout exigit propria Sacramentorum cauſalitas. Rurſus hoc idem eſt manifeſtum in Euchariſtia, vt ſacrificium eſt, nam negari non poteſt hoc ſacrificium habere efficaciam ad cauſandam pœnæ remiſſionem per illum ſpecialem modum impetrationis, non minus quàm alios effectus: patet nam hic valor ad impetrandum ſequitur ex majeſtate, & dignitate talis ſacrificij inuitantis Diuinam voluntatem, vt poſtulata concedat; ergo non minus in ſuo genere efficax eſt ad vnum, quàm ad alterum effectum. Habet ergo hoc ſacrificium efficaciam ad remittendam pœnam per illum modum impetrationis, & tamen cauſalitas ſacrificij reſpectu huius particularis effectus eſt abſolutè, & ſimpliciter ex opere operato. Itaque ex vi impetratiua intrinſeca, quam habet ſacrificium nullo modo licet inferre, effectus inde prouenientes non eſſe ex opere operato, quia cum tali vi impetratiua poteſt eſſe, aut non eſſe conjuncta promiſſio, quæ ſi adſit fundat effectum ex opere operato. Oſtendant mihi nunc Aduerſarij ſacrificium hoc per ſe, & ex ſua natura æquè potens per modum impetrationis reſpectu omnium effectuum, verbi gratia, reſpectu remiſſionis culpæ, & reſpectu remiſſionis pœnæ;

ostendant, inquam, respectu remissionis culpæ non habuisse adnexam promissionem, illam autem habuisse adjunctam respectu remissionis pœnæ; id hactenus non ostenderunt.

Secunda differentia, quam affert P. Suarez est, quod ad effectum ex opere operato non est necesse vt offerens specialiter petat, vel consequi intendat illum effectum. Quare ille modus causalitatis non propriè dicitur impetratio, cum non indigeat, nec nitatur petitioni offerentis, sed Christi promissioni. Ita enim operatur sacrificium illum effectum, sicut Sacramentum efficit suum: Sacramentum autem, hoc ipso, quod alicui applicatur, confert illi effectum, etiamsi, neque Minister, neque ipse hoc intendat, sed solum non ponat obicem; ergo & hoc sacrificium alicui applicatum, seu pro aliquo oblatum, absque alia speciali petitione, aut determinatione confert illi effectum suum ex opere operato. At verò effectum per modum impetrationis nullum confert, nisi ex peculiari intentione sacrificantis, vel offerentis, specialiter applicetur ad hoc, vel illud beneficium obtinendum; & ratio est quia, *nullum opus est impetratorium actualiter, nisi provt adjungitur petitioni.* Item quia licet hoc sacrificium de se habeat hunc valorem, tamen de se, est indifferens; & ideo vt actu impetret, necesse est quod per aliquam petitionem, vel desiderium, cui adjungitur determinetur ad aliquid impetrandum. V. *Secunda differentia ex adjuncta petitione.*

Hæc secunda differentia nititur maximè in assumpto illo principio; quod scilicet nullum opus est impetratorium actualiter nisi pro vt adjungitur petitioni. Hoc principium est falsum. Quia opus sacrificij circumscriptis petitionibus, & orationibus omnibus, suam habet vim, & efficaciam ad effectus, propter quos est institutum. Id autem demonstro tripliciter. Primo, quia inter differentias sacrificiorum, quæ erant in lege veteri vna erat sacrificium impetratorium, quod ex vi institutionis, & externi operis habebat virtutem impetrandi, sicut sacrificium propitiatorium habebat virtutem propitiandi, & placandi. Constat autem ex Tridentino Sess. 22. cap. 1. hoc vnicum sacrificium loco omnium illorum datum esse, tanquam eminentissimè continens omnem eorum perfectionem, ergo hoc sacrificium, quà sacrificium præcisè est, & provt in reali oblatione consistit, & omnino distinguitur ab Oratione, impetratorium est. VI. *Sacrificium etiam sine oratione est impetratorium.*

Secundò contra P. Suarez ad hominem sacrificium nostrum oblatum pro aliquo impetrat illi de facto, vel saltem potest impetrare remissionem pœnæ sine vlla oratione, petitione, & intentione, aut sacrificantis, aut offerentis; ergo hoc sacrificium, non solum respectu huius effectus, sed respectu etiam aliorum potest applicari ad impetrandum absque eo, quod orationi, & petitioni conjungatur. Antecedens est expressum P. Suarij in hac disput. Sect. 6. sub finem primæ Conclusionis, vbi probat remissionem pœnæ esse effectum proprium huius sacrificij, quia, inquit, vt sacrificium hoc conferat hunc effectum non est necessaria specialis petitio, & oratio, sed hoc ipso, quod pro aliquo offertur, simpliciter applicatur illi hic effectus sine alia speciali intentione obtinendi illum. Hæc ibi. Consequentia clara est, quia vis intrinseca sacrificij ad impetrandum, quatenus sacrificium est, eiusdem est rationis respectu vnius, ac respectu alterius effectus; ergo si ad vnum potest applicari absque eo quod orationi conjungatur, potest ad omnes.

Verum quidem eſt, ſacrificium hoc de facto, cum oratione, precibuſque conjungi, vt patet ex tota Liturgia, tum vt valor tanti ſacrificij commendetur, tum vt fidelium mentes, petendo, & orando diſponantur ad vberiores ſacrificij fructus percipiendos. Cæterum oblatio ipſa ſacrificalis per ſe antecedenter, & independenter ab omni actuali petitione, ſuam, vt ſic dicam impetratiuam actiuitatem exercet, & tantum abeſt, vt ab oratione impetrandi efficaciam accipiat, vt potius ipſa tribuat orationi. Oportet ergo diſtinguere, duplex genus orationis, alterum realis, verbalis alterum, in quo mentalis etiam comprehenditur. Ac prior quidem Oratio realis, dici poteſt *Oratio operis*, poſterior verbalis, dici poteſt, *Oratio operantis*, quam diſtinctionem viſus eſt indicare Pſalmiſta Pſal. 19. vbi Interprete Bellarmino, ſicut de Oratione verbali ait: Exaudiat te Dominus; ita addit de Oratione reali: memor ſit omnis ſacrificij tui. Neque quod dicitur de cauſalitate Sacramentorum quidquam vrget, immò potius fauet, quia ſicut ad effectus Sacramentorum obtinendos ſatis eſt, vt Miniſter Sacramenti intendat, Sacramentum eiuſque effectus ſuſcipienti conferre, ita ad collationem fructuum ſacrificij, ſatis eſt vt Miniſter ſacrificij intendat fructus conferre iis, pro quibus intendit offerre. Hæc autem intentio generalis proficiendi illis, pro quibus offertur imbibitur in ipſa intentione ſacrificaliter offerendi; quare ſacrificium non eſt impetratorium media oratione, ſed media applicatione Sacerdotis.

VII. *Sacrificium eſt Oratio realis.*

Ad illud autem, quod poſtremo loco dicebatur. Sacrificium videlicet per ſe indifferens eſſe, & propterea petitione aliqua indigere, vt actu impetret.

Reſpondemus, facile ſacrificium non dici, nec eſſe indifferens ad impetrandum, vel non impetraudum, ſiue ad cauſandos, vel non cauſandos ſuos effectus, hoc ipſo enim, quod offertur, ad cauſandum, & ad impetrantum offertur; ſed dicitur indifferens, quia non eſt per ſe determinatum ad vnum tantum effectum particularem vt Sacramenta, ſed reſpicit omnes vniuerſaliter, vt natura ipſa ſacrificij poſtulat.

VIII. *Tertia differentia ex infallibilitate.*

Tertia differentia allata à P. Suarez eſt, quia prior effectus ex opere operato infallibilis eſt, nam fundatur in promiſſione abſoluta reſpectu eius, qui non poſſit obicem; at verò poſterior effectus de ſe, non habet vnde ſit infallibilis, patet quia nec fundatur in promiſſione, vt dictum eſt, nec etiam debetur ex Iuſtitia, quia non nititur in merito de condigno ipſius offerentis. Et confirmatur, quia hic effectus impetrationis habet adjunctam orationem, quæ interdum infallibiliter impetrat ex promiſſione, ſi habeat omnes requiſitas conditiones, & tunc ſi orationi adjungatur ſacrificium, infallibilis quidem erit impetratio, magis ob promiſſionem orationi factam, quàm ex aliqua ratione propria illius; interdum verò oratio non infallibiliter impetrat, ſi caret aliqua conditione requiſita, & tunc etiam ex ſacrificio non habet infallibilem impetrationem; nullum enim eſt principium eius, quamuis conferat magnam vim orationi, vt obtineat, quod ſine ſacrificio fortaſſe non obtineret.

IX. *Effectus ſacrificij omnes ſunt infallibiles.*

Hæc tertia differentia præſupponit, quod eſſet omnino probandum, videlicet promiſſionem factam huic ſacrificio fuiſſe ſpecialiter factam in ordine ad vnum certum, ac determinatum effectum, & ideo hunc eſſe ex opere operato, & infallibilem, non eſſe autem talem promiſſionem eidem ſacrificio factam in ordine

ad

ad reliquos eius effectus, & ideo hos non esse ex opere operato, & infallibiles; hoc fuisset probandum, & in aliquo saltem loco vniuersæ disputationis de sacrificio ostendendum; sed adhuc id videre non potui. Et sanè, vel Aduersarij habent, quam proferant huiusmodi promissionem, vel non habent; si non habent, quomodo tanquam certum affirmant, sacrificium hoc habere suum proprium effectum ex opere operato, quandoquidem omnis effectus ex opere operato in promissione fundatur; si habent, cur non proferunt?

Neque minùs gratis dictum videtur, quod additur in confirmatione, sacrificium scilicet accipere interdum infallibilitatem ab oratione, si oratio ex suis requisitis omnibus habitis est infallibilis, orationem verò non accipere infallibilitatem à sacrificio, si illam non habeat ex se. Hoc dictum non solum gratis assertum videtur, sed planè falsum; quia sacrificalis oblatio, vt superius diximus, ipsa est realis, immò essentialis oratio, atque adeo ipsa ex se, & sua natura habet vim impetrandi seclusa omni alia adjuncta oratione, & petitione. Ad quam sacrificij naturam respiciens Bellarminus lib. 2. cap. 4. docet propriam eius efficientiam esse, impetrare, quia, inquit, sacrificium est quædam oratio, non verbalis, sed realis, oratio autem, licet possit esse meritoria quatenus fit ab homine iusto, & ex charitate, & simul etiam satisfactoria, quatenus est opus laboriosum, tamen ex se, & ex proprio officio impetratoria est. Vnde optimè colligit, ad sacrificium Missæ, licet non sit necessaria bonitas Ministri offerentis, tamen alicuius offerentis bonitatem necessario requiri, quia, inquit, sacrificium cum ad impetrationem tendat, & simile sit orationi, sine dubio non potest placere, nec impetrare, nisi offerens placeat: neque obstat, quod in sacrificio Missæ res ipsa, quæ offertur ex se grauissima est; nam non res illa, sed rei illius oblatio propriè sacrificium est: Sacrificium enim est actio, non res permanens. Porrò licet res ipsa placeat ex se, tamen oblatio rei non placet, nisi offerens placeat, ac præsertim Deo, cuius sunt omnia, & qui nulla re indiget, quamuis cæteris paribus gratior sit oblatio rei præstantioris, & proinde grauissima oblatio Corporis Domini, rei videlicet omnium præstantissimæ. Ex eo igitur principio, quod sacrificium quædam realis oratio est, probat Bellarminus sacrificium hoc postulare, vt licet offeratur ab homine, qui interdum non placet, offeratur tamen semper in persona Christi, qui semper placet.

X. *Sacrificium non accipit infallibilitatem ab oratione.*

XI. *Sacrificalis oblatio est essentialis oratio.*

XII. *Cur alicuius offerentis bonitas necessaria est sacrificio.*

Atque hinc habes tandem alterum principium infallibilis, & vniuersalissimæ impetrationis in sacrificio; nam præter promissionem peculiarem, quam habet, vt sacrificium est noui Pacti, & Testamenti, de qua superius non ieiunè disputauimus, habet etiam promissionem factam orationi, cuius veluti species præstantissima est sacrificalis oblatio; sed de hoc redibit sermo infrà.

Quarta, & vltima differentia, quam P. Suarez assignat, est, quia hic posterior modus causandi per impetrationem, vniuersalior est, quàm prior, tum ex parte personarum, quia ad plures personas extenditur hæc impetratio, quàm opus operatum, tum etiam in effectibus: nam opus operatum definitur ad certum, ac definitum effectum; hæc verò impetratio ad quoslibet effectus Diuinæ beneficientiæ extendi potest, vt confirmat satis vsus Ecclesiæ in omnibus Liturgiis. Item quia hæc impetratio tam latè patet, quàm oratio, & quam Sacerdotale munus: Sacerdos enim, vt Chrysost. ait lib. 6. de Sacerd. & Ambrosius 1. Offic. cap. 48.

XIII. *Quarta differentia ex vniuersalitate.*

Eſt vniuerſalis Legatus apud Deum pro vniuerſo Orbe, & pro omnibus deprecatur, quod maximè præſtat per ſacrificij oblationem, & ſic etiam rectè intelligitur, quod Tridentinum ait Seſſ. 22. cap. 2. per hanc oblationem vberrimè percipi fructus oblationis cruentæ, quia in vtraque idem eſt offerens, & quod offertur. Quo tandem fit, vt hi duo modi cauſandi quodammodo ſe habeant vt excedens, & exceſſum, nam prior ſuperat in infallibilitate, & certitudine, poſterior verò in vniuerſalitate, & quadam infinitate.

XIV. *Opus operatum ſacrificij tàm latè patet, quã patet oratio.* Hæc vltima differentia nititur quoque falſo principio, quod ſcilicet opus operatum neceſſario definitur ad certum, ac definitum effectum. Quod autem hoc principium ſit falſum probo ex duabus propoſitionibus veriſſimis, quas aſtruunt hoc loco Aduerſarij ipſi; prior eſt, Sacrificij oblatio tam latè patet, quàm patet oratio. Hæc propoſitio ſine dubio eſt Sanctorum Patrum in commendationem maximam ſacrificij; ex qua argumentor ſic. Si hæc propoſitio non eſt vera ratione operis operati ſequitur non pertinere ad peculiarem excellentiam ſacrificij, quod tam latè pateat, quàm patet oratio, quia præciſo opere operato, quodlibet opus bonum tàm latè patet, quàm patet oratio; nam quodlibet opus bonum poteſt offerri Deo àd impetrandum quidquid per orationem impetrabile eſt. Si ergo ab oblatione huius ſacrificij tollamus vniuerſalitatem effectuum ex opere operato, nihil ſublimius, aut grandius ex hac æquè latè patentia cum oratione de ſacrificio affirmamus, quàm de quolibet alio pio opere, quod ſine dubio eſt abſurdum, & contra totius Eccleſiæ ſenſum.

Altera Aduerſariorum propoſitio ad hanc æqualitatem cum oratione commendandam illa eſt: *Sic etiam rectè intelligitur*, quod Tridentinum ait, per hanc oblationem vberrimè percipi fructus oblationis cruentæ, quia in vtraque oblatione, tam cruenta, quàm incruenta idem eſt offerens, & quod offertur: ſi ſic etiam rectè intelligitur locus hic Tridentini. Argumentor iterum ex illo hoc modo. Tota ratio admirabilis extenſionis, quam habet hoc ſacrificium ad percipiendos omnes fructus oblationis cruentæ, vt non minus latè extendi ad illos poſſit, quàm oratio, tota eſt, quia in eo Chriſtus eſt offerens, & quod offertur; ſed hæc ratio pertinet ad opus operatum, vt indubitatum eſt apud omnes; ergo opus operatum huius ſacrificij, non minus extenditur, nec minus latè patet, quàm oratio.

His ita expeditis, facile nobis erit probare præfixam initio aſſertionem, videlicet omnes effectus, ac fructus Sacroſancti huius ſacrificij eſſe ex opere operato. Probamus autem hoc modo.

XV. *Fundamentum noſtræ ſententiæ.* Illi ſunt effectus ex opere operato, qui nullo modo pendent ex conditione Miniſtri operantis, ſed proueniunt ex vi exterioris operis inſtituti à Chriſto; ſed huiuſmodi ſunt omnes effectus huius ſacrificij; ergo omnes effectus huius ſacrificij ſunt ex opere operato. Maior propoſitio non aliunde probanda eſt, quàm ex communi conſenſu Theologorum, qui talem veluti definitionem acceptarunt. Illam autem optimè explicat Bellarminus pluribus in locis ſparſim, ſed colligit

XVI. *Opus operatũ, & opus operantis quid?* præcipuè lib. 2. de Miſſa cap. 4. vbi ait, illud habere vim ex opere operantis, quod vim habet ex bonitate, vel deuotione eius, qui operatur, ita vt opus multum, aut parum, aut nihil valeat, provt magna, pauca, aut nulla eſt bonitas, & deuotio operantis, qualis eſt valor precum, & meritorum noſtrorum: Illud autem habere

vim ex opere operato, quod ex se valet, modo fiat sicut lex præscribit, quidquid sit de bonitate, vel malitia operantis Ministri, ita vt opus semper idem valeat, nec fiat melius ex Ministri bonitate, neque peius ex Ministri iniquitate; talem esse valorem Baptismi ait Bellarminus, ne Hæretici quidem hoc tempore negant, licèt à vocabulo operis operati abhorreant. Idem enim est, Baptismus, & idem efficit, siue à bono, siuè à malo Ministro conferatur. Quare controuersia, inter Catholicos, & Hæreticos illa semper fuit. Vtrum sacrificium vim habeat ex ipso opere, qualem habent Sacramenta, an ex bonitate Ministri, qualem habent nostræ preces.

Quamquam hic mirabile alicui videri posset, cur in tradenda notione causalitatis ex opere operato, nulla fiat à Theologis mentio de promissione facta operi, neque de illius effectus infallibilitate. Certè P. Suarez, qui in præsenti vrget, circumstantias promissionis, & infallibilitatis. In proprio loco, hoc est super quæst. 62. S. Thomæ disp. 7. sect. 1. totam hanc doctrinam his planè verbis comprehendit. Distinguunt, inquit, Theologi duplicem modum obtinendi gratiam; priorem vocant ex opere operantis, qui est quandò obtinetur gratia ex merito, vel ratione propriæ dispositionis præcisè, vt est ab operante; posteriorem vocant ex opere operato, qui est quando ratione operis externi, vel Sacramenti applicati, datur aliqua gratia vltra omne meritum operantis, tam de condigno, quàm de congruo. Hæc ibi, Præterea nihil cur neque ille, neque alij in proprio loco exprimunt, adiunctam promissionem absolutam, respectu eius, qui non ponit obicem, quæ vnicum est fundamentum infallibilitatis effectus ex opere operato.

Ratio meo quidem iudicio illa est, quia omnis institutio causæ ex opere operato facta à Christo, est per modum pacti testamentarij, quod sicut includit vtriusque partis obligationem, ita etiam promissionem iuxtà ea quæ diximus agentes de institutione, & erectione Montis Propitiatorij; quare cum in institutione ipsa operis operati promissio illa includatur, hinc fit, vt à Theologis potius præsupponenda, quàm necessario explicanda visa sit. Maior ergo propositio in hoc sensu, quod scilicet ille dicatur effectus ex opere operato, qui infallibiliter prouenit ex opere ipso, ratione promissionis illi adiunctæ independenter à conditione operantis, admittitur ab Aduersariis, & ab omnibus. XVII. *In institutione ipsa operis operati includitur promissio.*

Minor propositio colligitur meo quidem iudicio apertissimè ex Tridentino sess. 22. cap. 2. vbi Patres illius Sacri Concilij reddentes causam aliquorum effectuum huius Sacrificij, illam reddunt. *Quia eadem est hostia, & idem Offerens, qui fuit in Sacrificio Crucis.* Hæc ratio Sacri Concilij, probat duo. Alterum est quod infert Bellarminus, hoc Sacrificium habere causalitatem ex opere operato, quia siue Minister sit bonus, siue malus, tota causa illorum effectuum eadem semper manet, quia semper eadem est hostia, & idem offerens, qui fuit in Cruce. Alterum est, quod nos superius contra Aduersarios inferebamus, & postulat propositio facta in argumento, videlicet effectus huius sacrificij omnes æquales esse quoad rationem operis operati, quia respectu omnium æqualis est ratio eius causalitatis, quæ non alia à Concilio, Patribus, & Theologis assignatur, nisi quod Christus est ibi principalis offerens, & res oblata. Cum ergo illi sint effectus ex opere operato, qui non pendent ex bonitate alterius XVIII. *Omnes effectus Sacrificij sunt æquales in esse ex opere operato.*

offerentis, quàm Christi, & in hoc effectus omnes Sacrificij sint æquales, apertè sequitur effectus omnes huius sacrificij esse ex opere operato.

XIX. *Inter opus operatum, & opus operantis non datur medium.* Hæc consequentia valida planè est, quia fundatur in principio à Theologis receptissimo, quod quisquis effectus ex opere sequitur, & non ex opere operantis, hoc ipso dicendus est sequi ex opere operato, neque alio modo probat P. Suarez disput. 7. sect. 1. Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato, nisi quia illam conferunt præter omne meritum operantis. Quæ ratio sine dubio præsupponit id, quod ipse præsenti quæstione renuit admittere, illa videlicet duo membra, opus operatum, & opus operantis, condistingui per immediatam contradictionem ita vt inter illa, non detur medium, saltem in subiecta materia, sed ex negatione vnius, alterius affirmatio inferatur.

XX. *Quinta differentia ex immediatione.* Verum posset adhuc vrgere P. Suarez, & quatuor assignatis differentiis, hanc addere quintam, quod scilicet effectus ex opere operato non solum est certus, & infallibilis, sed etiam immediatus. Est enim opus operatum veluti instrumentum quoddam efficienter, & immediatè producens effectum per modum naturæ: hæc autem causalitas non videur habere locum in Sacrificio, saltem in aliquibus eius effectibus; nam vt interim alios relinquamus: Remissio culpæ lethalis est effectus, & quidem præcipuus huius Sacrificij iuxtà verba consecrationis Calicis: *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quæ verba cum Patribus, & Catholicis Doctoribus multis exposuimus de incruenta effusione, & tamen effectus hic remissionis culpæ mortalis, atque adeo infusionis gratiæ primæ, & iustificationis non procedit à Sacrificio, vt à causa proxima, & immediata; nam si remissio culpæ causatur ab hoc Sacrificio hoc modo, causaretur ad modum Sacramentorum: hoc autem est apertè falsum.

XXI. *Efficientia immediata non est, de ratione operis operãtis.* Respondeo cum Bellarmino, lib. 2. cap. 4. Valorem ex opere operato posse duobus modis in aliquo opere inueniri; vno modo si opus illud sit instrumentum quoddam efficienter, & immediatè producens effectum quasi per modum naturæ; alio modo si opus quidem, quod fit non sit instrumentum efficienter, & immediatè producens effectum, sed tamen infallibiliter, & independenter à bonitate Ministri moueat Deum ad effectum producendum. Exemplum affert Bellarminus in rebus humanis, si quis ignotus, vel etiam inuisus Principi, aliquid ab eo peteret nomine alterius, cui Princeps nihil negare posset, ista enim huius hominis supplicatio infallibiliter impetrat, & tamen non habet vim ex opere operantis, idest ex bona qualitate supplicantis, cum sit ipse ignotus, vel inuisus Principi.

Ex his duobus modis causandi ex opere operato, alterum dedit Christus Sacramentis, alterum sacrificio. Ac primum quidem dedit Sacramentis; vnde actio Sacramentalis est instrumentum Dei, quod efficaciter, & immediatè iustificat, nisi ponatur obex, nec pendet virtus huius instrumenti à bonitate Ministri, sed à sola Dei institutione. Secundum modum causandi ex opere operato dedit Sacrificio, cuius effectus primarius, proximus, & immediatus est Deum placare, & ratione cuius extendit se ad alios omnes iuxtà doctrinam Tridentini sess. 22. cap. 2. vbi cum dicitur, per Sacrificium hoc remitti peccata, redditur causa, quia Deus hoc Sacrificio placatus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedit.

Quod ſi quæras, cur diuerſum modum cauſandi ex opere operato, dederit Sacramentis, & Sacrificio, & cur potius primum, qui videtur eſſe perfectior non dederit Sacrificio huic, quod eſt perfectius omnibus Sacramentis.

Reſpondeo ad primum, quia ad eundem omnino effectum, hoc eſt ad peccatum immediatè tollendum iuxtà Dei prouidentiam omnia diſponentis in numero, pondere, & menſura vnum medium, ſeu vnus modus per ſe inſtituendus erat, non verò multiplex. Ideo cum ad peccatum immediatè tollendum, inſtituta ſint Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, illud pro Infidelibus, hoc pro fidelibus, ſiue illud pro originali, hoc pro actuali diluendo, congruum non erat, vt aliud medium, *ad hunc eundem effectum eodem modo*, inſtitueretur.

Sed cur potius cauſalitas illa immediata conceſſa eſt Sacramentis, quàm Sacrificio.

Reſpondeo id non ex imperfectione, ſed ex maxima Sacrificij perfectione ortum eſſe. Ratio eſt, quia decebat vt Sacrificium, in quo Chriſtus, qui eſt cauſa omnium Sacramentorum continetur, vniuerſaliorem modum haberet operandi, quàm Sacramenta, vt ſicut Sacramenta tanquam cauſæ particulares, ſuos peculiares reſpiciunt effectus, ita Sacrificium tanquam cauſa vniuerſalis, reſpiceret ſuperiori modo omnes effectus? At verò ſi Sacrificium eſſet definitum ad illum modum iuſtificandi immediatè ad inſtar Sacramentorum, nullo modo poſſet ſe extendere ad omnes homines, & ad omnes effectus. Neque enim liceret ipſum offerri pro jis, quos ſcimus in peccato libenter manere, nec pro obduratis, & impœnitentibus; quia medium immediatè iuſtificans, requirit neceſſario præuiam diſpoſitionem in eo, cui applicatur; vnde ſine antecedenti, & ſufficienti diſpoſitione non poſſet pro obſtinato peccatore Sacrificium offerri, ſicut ob eamdem rationem non poteſt illi Sacramentum conferri. Vnde etiam fieret, vt peccatores, qui pro ſe Sacrificium offerri peterent, peccarent grauiſſimè, niſi ſimul ſe ad gratiam recipiendam præpararent; quæ omnia abſurda ſunt, & ab omnibus reiecta. Vt ergo Sacrificium tanquam generale applicatorium Paſſionis Chriſti, poſſet ſe ad perſonas omnes, & omnes effectus extendere, neceſſarium fuit, vt immediatè, & proximè haberet Deum placare, & in hoc aſſimilaretur Sacrificio Crucis, cuius finis non fuit efficienter, & immediatè iuſtificare, alioqui omnes homines continuo iuſti effecti eſſent, cum Dominus pro omnibus hominibus ſe Deo in Sacrificium obtulerit? ſed eius finis proximus, & principalis fuit placare Deum Generi humano. Coloſſ. 1. *Pacificans per Sanguinem Crucis.* Quamuis verò noſtri Sacrificij non ſit iuſtificare quod eſt proprium Sacramentorum, ſed propitiare, & placare, qui eſt effectus, & finis veri Sacrificij, Negandum tamen non eſt plures effectus gratiæ cauſare etiam immediatè, per quos homo peccator ad Sacramenta ipſa, accedere velit, vt per illa iuſtificetur. Quæ omnia conſtabunt magis ex infra dicendis. Interim hoc maneat, omnes Sacrificij huius effectus ſiue mediatè, ſiue immediatè proueniant, eſſe ex opere operato, neque contra hunc modum cauſalitatis eſſe, non efficere immediatè.

XXII. *Ex perfectione Sacrificij fit, vt non cauſet omnes effectus immediatè.*

QVÆSTIO QVINTA.

An omnes effectus, ac fructus Montis Propitiatorij certi sint, & infallibiles?

XXX. *Per quodlibet Sacrificium impetratur semper aliquid spectans ad id, quod petitur.*

XXXI. *Explicatur effectus partialis.*



ENTENTIA Aduersariorum est, solam pœnæ remissionem esse Montis huius fructum certum, & infallibilem ex illo fundamento, quia in institutione, & erectione huius Montis adnexa illi fuit Diuina promissio in ordine ad hunc tantum effectum, quamuis vero alios quoque fructus eosque præstantes, atque multiplices habeat, tamen quia in ordine ad illos non fuit facta promissio, propterea ex defectu principij infallibilitatis, nec certi ipsi sunt, nec infallibiles. I. *Opinio contraria.*

Nos autem, vt veram sententiam statuamus, distinctionem illam præmittimus de duplici genere fructuum, altero eorum, quæ pertinent ad bonum simpliciter, vt sunt fructus omnes gratiæ, & salutis, altero eorum, quæ non pertinent ad bonum simpliciter, vt sunt fructus temporalium bonorum. Iam verò loquendo de primo genere fructuum, hanc ponimus assertionem.

Omnes effectus, & fructus huius Montis pertinentes ad gratiam, & salutem, omnes certi sunt, & infallibiles. II. *Nostra Conclusio.*

Probatur. Omnes effectus, & fructus, qui fundantur in promissione & pacto Diuino, omnes certi sunt, & infallibiles; sed omnes effectus, & fructus huius Montis pertinentes ad gratiam, & salutem fundantur in promissione, & pacto Diuino; ergo omnes huiusmodi fructus certi sunt, & infallibiles. Consequentia tenet ex forma. Propositiones explicandæ sunt.

Ac prima quidem, meditatione, & fide potius eget, quàm explicatione. Est enim promissio Dei, ait Augustinus in Psal. 74. rata, certa, fixa, & inconcussa, fidelis, & omni dubitatione carens. Et quia multum intererat ad salutem certos nos esse rerum promissarum, ideo (quæ fuit admiranda, atque stupenda Dei dignatio, ait Caietanus) cum homo princeps solutus sit à legibus, & non teneatur nisi ex contractu, Deus omnium Principes voluit promissiones suas subjacere contractui, vt vel sic certiores redderet homines, quod implerentur promissa. Ita plane ait Augustinus in Psal. 109. Parum erat promissio, etiam scripto se teneri voluit, veluti faciens nobiscum Chirographum promissionum suarum. III. *Certitudo Diuinarum promissionum.* IV. *Deus obligatur ex contractu.*

Hoc est principium totius infallibilitatis in effectibus Sacramentorum, de quibus Tridentinum Sess. 7. cap. 7. sic absolutè definit: Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta, *semper & omnibus* quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, Anathema sit. Vbi licet in genere de Sacramentis, & de Gratia loquatur, re tamen vera, vt bene obseruat P. Suarez disp. 40. de Euchar. Sect. 2. Sermo Concilij est doctrinalis, & vniuersalis; vnde de omni effectu vnicuique tali causæ respondente, accommodatè intelligi potest, præsertim quia Concilium in eo sensu loquitur, quo solent Theologi loqui in materia Sacramentorum, vbi non aliam causam à priori, certitudinis, & infallibilitatis effectus assignant, nisi Diuinam promissionem, & pactum, quæ promissio tanti ponderis est, vt illa posita non intelligatur amplius effectus Sacramenti pendere, vt ita dicam ex arbitrio Dei, sicut ante promissio- V. *Principium infallibilitatis in Sacramentis.*

nem; sed ab illo opere externo, cui est facta promissio tanquam à causa per se efficiente, & naturaliter agente in eo, qui non ponit obicem: neque enim est contra virtutem infallibilem Sacramenti, quod ponenti obicem non conferat gratiam; immo potius commune est causis agentibus, vt propter resistentiam passi, ab agendo impediantur. Sed non est necesse, vt in hac maiori propositione explicanda diutius immoremur, satis est, quod grauissimè dixit Chrysostomus Homil. de nomine Abram; promissa sequuntur eius naturam, qui promisit: vel quod adhuc sublimius dixit Paulus 2. Timoth. 2. *Fidelis Deus est, se ipse negare non potest.*

VI. *Fructus sacrificij fundantur in promissione, & pacto.*

Veniamus ad Minorem, quod scilicet effectus omnes, ac fructus huius Sacrificij pertinentes ad gratiam, & salutem fundantur in promissione, & pacto Diuino.

Hæc propositio probata à nobis est in superioribus. Primo ex Ioan. 6. vbi Christus promittit se instituturum Sacrificium incruentum *pro Mundi vita*. Secundo ex verbis ipsis institutionis in nocte Cœnæ, vbi Christus hoc Sacrificium non solum obtulit, verum etiam instituit in remissionem peccatorum. Tertio ex Apostolorum traditione, ex qua iuxtà intelligentiam Tridentini habemus Sacrificium hoc habere valorem ex opere operato, hoc est, vt communis est explicatio Theologorum ex promissione facta operi ipsi independenter à conditione ministerialis operantis.

VII. *Promissio facta Orationi intelligitur etiam facta oblationi.*

Hic ad vlteriorem doctrinam addimus quartum fontem eiusdem promissionis ex illo scilicet principio, quod sacrificalis oblatio circumscripta, quacumque adjuncta petitione, & oratione, ipsa per se, & ex sua institutione est propria, & vera petitio, & oratio, vt superius significauimus, hoc autem principio posito sic argumentor.

Oratio absolutè accepta, modò conditiones omnes habeat requisitas ad ipsius perfectionem, habet peculiarem Dei promissionem, ratione cuius eius impetratio est certa, & infallibilis; sed sacrificalis oblatio est absolutè, & simpliciter oratio habens omnes conditiones requisitas ad orationis perfectionem; ergo sacrificalis oblatio habet peculiarem Dei promissionem, ratione cuius eius impetratio est certa, & infallibilis.

Maior propositio manifesta est ex Scripturis, præsertim in Testamento nouo, vt Matth. 7. Luc. 11. & alibi; sed egregius locus est ille Ioan. 16. *Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Hæc est expressa promissio facta Orationi, vt omnes Patres exponunt. Quod verò non omnino absoluta sit, sed sub aliqua conditione rectè probat S. Augustinus Tract. 73. & 81. in Ioan. quia videmus, non omnia, quæ petimus, nobis concedi, ergo signum manifestum est promissionem non esse absolutam; nam si esset ita absoluta, vt in oratione, nullam aliam conditionem postularet, præter petitionem, semper impleretur; nam hoc pertinet ad veritatem, & infallibilitatem promittentis. Quod si petitio conditiones requisitas habeat, erit eius impetratio infallibilis, quia conditionalis, impleta conditione transit in absolutam. Est ergo vera illa propositio pro vt à nobis exposita est, Orationem absolutè acceptam, modo conditiones omnes habeat requisitas ad illius perfectionem, habere peculiarem Dei promissionem, ob quam eius impetratio certa est, & infallibilis.

VIII. *Oratio habet promissionem impetrationis infallibilis.*

Tota

Tota difficultas est in comprobanda minori. Primo quia sub nomine petitionis, & orationis non videtur comprehendi sacrificalis oblatio. Deinde quia etiamsi sub tali nomine comprehendatur, non videtur ipsa per se, & independenter ab adjuncta Oratione habere conditiones omnes, quæ positæ afferunt impetrationis infallibilitatem.

Sed nos vtramque partem probamus. Et primam quidem, quia ex principio vtroque Iure recepto, tanquam per se decente, ac vero. Beneficium Principis, vt aiunt, amplissimè interpretandum est, quantum, & verba principis, & finis concessionis patiuntur; ergo huiusmodi Christi promissio debet interpretari, facta Orationi, cuiuscumque speciei illa sit, sub debitis requisitis; ergo non solum Orationi verbali, sed etiam Orationi reali; quis autem sibi facile persuadeat Christum in ea promissione Orationis, speciem omnium præstantissimam exclusisse, aut etiam non inclusisse. IX. *Sub nomine Orationis comprehenditur oblatio.*

Immò si Sacrum textum B. Ioannis diligentius examinare velimus, inueniemus Christum Dominum in illa tam magnifica promissione ad petitionem oblationis realem primario respexisse; id quod ex adjunctis ipsiusmet Christi verbis non obscurè colligere licet. Etenim cum dixisset: si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis, statim addit *vsque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Quæstio est non ignobilis. Quomodo verè dicere Christus potuerit, Apostolos ante id tempus, nihil suo nomine petiisse. Recentiores ferè omnes Euthymium sequuti, fatentur ex hoc loco, Apostolos nihil hucusque à Patre per merita Christi, & in ipsius nomine petiisse, siue quod fides Trinitatis non ita distincta hactenus habebatur in populo Dei, vnde non poterant petere in nomine filij Patrem, qui non dum notitiam distinctam habebant, & Filij, & Patris. Siue quod ad illud vsque tempus confisi præsentiæ Christi ab ipso præsente omnia petierunt, cum enim ipsum haberent præsentem, & ad manum, non erat, cui in nomine ipsius quasi absentis quidquam peterent Patrem. X. *Promissio principalius facta Orationi reali.* XI. *An Apostoli viuente Christo petierunt aliquid à Deo in nomine Christi.*

Verum in hac responsione animus non acquiescit. Quis enim sibi facile persuadeat, Apostolos, qui in nomine Christi Dæmonia eiecerant, & ægrotos curauerant, eos in eodem nomine Patrem nunquam orasse, præsertim quod Dæmonia ipsa non nisi orando ejicerent, vt indicat S. Thom. in cap. 16. Ioan. Certè fides, quæ requirebatur, vt Patrem orarent, & in filij nomine Dæmonia ejicerent, satis erat, vt Patrem in nomine filij illud ipsum, quod orabant, orarent. Verum est non fuisse hunc modum orandi communem in Dei populo, vt nunc est in Ecclesia, Cæterum etiam ante Christi Incarnationem ita Deum Patrem orasse Sanctum Dauid, satis intelligitur ex Psal. 131. iuxtà explicationem Toleti in cap. 16. Ioan. annot. 32. *Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui*; idest propter Messiam, & Christum, cuius ego typus sum, auxiliare Salomoni, & custodi vnctum tuum, & filium meum, & illud Psalm. 50. Miserere mei Deus secundum magnam *misericordiam tuam.* Hæc misericordia Messias est, & Christus futurus, de quo Psal. 88. dicitur: *Misericordiã autem meam non auferam ab eo*; sed quidquid sit de Prophetis, & Patriarchis ante Incarnationem Christi, certè incredibile est sanctum Petrum, qui non carne; & sanguine illi reuelante didicerat, & confessus fuerat Christi Diuinitatem illis tam magnificis verbis. *Tu es Christus Filius Dei viui,* nihil vnquam orando in nomine talis filij patrem petiuisse. Quid quod XII. *Apostoli multa petierunt orando in nomine Christi.*

Apostoli Dominicam Orationem illam docti iam fuerant, quam si nihil tunc Christi nomine à Patre petebant, ne nos quidem modo petimus, ait Maldonatus. Neque verò quidquam obstabat filij præsentia; quid enim hæc prohibebat, quo minus in nomine illius præsentis Patrem orarent? Immò hoc à Beatissima Virgine assiduè factum esse docent Patres communiter, & ratio ipsa satis persuadet.

XIII. *Sub Oratione in Scriptura intelligitur sacrificium.* Propter hæc existimo cum de petitione in nomine suo facienda hoc loco dissereret Christus, non tam ad petitionem, & orationem verbalem, quàm ad realem, & essentialem, quæ est sacrificalis oblatio, respexisse. Neque verò nouum est in Scriptura, nomine Orationis, & obsecrationis intelligi oblationem, nam Ambros. lib. 6. de Sacr. cap. vltimo, Augustinus Epist. 59. ad Paulin. Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius in suis Commentariis ita exponunt locum illum Pauli 1. Thimoth. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, nimirum Apostolum sub his nominibus præcepisse, vt sanctum Sacrificium pro vniuersa Mundi salute offerretur. Quam expositionem sequutus est Bellarminus lib. 2. cap. 13. Neque mirum est in Scriptura intelligi interdum Sacrificium sub simplici nomine Orationis,

XIV. *Adoratio idem quod sacrificalis oblatio.* quandoquidem certum est, tum in veteri, tum in nouo Testamento idem intelligi sub simplici nomine Adorationis, nam quod pertinet ad vetus Testamentum Genes. 22. Abraham instructus gladio, & igne ad sacrificandum, dixit famulis suis: expectate hic cum Asino; ego, & puer illuc vsque properantes, postquam *Adorauerimus*, reuertemur ad vos. Hoc loco ait Bellarminus cum communi *Adorare*, sacrificare significat, nam alioqui vbique adorare potuisset, si tantùm per adorationem incuruatio quædam intelligeretur, sed iusserat ei Dominus vt in Monte sacrificaret. Ad nouum autem Testamentum spectat quæstio illa celebris, quam Samaritana Christo, vt Prophetæ proposuit Ioan. 4. Domine video, quia Propheta es tu, Patres nostri in Monte hoc *adorauerunt*, & vos dicitis quia Hierosolymis *est locus vbi adorare oportet*. Ista quæstio, ait Bellarminus, necessario de adoratione per Sacrificium intelligenda est; nam schisma Iudæorum, & Samaritanorum exortum erat ex eo, quod Samaritani Templum ædificauerunt in Monte Gayzin, & ibi sacrificandum esse contendebant; Iudæi autem contra docebant in solo Templo Hierosolymitano legitimè sacrificari posse. Et sanè Samaritana non de quacumque adoratione loquebatur, sed de Oratione alligata certo loco, & quæ alibi non ritè fieret, ideo ait: *Vos dicitis, quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet*. Constat autem nunquam fuisse apud Iudæos adorationem alligatam certo loco, nisi ratione Sacrificij. In eodem sensu dicitur Ioan. 12. Erant quidam Gentiles, qui ascenderant, vt *adorarent* in die Festo, & Act. 8. Eunuchus Æthiopis venerat *adorare* in Hierusalem. In quibus locis iuxtà interpretationem omnium Catholicorum, *adoratio* Sacrificium significat. Ideo enim ex longinquis Regionibus homines in Hierusalem veniebant, quia non poterant in alio loco Deo vero Sacrificia ritè offerri. Adoratio autem simplex, vt etiam simplex oratio, & preces vbique fieri poterant.

XV. *Nouum genus Orationis in* Manifestum igitur est nomine tum Orationis, tum Adorationis, comprehendi interdum in Scriptura sacrificalem oblationem. Quod verò hic locus

Ioan. 16. ita intelligi possit, aut etiam debeat, probo hoc argumento. *nomine Christi est sacrificium.*

De illo genere Orationis, & petitionis nouo, in nomine suo hîc loquitur Christus, quod ante noctem Cœnæ ne ab Apostolis quidem cognitum fuerat. Sed genus Orationis, & petitionis in nomine Christi, nouum, & Apostolis ipsis incognitum vsque ad noctem Cœnæ, non aliud fuit nisi hoc genus Orationis realis, quæ est sacrificalis oblatio; ergo de hoc præcipuè genere Orationis hîc loquitur Christus.

Maior probatur, quia Christus in nocte Cœnæ de illo genere petitionis faciendæ in nomine suo dixit: *Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Sunt enim hæc verba Sermonis illius, quem Christus Dominus habuit ad primos Sacerdotes noui Testamenti post institutam oblationem Eucharistiæ. Loquitur ergo de genere petitionis nunquam antea vsurpato, atque adeo incognito, & saltem Apostolis à Christo non antea tradito. Si enim traditum illis fuisset, vtique aliquando illud vsurpassent, ideo vt obseruat Toletus ex S. Cyrillo lib. 11. cap. 7. & lib. 9. cap. 44. illa verba subjecit Christus, *vsque modo*, vt scilicet nouam rem esse, quam dixerat insinuaret, quasi diceret: Noua res hæc est, quam vobis trado.

Iam verò probatur minor; hoc scilicet genus petitionis nouum in nomine Christi, esse petitionem realem, seu sacrificalem oblationem, quia quodcumque aliud genus petitionis, fuerat iam ab Apostolis cognitum, & vsurpatum, vt vidimus, quod autem planè nouum fuit; hoc fuit, videlicet sacrificalis oblatio, quæ non ante illam noctem Passionis instituta fuit, & confirmatur magis quia postquam dixit Christus Dominus vsque modo non petistis quicquam in nomine meo, prædixit tempus, in quo erat illa noua petitio facienda, dicens: *In illo die in nomine meo petetis*, quibus verbis prædixit statum Ecclesiæ prout inchoandus erat post Ascensionem Christi in Cœlum, & missionem Spiritus Sancti, quo tempore cœpit hoc Sacrificium in nomine Christi offerri in Ecclesia, nam quamdiu Summus Sacerdos & Pontifex Mundi Christus in terris degit, nihil per Sacerdotes ministeriales in nomine, & in persona Christi petitum sacrificaliter ab Ecclesia fuit. Illi igitur generi orationis fit speciali modo promissio infallibilis impetrationis, quod ad illud vsque tempus vsurpatum non fuerat, & vsurpandum primo in Ecclesia erat tempore solemnis promulgationis Euangelicæ. Huiusmodi autem oratio non erat verbalis illa, sed alia noua realis in nomine & in persona Christi, quæ incipere debebat, lege noua incipiente. Hæc autem propterea à me dicta sunt, vt intelligamus tantum abesse, quod Christus à promissione illa realem orationem excluserit, vt de illa potissimum, & primario loquutus fuerit. XVI. *Vsus huiusmodi Orationis post Ascensionem.*

XVII. *Altera pars huius probationis.*

Altera pars, quod scilicet sacrificalis oblatio de facto habet ex sua institutione conditiones omnes, quas debet habere, vt sit infallibilis oratio ex vi huius promissionis, probatur facile, percurrendo conditiones ipsas sub quibus facta est hæc promissio. Illas autem ad quatuor contrahit S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 15. & ad septem dilatat in cap. 16. Ioannis, ex quibus conditionibus duæ indigent expositione, tertia verò clara per se est, & reliquas comprehendit.

XVIII. *Bonitas Orationis.*

Et vt ab hac tertia per se clara incipiamus, illa est, vt oratio sit de re bona, & honesta, atque adeo vt ipsa bona, & honesta sit; nam ex defectu huius condi-

tionis fieri poteſt, vt Oratio non ſolum inefficax, ſed etiam valde nociua, ſeu vt quidam Theologi loquuntur, non tantùm *mortua*, ſed etiam *mortifera ſit* iuxtà illud Pſalmi 108. *Oratio eius fiat in peccatum.* Dixi vt non ſolum Oratio ſit de re bona, ſed etiam, vt ipſa ſit bona; ſunt enim hæc duo ſeparabilia; nam poteſt quis à Deo rem bonam petere, & tamen in ipſa petitione habere defectum ob aliquam circumſtantiam malam ipſius actus orandi, vt ſi ex fine gloriæ vanæ oret, aut cum indebita attentione. Eſt autem generalis illa ſententia Apoſtoli Iacobi cap. 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis,* non dicit, eo quod *mala* petatis, ſed quod vniuerſalius eſt, quod *malè* petatis, nam *bona* etiam aliquando *malè* petuntur, & tunc tali petitioni, & Orationi non intelligitur facta promiſſio. Itaque promiſſio eſt facta non ſolum, *bona*, ſed etiam *bene*, petentibus, quo verbo omnes perfectiones Orationis comprehendi poſſunt, quatenus ex fide, & charitate procedit. Hanc primam conditionem ſine dubio ex ſua inſtitutione habet realis oratio, ſeu quod idem eſt ſacrificalis oblatio. Eſt enim oratio de re bona, quia eſt oblatio pro re bona, nimirum pro remiſſione peccatorum, in qua virtualiter continetur quidquid pertinet ad ſalutem, & ad bonum ſimpliciter; neque ſolum eſt oblatio pro re bona, ſed ipſa eſt eſſentialiter bona, quia vt docet Trident. Seſſ. 22. cap. 1. *Hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt.* Et ratio eſt quia hæc oblatio reſpectu hominum offerentium eſt actus merè miniſterialis; bonitas autem, vel malitia actus merè miniſterialis non communicat cum actione principalis, vnde opus tali miniſterio operatum, ſemper idem valet, & ſicut non fit melius ex Miniſtri bonitate, ita neque fit pejus ex Miniſtri iniquitate; quare ſicut habet valorem ex ſe, ita etiam habet ex ſe perfectiones illas omnes, quæ neceſſariæ ſunt, vt Oratio bene facta eſſe dicatur.

XIX. *Applicatur Orationi.*

XX. *An orans tantùm pro ſe impetret infallibiliter.*

Porrò ex conditionibus non ita claris, & quæ non videntur habere locum in hac Oratione reali, prima eſt, quam tangit S. Auguſt. Tract. 102. in Ioan. vbi affirmat intelligendum eſſe, promiſſionem Orationi factam in iis, quæ aliquis pro ſe tantùm, non verò in iis, quæ pro aliis petit, ad quod probandum ponderat Auguſtinus, dixiſſe Chriſtum; ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Ecce dictum eſt, *dabit vobis*, non igitur quibuſcumq; promiſſum eſt, ſed ipſis petentibus. Quæ ſententia ſi vera eſſet, multum ex hoc capite detraheret de fructu huius Orationis realis, quæ ſine dubio ad alios etiam extenditur, qui hoc modo orantes, ſeu offerentes non ſunt, & ſanè negari non poteſt (quò fortaſſe reſpexit Auguſtinus) Orationem pro ſe eſſe magis certam, quàm pro alio, in quantū facilius poteſt, qui orat reddere ſe idoneum cum Diuina gratia ad impetrandum, quod petit, quàm reddere alium ſic idoneum. Cæterum ſi ſupponamus nullum eſſe objicem ex parte eius, pro quo petimus, non minus eſt infallibilis Oratio pro ſe, quàm pro alio, quam ſententiam expreſſe docet P. Suarez Tom. 1. de Religione cap. 27. ſequutus Cardinalem Toletum Annot. 29. vbi pro ſe affert S. Baſilium, qui Reg. breuior. Reg. 261. de hac promiſſione tractans, docet aliquos non exaudiri petentes pro aliis propter malitiam eorum, pro quibus petunt, vt Ieremias 15. non exauditus eſt propter malitiam populi; & Samuël 1. Reg. 16. propter malitiam Saül; ſupponit igitur Baſilius, ait Toletus hanc promiſſionem eſſe

XXI. *Oratio etiam pro aliis eſt infallibilis.*

generalem, tam pro se, quam pro aliis; neque argumentum ductum à verbis promissionis, efficax est; nam quando aliquis pro altero orat, & exauditur, quamuis quod petit, conferatur ei, pro quo orat, tamen ipse, qui orat, est qui exaudiri dicitur, & qui impetrat, & cuius petitio fructuosa est. Sic Dauid 2. Reg. 12. orauit pro filij vita, dicens intra se: *Quis scit si forte donet eum mihi Dominus*, & Act. 27. Dixit Angelus Paulo, qui pro vectorum incolumitate orauerat: *Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum*; idcirco dicitur: *dabit Vobis*. Vobis ait, non nobis, & pro vobis, sed vobis, siue pro vobis, siue pro aliis. Quæ expositio, vel ex eo germana esse comprobatur, quia apud eundem Euangelistam eadem promissio ponitur absolutè vt cap. 14. *Quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam*, immò idem Ioannes 1. epist. cap. 5. hanc explicans promissionem, ex illa securos nos non esse iubet exauditum iri, si petamus pro fratribus, quod argumento manifesto est, ait Toletus generalem esse, & tam pro se, quàm pro alio, petenti factam. Ex hoc igitur capite nihil obstat, quo minus promissio facta Orationi, comprehendat etiam oblationem Sacrificalem, quæ est Oratio de se publica nec solum offerenti, sed aliis etiam pro quibus offertur fructuosa.

XXII. *De perseuerantia requisita ad effectum infallibilem impetrationis.*

Altera conditio Orationis difficultate non carens, est perseuerantia: Cum enim neque sit certum tempus præfixum, nec certus Orationum numerus definitus, cui impetratio infallibiliter promissa sit, difficile est explicatu; Quanta vel qualis debeat esse hæc peseuerantia circa eiusdem rei petitionem; Vnde videtur sequi ex conditione hac ferè frustari totam efficaciam huius promissionis, & fiduciam in illa, quia non obstante promissione potest Deus semper magis, ac magis differre largitionem; vnde vlterius fit, velut nunquam sit desistendum ab inchoata semel petitione, quod nimis est laboriosum, & difficile, vel si aliquando desistamus, timendum sit semper, nè ex defectu vlterioris perseuerantiæ orationis effectus irritus maneat.

XXIII. *Causa iterationis Sacrificij est Christi institutio.*

Hæc difficultas communis est vtrique generi petitionis tum verbalis, tum realis, & magis adhuc mirabilis est in reali, quæ vt diximus habet ex se omnes conditiones, sub quibus facta est talis promissio. Vnde oriri potest, vt hæc Sacrificalis oblatio indigeat iteratione, & repetitione ad eandem rem impetrandam? Certè hoc non oritur quasi ex natura intrinseca huius oblationis, quia hæc tum ratione rei oblatæ, tum ratione principalis offerentis tantam habet sufficientiam ad impetrandum, quantam Sacrificium Crucis habuit ad merendum, & satisfaciendum, sicut enim tunc Christus erat in statu merendi, & satisfaciendi, ita nunc non minus quàm antea est in statu impetrandi. Hoc sine dubio procedere non potest, nisi à libera Christi institutione secundum ordinem Diuinæ prouidentiæ, quæ est etiam causa, ait Bellarminus lib. 2. cap. 4. cur Christus assiduè interpellet pro nobis in Cœlo, cum tamen videatur vnica interpellatione potuisse omnia impetrare, & similiter cur pretium infinitum quod in Cruce acquisiuit, quo totus Mundus continuò saluari potuisset, non nisi quibusdam, & in certa mensura applicari voluerit; horum enim omnium causa est, quia sic instituit, & voluit Christus.

Sed quoniam Christus ita potuisset instituere, vt velle hanc oblationem, vt saltem ad vnam, eamdemque rem impetrandam vna sufficeret, cur maluit illam sic instituere, vt opus iteratione & repetitione esset? Non inquirimus hoc

XXIV. *Cur Christus instituit tum Orationem oblationem iterabilem pro eadem re.*

loco causam cur hoc Sacrificium institutum sit iterabile, & frequentabile in Ecclesia vsque ad consummationem Mundi; de hoc enim alibi disputauimus, sed cur semel tantum pro vna eademque re impetranda oblatum, illam non impetret infallibiliter.

Respondeo. Causam esse, quia cum oblatio quoad vim impetrandi sit similis Orationi, & quasi quædam species sub vniuersalissimo illius genere, voluit Christus, vt ipsa, quoad hoc, naturam communem Orationis sequeretur. Bene est, sed quoniam, quod Oratio ipsa indigeat iteratione, hoc ipsum non aliunde habet, nisi ex Christi institutione; nam potuisset Christus instituere, vt vnica petitio suis omnibus requisitis instructa, ad rem vnicam impetrandam satis esset, cur hoc potius modo voluit Christus illam instituere, vt quamuis omnes reliquas habeat conditiones, nisi sit perseuerans non sit infallibilis.

Respondemus ex Patrum doctrina. Christum Dominum hanc institutionem elegisse, quia iteratio petitionis, & Orationis pro eadem re impetranda semper est maius nostrum bonum, ac lucrum, quam rei ipsius, quæ vnica oratione petitur, consequutio; ratio est manifesta, quia ex vna parte nihil magis proficuum & etiam honorificum nobis est, quàm cœlestis conuersatio, quæ in frequenti oratione, & petitione potissimum posita est. Quid enim excellentius, ait B. Nilus lib. de Oratione, quàm cum Deo colloqui, & vsu eius detineri. Ex altera verò parte, impetratio respondens primæ petitioni, non negatur à Deo, sed seruatur, & hoc ipsum, quod seruatur, donec redditur, multiplicatur. Explicemus rem

XXV. *Quam vtile petere si eiusdem rei petitionem iterare.*

exemplo. Si quis Pater promittat filio suo, se illius crumenam pecunia impleturum, & ille crumenam afferat, non satis capacem, si Pater remittat filium, vt ampliorem referat crumenam, & sæpius aduentantem cum noua crumena, illam semper Pater exigat capaciorem, donec capacissimam impleat. Rogo, Pater hic satisfaceret promisso? Omnino, & quidem cumulatissimè; & cum filio, ageretur ne inutiliter? procul dubio melius illi esset iterato ad Patrem accedere, nouos loculos comparare, & interim peculiolam illam, qua prima crumenula replenda erat, apud Patrem mansisse. Ita prorsus accidit in re nostra. Quod elegantissimè tetigit S. Augustinus Serm. 5. de Verbis Domini. *Quærendo, & petendo crescis, vt capias, seruat tibi Deus quod non vult cito dare.* Vt & tu discas magna, magnè desiderare.

Ex his iam patet responsio ad rationem allatam dubitandi quamdiu in eiusdem rei petitione perseuerandum sit, nam si petitio sit de bonis simpliciter, de qui-

XXVI. *Quamdiu persistendum in petitionibus.*

bus in præsenti agimus, vt de remissione peccatorum, de dono perseuerantiæ, & similibus. Oportet iuxtà sententiam Christi Luc. 18. cui pro commentario fuerunt exempla Sanctorum. *Oportet*, inquit, *semper orare, & non deficere*, hoc est, vt sumitur ex Augustino lib. 2. Quæst. Euang. cap. 45. cum simile aliquod à Deo petimus, non debemus si consequi non fuerimus desperare, & animum abiicere, quod significat illud deficere, sed instare, pulsare, iterumque idem petere, donec saltem propter improbitatem obtineamus; atque hoc ipsum est, ait Maldonatus, quod Paulus dicit. 1. Thes. 5. *Sine intermissione orate*, non enim significat, numquam nos omnino debere ab Oratione, neque dies, neque noctes desistere; hoc enim est impossibile, sed significat non debere nos orationem desperabundos omittere, si quod petimus sæpè orantes consecuti non simus; id

quod probant, & explicant duæ illæ parabolæ adductæ à Christo, altera Luc. 11. de illo, qui petiit tres panes ab amico sibi commodari, altera Luc. 18. de Vidua, quæ per multum tempus à Iudice illo petebat, vt eam ab Aduersario vindicaret, quæ tandem perseuerans obtinuit.

Quod si quæras quanto tempore perseuerandum hoc modo est in petitionibus pertinentibus ad salutem, quas scire in hac vita non possumus, vtrum audierit illas Deus. Responsionem habemus in exemplis Sanctorum, qui quamdiu in viuis fuerunt, petierunt iugiter à Cœlesti Patre *Spiritum bonum* qualis profecto est Spiritus precum necessarius ad omnia bona cœlitus impetranda de quo Zach. 12. Nam vt notat P. Suarez. tom. 1. de Religione, ipsa perseuerantia in orando, & petendo, per orationem petenda est, & sine illa regulariter non datur, licet enim primum initium orandi sit ex auxilio non petito, sed ex gratia merè præueniente datum, nihilominus per vnam orationem potest impetrari auxilium ad aliam, & per secundam ad tertiam, & sic deinceps; atque hoc modo potest per Orationem impetrari ipsamet perseuerantia in orando. Huc etiam spectat iugis illa petitio Sanctorum circa donum perseuerantiæ, quod donum expedit, semper petere, & ita petendo non deficere; nam quod etiam notauit ibidem P. Suarez, licet effectus perseuerandi in gratia non compleatur vsque ad terminum vitæ, nihilominus multis forte datur speciale perseuerantiæ donum multo tempore ante mortem, siue illud vocetur confirmatio in gratia, siue non, & ideo semper petendum est donum perseuerantiæ, quia forte obtinebitur prius quam in effectu perseueratum sit, & leuis perseuerantia in petendo, poterit interdum obtinere diutinam, & suo modo perpetuam perseuerantiam. Vnde quia sciri non potest, an tale donum impetratum sit nec ne, nec est vlla ratio sufficiens ad existimandum impetrari non posse, ideo semper postulandum est.

XXVII. *Pro dono Orationis.*

XXVIII. *Pro dono perseuerantiæ.*

Sed quoniam eadem est ratio quoad hoc de oratione, & oblatione, immò potior de oblatione; nam quidquid impetrare potest oratio ex opere operantis, totum id potest oblatio ex opere operato; quæri ad extremum potest, an licet ad effectum, vt ita dicam totalem infallibiliter impetrandum, plures plerumque necessariæ sint oblationes, an saltem singulis oblationibus aliquis partialis effectus respondeat infallibiliter, ita vt quælibet oblatio semper sit efficax ad aliquid impetrandum pertinens ad id, quod principaliter postulatur. Exemplum esse potest in oblationibus, quæ fiunt ad impetrandum peccatoribus donum Pœnitentiæ, experimento enim ipso videmus huiusmodi peccatores non recipere ob quamlibet oblationem donum pœnitentiæ. Quæritur ergo an saltem per primam, aut alteram, & per quamlibet impetratur aliquid vtile ad ipsum donũ Pœnitentiæ consequendum. Qua in re libet afferre quid sentiat Bellarminus, qui mihi sane instar multorum est. Ille igitur, lib. 2. de Missa cap. 5. hæc habet: Missæ Sacrificium cum pro peccatoribus offertur, *infallibiliter* impetrat nouum, ac certum auxilium Diuinum, quo peccatores ad pœnitentiam perducuntur, sed illud auxilium variè operatur pro varia hominum dispositione; nam si is, pro quo Missa offertur, dispositus est ad contritionem, efficietur in illo vi noui auxilij contritio, quæ propriè donum pœnitentiæ est, & hoc est, quod dicunt Concilium Tridentinum, & S. Thomas. Si verò non sit dispositus efficietur in illo homine noua quædam dispositio, sed quæ suo fine frustabitur, si ille ex

XXIX. *An cuilibet oblationi respondeat aliquis saltem partialis effectus.*

XXX. *Per quodlibet Sacrificium impetratur semper aliquid spectans ad id, quod petitur.*

arbitrij libertate vocationem Dei reijciat. Itaque non est mirum, si peccatores non semper conuertuntur, pro quibus Missæ Sacrificium offertur, cum tamen sine dubio semper *iuuentur*, Hæc Cardinalis Bellarminus, ex cuius verbis planè colligimus, vnumquodque Sacrificium fructum habere infallibilem, siue ex toto, siue ex parte eo modo, & mensura, quam exigit ordo Diuinæ Prouidentiæ.

XXXI. *Explicatur effectus partialis.* Quam sententiam tanquam certam sequtus est Cardinalis de Lugo disput. 19. Sect. 9. de Sacram. vbi explicat modum, quo per quamlibet Missam donum pœnitentiæ concilietur, per ordinem videlicet ad effectum primarium Sacrificij, quem alibi diximus esse Dei propitiationem, & placationem, quia, inquit, licet vnica oblatio non reddat interdum omnino placatum Deum, reddit tamen illum saltem ex parte placatum; atque hæc partialis placatio explicari potest, vel dicendo positum iam esse titulum sufficientem, vt si offeratur adhuc iterum, aut ter Sacrificium, placetur omnino Deus, vel dicendo Deum esse ex parte placatum, quatenus si prius ob iustam indignationem negabat auxilia intensa, vt octo, & vt quatuor; postea oblato semel Sacrificio neget quidem auxilia vt octo, non tamen vt quatuor; nam licet reatus directus pœnæ, non remittatur etiam ex parte, nondum remissa culpa, potest tamen Deus alicuius precibus, & à fortiori, intuitu Sacrificij, retinendo Ius ad totam pœnam exigendam, non vti Iure, quod ex peccato habebat, ad negandum aliquod beneficium peccatori; qua ratione possumus congruentius explicare proprium effectum huius Sacrificij, vt propitiatorium est in ordine ad peccata mortalia tollenda.

Ex quibus omnibus patet, priuilegia perfectæ Orationis, esse plane communia oblationi, atque adeo ex hoc etiam capite Sacrificium habere omnes fructus gratiæ, & salutis, æquè certos, & infallibiles.



QVÆSTIO SEXTA.

An bona temporalia fructus sint huius Montis certi & infallibiles.

I. *Temporalia sunt etiam fructus Sancti Sacrificij.*
II. *Ex figuris.*
III. *Ex Apostolorum traditione.*
IV. *A maiori ad minus.*
V. *Non est hoc indecens tanto Sacrificio.*
VI. *Proponitur controuersia cum ratione dubitandi.*
VII. *Nostrâ Positio.*
VIII. *Non placet ratio P. Suarez.*
IX. *Nostra probatio.*

X.

X. *Expressius Pactum requiritur in Sacrificio, quàm in Sacramento.*
XI. *Christus nunquam se obligauit temporalibus ex pacto.*
XII. *Discrimen inter promissiones Oris Christi, & oris Prophetarum.*
XIII. *Regnum Cælorum non nominatum, ne dum promissum in Veteri Testamento.*
XIV. *Temporalia non deducuntur in pactum.*
XV. *Factum scribæ volentis Christum sequi spe lucri temporalis.*
XVI. *Christi protestatio circa inopiam temporalium.*
XVII. *An promissio facta Orationi includat temporalia.*
XVIII. *Quidquid est terrenum nihil est.*
XIX. *Plena doctrina fidei sæpe ex pluribus scripturæ locis colligenda.*
XX. *An præter promissionem sit aliud Principium infallibilitatis in Sacrificio.*
XXI. *In prima institutione Sacrificij non fuit in Christo voluntas absoluta de temporalibus impetrandis.*
XXII. *Neque in actuali oblatione cum Ministro illam nunc habet necessario.*
XXIII. *Sæpe Deus dum negat exaudit.*
XXIV. *Bersabea exaudita quia non audita.*
XXV. *Israelitæ puniti quia auditi.*
XXVI. *An effectus temporales dicendi sint ex opere operato.*



CERTVM est Sanctum Missæ Sacrificium valere ad bona, & beneficia, etiam temporalia impetranda; id quod fit manifestum tripliciter. Primo, ex Sacrificiis antiquis huius nostri figuratiuis, inter quæ aliqua erant quorumcumque beneficiorum impetratoria, vt patet Leuit. 2. & alibi passim. Constat autem ex Tridentino Sess. 22. cap. 1. Omnes differentias hostiarum veterum, vna Eucharistiæ oblatione contineri. I. *Temporalia sunt etiam fructus sancti Sacrificij.* II. *Ex figuris.*

Deinde ex vsu Ecclesiæ, quæ teste Tridentino Sess. 22. cap. 2. iuxtà Apostolorum traditionem non solum pro fidelium peccatis, pœnis, & satisfactionibus Sacrifium offert, sed etiam pro aliis necessitatibus, quò sine dubio spectat illud Chrysostomi Homil. 37. in Ioan. Pro terræ, Marisque, & Vniuersi Orbis *fructibus* Sacrificantes, imprudenter autem, & inutiliter offertur Sacrificium pro re obtinenda, quam nullo modo præstare potest. III. *Ex Apostolorum traditione.*

Tertio ratione, qua vtitur Bellarminus lib. 2. cap. 3. quia si oblatio Eucharistiæ pro peccatis dimittendis valet: certè etiam pro aliis necessitatibus, quæ ex peccato ortæ sunt valere debet. Et si Deus hoc Sacrificio placatus in gratiam cum inimicis suis redit, quantò facilius ob idem Sacrificium adducetur, vt amicis, & reconciliatis bona temporalia tribuat, si id vtile fuerit. IV. *A maiori ad minus.*

Neque obstat, quod cum Christus, qui est res infinita in hoc Sacrificio offeratur, indecens videtur illud ordinare ad res caducas, & temporales obtinendas, nam vt rectè P. Suarez disput. 79. Sect. 7. nullo modo id est indecens, tum quia non primario, sed secundario ad id ordinatur, cum primario sit propter cultum Dei, tum etiam quia ordinatur vt causa ad effectum suum; sic autem V. *Non est hoc indecens tanto Sacrificio.*

res nobilior poteſt ad minus nobilem ordinari: cauſa namque eſſe non debet effectu ignobilior, tum denique, quia hæc bona non propter ſe, ſed quatenus ad pietatem vtilia ſunt in hoc Sacrificio expetuntur.

VI. *Proponitur controuerſia cum ratione dubitandi.* Negari ergo non poteſt Miſſæ Sacrificium valere ad bona etiam temporalia impetranda, ſed difficultas eſt an huiuſmodi effectus certi quoque ſint, & infallibiles ea ratione, qua de alterius generis fructibus diſſeruimus; & ratio dubitandi eſſe poteſt, quia omnes effectus ex opere operato ſunt certi, & infallibiles, Conſtat autem hos effectus eſſe ex opere operato; ergo ipſi quoque ſunt certi, & infallibiles. In contrarium eſſe videtur communis Doctorum, & Patrum ſententia, qui non eodem modo de effectibus pertinentibus ad bonum ſimpliciter ac de aliis ad bonum ſimpliciter non pertinentibus Philoſophantur. Igitur pro controuerſia hac definienda, hanc ponimus aſſertionem.

VII. *Noſtra Poſitio.* *Fructus temporales ex hoc Monte propitiatorio prouenientes non ſunt certi, & infallibiles.*

Concluſio communis eſt, illam tamen ieiunè ſatis tractant Authores, & quidem P. Suarez diſp. 79. Sect. 7. non aliam affert rationem niſi quia hæc bona

VIII. *Non placet ratio P. Suarez.* per ſe conſiderata non ſunt, inquit, talia quæ digna ſint infallibiliter obtineri à Deo, quæ ratio ſi nihil addatur, non videtur efficax; ſi enim hæc bona talia ſunt, vt ad illa obtinenda non indecenter Sacrificium ordinetur, & offeratur Deo, cur ſunt indigna, quæ infallibiliter obtineantur à Deo? Et ſanè P. Suarez non poteſt principium aliquod infallibilis impetrationis agnoſcere in dignitate obiecti impetrabilis, nam ſine dubio minus digna eſt remiſſio pœnæ quàm culpæ; & tamen per ipſum remiſſio pœnæ tantum eſt effectus infallibilis huius Sacrificij.

IX. *Noſtra Probatio.* Fundamentum igitur noſtrum hoc modo proponimus. Illi tantum ſunt fructus certi, & infallibiles, qui fundantur in promiſſione, & pacto Diuino, ſed fructus temporales ex hoc monte Propitiatorio prouenientes non fundantur in promiſſione, & pacto Diuino; ergo fructus temporales ex hoc Monte Propitiatorio prouenientes non ſunt certi, & infallibiles.

X. *Expreſſius Pactum requiritur in Sacrificio quam in Sacramento.* Maior propoſitio eſt certa ex materia de Sacramentis, & Aduerſarij illam admittunt, immo P. Suarez diſp. 79. Sect. 1. id vlterius, & quidem ſubtiliter inſinuat, ad infallibilitatem effectus, expreſſiorem promiſſionem, & pactum requiri in Sacrificio, quàm in Sacramento; nam Sacramentum, inquit, per ſe primo eſt ad ſanctificationem conferendam, & ſignificandam, & ideo tale Sacramentum intrinſecè includit in ſua inſtitutione, vt ſit ſignum perfectæ Sanctificationis, quæ fit per gratiam ab ipſomet collatam, in quo continetur quidem promiſſio gratiæ, tamen illa intrinſecè includitur in *Inſtitutione* talis Sacramenti, vt tale ſignum eſt: Sacrificium verò per ſe primo inſtituitur in cultum Dei quoad ſignificationem moralem, & hoc Sacrificium inſtitutum eſt in repræſentationem Paſſionis Chriſti quoad ſignificationem myſticam, & hæc ſunt, quæ per ſe pertinent ad inſtitutionem talis Sacrificij vt ſic. Quod autem vltra hoc habeat virtutem conferendi aliquem effectum ex opere operato, & infallibiliter, & quidem decenter annexum tali Sacrificio, non eſt tamen ita per ſe, & intrinſecè incluſum in ratione, vel ſignificatione Sacrificij vt manifeſtum eſt in Sacrificio Cru-

cis, quod ex defectu voluntatis Christi sic ordinantis, & promittentis nullum habet effectum ex opere operato quoad efficaciam. Vera igitur est illa maior propositio, quod scilicet illi tantum fructus huius Sacrificij sunt certi, & infallibiles qui fundantur in promissione & pacto Diuino.

In Minori tota vis est. Illam autem probamus ex hoc principio vniuersalissimo, quia in omnibus pactis, quæ Christus per se ipse iniuit cum hominibus siue in communi, siue in particulari nunquam promittere voluit aliquod temporale, neque vnquam huiusmodi promissiones suis voluit subiacere contractibus. Sumitur hoc principium primo ex principali discrimine interfœdera, & pacta, quæ iniuit Deus cum Genere humano per Os Prophetarum, & illa quæ postmodum iniuit, cum nouissimè locutus est nobis in filio, discrimen principale illud est, quod per Os Prophetarum paciscebatur Deus cum populo suo sub promissionibus terrenis, sed aperiens os suum in filio, nunquam pacisci voluit nisi sub promissionibus Cœlestibus. Deus, inquit Sanctus Augustinus in Psal. 73. vtriusque Testamenti esse voluit authorem, vt & terrena promitteret in Veteri, & cœlestia in Nouo & lib. 18. de Ciuit. cap. 11. Vetus, inquit, dicitur testamentum, quia promissiones terrenas habet, & per Iesum Christum futurum fuerat testamentum nouum, quo Regnum Cœlorum promitteretur. Notat præterea idem Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. vlt. Non solum in Veteri Testamento Regnum Cœlorum non esse promissum, quod etiam S. Hieronymus probat aduersus Pelagianos lib. 1. sed ne nominatum quidem expressè inueniri in illo. Nimirum ait Augustinus *Ori eius nominandum seruabatur.* Ita planè, *& aperiens os suum*, ait Euangelista Matth. 5. Aperuit nunc os suum, qui prius aperuerat ora Prophetarum, ait Bernardus Serm. 1. in fest. Omnium Sanctorum: Et Regnum Cœlorum, quod ori eius nominandum per tot annorum millia seruatum fuit, promisit, dicens: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.*

XI. *Christus nunquam se obligauit temporalibus ex pacto.*

XII. *Discrimen inter promissiones Oris Christi, & Oris Prophetarum.*

XIII. *Regnum Cœlorum non nominatum ne dum promissum in Veteri Testamento.*

Obseruauit idem discrimen S. Thomas super 1. Corinth. cap. 10. lect. 2. vbi ait: temporalia non promittuntur tempore gratiæ, sicut tempore legis, vnde *nec in pactum deducuntur, sed adiiciuntur*; at verò antiquitus erant in pactum; ideo Isai. 1. dicitur: *Si audieritis me bona terræ comedetis*, Notabilis planè est hæc tam aperta doctrina S. Thomæ ad rem præsentem: *Temporalia tempore gratiæ non deducuntur in pactum*

XIV. *Temporalia nō deducuntur in pactum.*

Et est sane mirabile, quàm disertis verbis, aut factis Christus id explicare sollicitus fuerit, quoties aliqua suspicio esse poterat, ne temporale aliquod à suis Discipulis peteretur in pactum. Insignis meo iudicio est locus ille Matth. 8. vbi narratur factum cuiusdam scribæ, qui post visa multa præclarè, & mirificè gesta à Christo accedens obtulit se Christo in discipulum, & ait illi: *Magister sequar te quocumque ieris.* Quærunt diligenter Patres, qua nam animi intentione hic scriba sui indefessi famulatus obsequium, vt loquitur S. Ambrosius spoponderit Christo; & plerique in eam abeunt sententiam, ipsum quasi pactum intendisse, in quo

XV. *Factum scribæ volentis Christum sequi spe lucri tēporalis.*

tacitè promissio mercedis temporalis includeretur. Sanctus Hieronymus Matth. 8. Signorum videns magnitudinem sequi voluit Saluatorem, vt lucra ex operum miraculis quæreret. Sanctus Chrysostomus: Quæstui ait Seruiens scriba cum propter multitudinem signorum multos vndique affluere videret, putauit Dominum ex talibus miraculis ditari, ac ideo sequi cupiebat. Euthymius sperabat quod si in morem discipuli, illum sequeretur, copiosas Collecturus esset diuitias. Sed quid Christus ad illam oblationem, *Et dixit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & Volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.*

XVI. *Christi Protestatio circa inopiam temporalium.* Hæc responsio, ait Chrysostomus, non ad sonum verborum scribæ, sed ad sensum interrogantis accommodata est. Quid, inquit, pecunias credis te collecturum si me sequeris, nonne vides, nec diuersorium mihi esse, nec tantùm quidem, quantum auibus, in eundem sensum interpretatur Hieronymus. Quid me, inquit propter diuitias, & sæculi lucra cupis sequi, cum tantæ sim paupertatis, vt ne hospitiolum quidem habeam, & non meo vtar tecto? Nimirum addit Euthymius: Vulpibus, & Volucribus sum pauperior, neque enim receptaculum habeo, nec quantum sufficiat ad caput reclinandum. Itaque nihil temporale habeo, quod promittam petentibus, & paciscentibus famulatum.

Sed colligamus informa probationem illius minoris nostræ propositionis, quæ erat fructus temporalis huius Sacrificij non fundari in promissione, & pacto Diuino. Nulla extat promissio facta Sacrificio, neque vllum in eius institutione inclusum est pactum de fructibus temporalibus; ergo tales fructus temporales non fundantur in promissione & pacto. Consequentia est per se manifesta. Antecedens probatum iam est ex doctrina tradita generali ex verbis, præsertim Sancti Thomæ. Temporalia tempore gratiæ non promittuntur, vnde nec in pactum deducuntur. Maneat igitur nostra Conclusio. Fructus temporales prouenientes ex hoc monte propitiatorio, non esse certos, & infallibiles.

Sed contra hoc argui potest hoc modo. Illa promissio intelligitur facta oblationi, quæ facta est Orationi, sed Orationi facta est promissio vniuersalis comprehendens omnis generis fructus, tum spirituales, tum temporales; ergo eadem generalis promissio facta est oblationi.

XVII. *An promissio facta Orationi includat temporalia.*

Maior admittitur à nobis. Minor probatur ex verbis promissionis, Ioan. 6. *Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Si quid, ecce verbum vniuersale, nullius generis bonum excludens, atque adeo non solum spiritualia, sed etiam temporalia comprehendens.

Sed respondemus facile ex doctrina tradita negando minorem, & ad probationem ductam ex verbis promissionis, dicimus ex illis confirmationem potius peti à Patribus veræ sententiæ. Nam S. Thomas, Lect. 6. in cap. 16. Ioan. hanc ponit primam conditionem bonæ Orationis, vt scilicet petantur bona spiritualia, illamque declarat ex hac ipsa voce, *si quid.* Quod enim, inquit, est *penitus terrenum*, etsi in se sit aliquid, comparatum tamen ad spiritualia, *nihil* est. Quæ doctrina sine dubio est S. Augustini, Tract. 102. in Ioan. Vbi cum docuisset quid esset petendum subdit: Quidquid autem aliud petitur nihil pe-

XVIII. *Quidquid est terrenum nihil est.*

titur, non quia nulla omnino res eſt, ſed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiſcitur, *nihil* eſt; neque enim prorſus nulla res eſt homo, de quo ait Apoſt. Galat. 6. *Qui ſe putat aliquid eſſe cum nihil ſit.* In comparatione quippe *ſpiritalis hominis*, qui ſcit, gratia Dei ſe eſſe, quod eſt, quiſquis vana præſumit *nihil* eſt; etiam ſic ergo rectè intelligi poteſt, vt hoc quod ait. *Si quid, non quodlibet intelligatur ſed aliquid, quod non in beata vita comparatione ſit nihil.*

At dices primo. Dominus abſolutè ait, & ſine vlla prorſus reſtrictione, aut comparatione: *Si quid petieritis.* Vbi ergo in verbis Domini, excluſio eſt temporalium, quantumuis comparatione æternorum illa ſint nihil; neque enim temporalia ex ſua natura hoc habent, vt illorum impetratio fundari non poſſit in Diuina promiſſione, cum conſtet promiſſiones Diuinas veteris Teſtamenti omnes fuiſſe rerum temporalium, vt ſuperius dictum eſt.

Reſpondeo ex doctrina Toleti annot. 31. in cap. 16. Ioan. morem eſſe Sacræ Scripturæ, vt non omnes limitationes, & reſtrictiones, ſi quæ ſunt, vno in loco ſemper accumulet, ſed in diſtinctis, & diuerſis locis, variis occaſionibus doceat, vt *ſtudium adhibeamus* in verbo Dei, & ſparſa ſedulò colligamus. Hac ratione ſalus æterna, quæ in Sacra Scriptura non promittitur niſi homini timenti Deum, & ſimul ſperanti, & diligenti, & pœnitenti, &c. Vno in loco ſeorſim promittitur timenti Deum, in alio loco credenti, in alio ſperanti, in alio diligenti, non quod ſingula ſejuncta ſufficiant, ſed ſimul congreganda ſunt. Et hoc (grauiter ſubdit Toletus) hoc fefellit Hæreticos noſtros, fide ſola iuſtificari arbitrantes, quia fidei iuſtificatio tribuatur, nec attendunt miſeri, timori, ſpei, pœnitentiæ, & aliis virtutibus idem promitti, vt apertè ex Scriptura conſtat; non tamen propterea ſingulas has per ſe iuſtificare dicimus. Petitio igitur, vt eius impetratio ſit infallibilis, habere debet quædam, quæ non in omni loco Scripturæ ſunt explicata. Quare non eſt neceſſe, vt in hoc peculiari loco Ioan. 16. præſens limitatio declaretur, cum conſtet aliunde, & præſertim ex differentia generali inter promiſſiones veteris, & noui Teſtamenti; quamquam in hoc quoque Ioannis loco inſinuetur ſatis; dicitur enim, ſi quid petieritis Patrem in *nomine meo*, quod eſt nomen *Saluatoris*, in quo nomine, inquit S. Thomas, petit, qui pertinentia *ad ſalutem* petit. XIX. *Plena doctrina fidei ſæpè ex pluribus Scripturæ locis colligenda.*

Dices ſecundo. Præter hoc principium infallibilitatis, quod eſt promiſſio, eſt in Sacrificio aliud ſingulare principium, in quo eadem infallibilitas fundari poteſt. Nam impetratio fructuum etiam temporalium prouenientium ex hoc Sacrificio nititur Chriſto, vt principali offerenti, & conſequenter vt impetranti; neque enim pendet ex conditione Miniſtri: ſed impoſſibile eſt Chriſtum non exaudiri; ergo impoſſibile eſt hoc Sacrificium non impetrare; ergo omnes fructus huius Sacrificij etiam temporales certi ſunt, & infallibiles. XX. *An præter promiſſionem ſit aliud principium infallibilitatis in Sacrificio.*

Reſpondeo, applicando ad hoc argumentum doctrinam communem, quam rectè affert P. Suarez diſput. 79. Sect. 2. Orationem videlicet Chriſti eſſe duplicem, vnam fundatam in voluntate abſoluta, & efficaci, & hanc infallibiliter impetrare, aliam verò fundatam in voluntate inefficaci, & quaſi antecedente, & hanc non ſemper impetrare, quia impetratio accommodatur voluntati. Rurſum Chriſti perſona, & voluntas in hoc Sacrificio dupliciter poteſt conſiderari.

Primo solum, vt repræsentata in persona Ministri, ex vi primæ Institutionis. Secundo, vt actu offerens non solum per Ministrum, sed cum Ministro petens

XXI. *In prima Institutione Sacrificij non fuit in Christo voluntas absoluta de temporalibus impetrandis.*

per actum de nouo, quod petit Minister. Iam verò impetratio, de qua communiter hoc loco agitur; per se loquendo solum fundatur in persona Christi priori modo considerata, hoc est vt repræsentata in Ministro ex vi primæ Institutionis, & vt sic non includit absolutam voluntatem ipsius Christi de effectu impetrando, quia illam non necessariè habuit, quando Sacramentum instituit, neque in particulari, vt per se constat, neque in generali; non enim voluit absoluta voluntate, vt omnia quæ per hoc Sacrificium postularentur, omnino concederentur; talis enim voluntas generalis fuisset æquiualens generali promissioni, quæ sine dubio non intercessit, vt constat; tum ex regula vniuersali Noui, & æterni Testamenti, de qua diximus, tum ex speciali declaratione Institutionis Sacrificij in remissionem peccatorum. Quare ex vi Institutionis præter efficaciam effectus, & fructus pertinentis ad salutem, solum voluit Christus hoc Sacrificium tam esse purum, & perfectum, vt de se valeat ad Diuinam voluntatem inclinandam, vt postulata concedat. Quod si loquamur de Christo Domino, vt non so-

XXII. *Neque in actuali oblatione cum Ministro illam nunc habet necessario.*

lum offert per Ministrum ex vi primæ Institutionis, sed etiam vt nunc ipse etiam de nouo offert cum Ministro, neque vt sic eius impetratio est infallibilis, quia non est necesse vt semper efficaciter intendat obtinere effectum illum, quem Sacerdos, vel alius offerens intendit; nulla enim lege se obligauit Christus, vel promissione ad efficaciter petendum quidquid priuatus offerens petit, aut desiderat; neque hoc sequitur ex natura talis Sacrificij, vt Aduersarij fatentur; neque semper est expediens illi, pro quo fit petitio; vnde dixit Augustinus Tract. 73. in Ioan. aliquando Deum exaudire petitiones nostras, dum negat, & renuit

XXIII. *Sæpè Deus dum negat exaudit.*

facere quod petimus; cum in nomine eius illud petimus, quod est nomen Saluatoris, quia ipse Saluator est, non solum quando facit, quod petimus, verum etiam quando non facit, quoniam quod vidit peti contra salutem, non faciendo se exhibet Saluatorem. Nouit enim Medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus, & ideo contraria poscentis non facit voluntatem, vt faciat sanitatem. Quando ergo petimus ea, quæ putamus vtilia nobis futura, & reuera non sunt, sed potius noxia, tunc concedere petita, potius est punire, & nostræ intentioni repugnare, nam nos intendimus quod vtile nobis est, ideoque dum negat reuera exaudit, non quidem voces, sed animum, & intentionem,

XXIV. *Bersabea exaudita quia non audita.*

quod præcipuum est. Exemplum affert Toletus annot. 31. ex 3. Reg. 2. Accessit Bersabeæ ad Salomonem petens Abisag Sunamitidem vxorem dari Adoniæ, arbitrans ea ratione Regnum Salomonis magis confirmari, & Sapiens Salomon id potius in perniciem Regni sui cognoscens, negauit, dicens: *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei, & regnum; ipse est enim frater meus maior me:* ac si diceret: Mater hoc tu petis, vt in me Regnum confirmetur; at si fiat quod petis, potius est petere Regnum pro illo, hoc autem tu maximè auersaris. Matrem igitur exaudiuit Salomon, negando petitum, & petitum tale negando non fecit contra id, quod dixerat: *Pete Mater mea, neque enim fas est,*

XXV. *Israëlitæ puniti quia audisi.*

vt auertam faciem tuam. Ita nobiscum Deus facit, concludit Toletus, & tunc exaudisse nos censendus est. Contra vero puniti dicendi sunt Israëlitæ quando Deus concessit illis carnes, quas petebant, quia adhuc erant carnes in ore ip-

ſorum, & Ira Dei aſcendit ſuper eos. Vnde optimè ad praxim monet Auguſtinus Tractatu illo 73. Quando nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potius Deum, vt delectent bona, quàm vt concedantur mala. An non videmus Iſraëlitas malo ſuo impetraſſe, quod culpabili concupiſcentia petierunt; faſtidiebant quippe quod habebant, & quod non habebant imprudenter petebant, quaſi non melius peterent, non vt cibus, qui deerat indecenti deſiderio præſtaretur, ſed vt ille, qui aderat (nimirum de Cœlo) ſanato faſtidio ſumeretur.

XXVI. *An effectus tēporales dicendi ſint ex opere operato.*

Reſtat breuiter reſpondere ad rationem dubitandi poſitam in principio huius quæſtionis, in qua dicebatur fructus temporales prouenientes ex hoc Sacrificio non eſſe fructus ex opere operantis, ſed ex opere operato. Fructus autem ex opere operato eſſe infallibiles. Dicendum igitur eſt rectè ſequi ex eo quod huiuſmodi fructus non ſunt ex opere operantis, eſſe aliquo modo ex opere operato; quia ad effectum ex opere operato aliquo modo, ſatis eſt, ſi procedat ex aliquo externo opere independenter à bonitate Miniſtri operantis. Cæterum quia Theologorum vſus obtinuit, vt effectus ex opere operato propriè, & in rigore dicatur ille, qui ita procedit ex opere independenter à conditione Miniſtri, vt adjunctam præterea habeat promiſſionem, & pactum. Hinc ex defectu talis promiſſionis, & pacti, fructus, & effectus temporales huius Sacrificij, non dicuntur abſolutè ex opere operato, ſed per modum ſimplicis impetrationis, quod docuit expreſſe Valentia Tom. 4. diſput. 6. quæſt. 11. punc. 1. quæſt. 4. §. 19. vbi addit; ſi quis tales fructus ex opere operato dicere velit, ex eo quod non ex Miniſtri conditione dependeat, non eſſe de vocabulo magnopere pugnandum, modo conſtet hoc intereſſe inter virtutem, quam habet Sacrificium ex ſe, & ex vi operis ad effectus gratiæ & remiſſionis peccatorum & inter virtutem quam pariter ex ſe & ex vi etiam operis habet ad effectus temporales, quod illam certa ex lege, & promiſſione Diuina habet, hanc non item, ſed ex congruitate quadam citrà omnem obligationem, & legem.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum fructus huius Montis ex opere operato diſtribuantur inæqualiter iuxtà quantitatem diſpoſitionis illos participantium.

I. *Proponitur ſtatus quæſtionis.*
II. *Opinio Aduerſariorum.*
III. *Noſtra Sententia.*
IV. *Probatur Authoritate.*

I. *Proponitur status quæstionis.*



SVPPONIMVS hoc loco Sacrificium hoc habere effectum ex opere operato non solum in his omnibus, qui ipsum offerunt, sed etiam in iis, pro quibus offertur, non ponentibus obicem; Quod autem quærimus, illud est. An Sacrificium, quod ego quidem singulis diebus offero pro hac Sancta Probationis Domo Neapolitana, vbi hæc scribo, & in qua degunt nunc Tyrones supra quadraginta. An inquam, Sacrificium quod offero cum intentione iuuandi omnes, & singulos quantum possum, æqualiter singulis prosit, nulla à Deo habita ratione inæqualis dispositionis ex parte illorum: An potius eius effectus, ac fructus participentur ab illis iuxtà mensuram deuotionis, ita vt cæteris paribus, effectus sit maior in illo, qui per maiorem deuotionem est melius dispositus.

P. Suarez

P. Suarez disp. 79. Sect. 10. loquendo de remissione pœnæ, quam solam censet ipse effectum esse huius Sacrificij ex opere operato, docet maiorem quantitatem huius effectus nullo modo pendere ex maiori dispositione eius, pro quo Sacrificium offertur, sed si qua fiat variatio, & inæqualitas, illam totam oriri ex intentione Sacerdotis inæqualiter applicantis, citatque, quod mihi mirabile visum fuit, pro sua opinione Caietanum tom. 3. Opusc. tract. 3. quæst. 2. Cum tamen Caietanus citetur communiter pro contraria Sententia, & quidem meritò, vt manifestè patebit inferius. Citat etiam pro se Durandum, & S. Thomam in 2. rectius in 4. dist. 45. At quod notauit etiam P. Vasquez, neque S. Thomas, neque Durandus prædictam sententiam sequuti sunt de effectu Sacrificij disputantes, sed de effectu Suffragiorum vnius pro alio, quorum diuersa omnino ratio est; itaque nullum pro se ex citatis habet authorem. II. *Opinio Aduersariorum.*

Contraria sententia, communis, & vera, docet effectus huius Sacrificij ex opere operato determinari ex deuotione eorum quibus per intentionem Sacerdotis applicantur; ita vt quò maior fuerit illorum dispositio, & deuotio, maior cæteris paribus respondeat effectus; quod vniuersaliter intelligimus de omnibus omnino effectibus huius Sacrificij ex opere operato, qui in sententia S. Thomæ, & nostra latissimè patent; atque adeo de hoc peculiari effectu remissionis pœnæ, de quo peculiariter disputant Aduersarij. III. *Nostra Sententia.*

Hæc sententia, vtpote magni ponderis, & momenti, tum ad explicandum valorem huius Sacrificij, tum ad eius fructus vberrimè à nobis percipiendos, firmanda solidè est, tum authoritate, tum rationibus. Et quidem quod ad authoritatem pertinet. Probamus illam primo ex S. Thoma 3. par. quæst. 79. art. 5. cuius titulus est. Vtrum per hoc Sacramentum, quatenus Sacrificium est, *tota pœna* peccati remittatur. Præsupponit vnum Titulus hic, tanquam definitum; alterum, tanquam definiendum proponit. Præsupponit quidem inter effectus proprios huius Sacrificij esse, pœnæ pro peccato debitæ remissionem, in quo consentimus omnes; proponit verò, an hæc pœna per Sacrificium remittatur totaliter, an partialiter, & si non totaliter semper, iuxtà quam mensuram remittitur partialiter? hic est sensus illius Tituli, ad quem sic respondet in corpore Articuli. *Quamuis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.* Et mox in responsione ad tertium. *Hoc*, inquit, *quod tollatur pars pœnæ, & non tota pœna, non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu deuotionis humanæ.* Præterea articulo septimo, vbi quærit. Vtrum hoc Sacramentum prosit aliis quàm sumentibus, cum respondisset, illud tanquam Sacrificium prodesse etiam aliis; hæc addit in responsione ad secundum. *Illis tamen prodest plus, vel minus secundum modum deuotionis eorum.* IV. *Probatur authoritate.* V. *Authoritas luculenta S. Thomæ.*

Hæc authoritas S. Thomæ est ita expressa, & clara, vt mirandum non sit, si Aduersarij illam penè taciti prætergrediuntur. P. Suarez citans articulum illum quintum S. Doctoris, vellet totum locum intelligere de offerentibus tantum, non verò de illis, pro quibus offertur. At qua ratione excludi ab illa doctrina possunt illi, pro quibus oblatio offertur, cum sanctus Thomas dicat. *Fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem* VI. *Reijcitur interpretatio Aduersariorum.*

ſuæ deuotionis. Quorum verborum ſenſus planiſſimus hic eſt. *Quibus hæc oblatio fit ſatisfactoria, iis ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis fit.* Atqui, ego ſubſumo, non ſolum offerentibus hæc oblatio fit ſatisfactoria, ſed etiam iis, pro quibus ea offertur; ergo non ſolum offerentibus, ſed etiam iis, pro quibus offertur fit ſatisfactoria ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis; quem ſenſum planè confirmant alia vniuerſaliſſima verba eiuſdem S. Doctoris ex articulo 5. & 7.

Vidit P. Suarez nimis violenter excludi ab huiuſmodi teſtimoniis eos, pro quibus Sacrificium offertur, ideo addit talem diſpoſitionem, de qua loquitur S. Thomas, in illis requiri, *ſolum quatenus neceſſaria eſſe poteſt ad remouendum impedimentum.*

Sed quis non videt quàm gratis hoc dictum ſit, & quam alienè à ſenſu quæſtionis S. Doctoris? Agitur enim ibi de quantitate pœnæ remiſſibilis per hoc Sacrificium, & quæritur, vtrum tota pœna remittatur. Profectò in hac quæſtione præſupponitur nullum eſſe impedimentum in ſuſcepturis talem effectum remiſſionis pœnæ, & de quantitate illius remiſſionis tantùm diſputatur, quam S. Thomas definit eſſe commenſuratam quantitati deuotionis. Non ergo *remotionem impedimenti*, quæ pertinet ad capacitatem recipientis ſimpliciter, appellare S. Doctor potuit *quantitatem deuotionis.* Adde quod P. Suarez ad capacitatem huius effectus duo tantum requirit, nimirum Characterem baptiſmalem, & ſtatum gratiæ habitualis, quæ duo conſiſtunt ſuo modo in indiuiſibili, atque adeo tota impedimenti remotio ad hunc effectum, conſiſtit etiam in indiuiſibili, nam vel eſt quis baptizatus, & in gratia, & ſic nullum habet impedimentum ad hunc effectum ſimpliciter, vel non eſt baptizatus, aut non eſt in gratia, & ſic impedimentum habet ad effectum ſimpliciter. Quomodo ergo accommodari poſſunt verba S. Thomæ dicentis oblationem fieri ſatisfactoriam ſecundum quantitatem deuotionis, vt intelligantur de diſpoſitione pertinente ad capacitatem ſimpliciter, quæ diſpoſitio nullam habet quantitatem, ſed conſiſtit eo modo, quo diximus in indiuiſibili? Maneat ergo tanquam manifeſtum, S. Thomam, ſicut loquitur de quantitate huius effectus, ita loqui de quantitate diſpoſitionis ad ipſum, quæ duo complexus eſt articulo illo ſeptimo. *Illis tamen prodeſt plus, vel minus ſecundum modum deuotionis eorum.*

VII. *Authoritas ſacri Canonis Interprete Caietano.*

Secundum locum ab authoritate ſumimus ex verbis Sacri Canonis, ex illis præcipuè: *Quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio.* Quæ verba tractans Caietanus in Tractatu illo tertio Opuſc. citato à P. Suarez, hæc habet: Quia in applicatione huius Sacrificij ſunt duo, ſcilicet applicatio ipſa ad hunc, vel illum, & effectus particularis in hoc, vel in illo; ideo duo quoque actus concurrunt ad hanc determinationem, intentio ſcilicet, & deuotio: Intentio enim applicat hoc Sacrificium huic, vel illi, *deuotioni autem effectus reſpondet:* vnde intentio propria eſt Sacerdoti, deuotio autem communis eſt ei, & aliis, vnde, & in Canone Miſſæ, Sacerdos actum intentionis applicatiuæ huius Sacrificij exercens, dicit: Tibi offerimus pro Eccleſia, &c. deinde actum deuotionis ſubjungit: quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio. Hoc enim non ſolum ad circumſtantes, ſed ad alios refertur, ex his inſinuans applicationem huius Sacrificij non ſolum intentione, ſed deuotione adjuncta perfici, ita quod: *Quanta eſt horum deuotio, tanta applicatur eis ex illa infinitate ſatisfactio.* Hæc Caietanus colum. 1. illius

cap. 2. Idem infra in responsione ad primum. *Effectus*, inquit, *Missæ est finitus cuilibet secundum suam fidem quoad impetrationem, & secundum suam deuotionem quoad satisfactionem; propterea vtrumque dicitur in Canone, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio.* Ex qua explicatione clarè perspicitur, quàm immeritò Caietanus citetur ab Aduersariis pro sua opinione, cum ipse toties alibi, & clarissimè hic d cat, effectus Missæ est finitus *cuilibet secundum, &c.* Sed de Caietani doctrina luculentissima constabit apertius ex infra dicendis. Interim ad rationes veniamus.

Ratio potissima, & fundamentalis hæc est. Omnis causa habens causalitatem ex opere operato producit effectum suum secundum quantitatem dispositionis subjecti, in quo effectus producitur, sed Sacrificium est causa habens causalitatem ex opere operato; ergo producit effectum suum secundum quantitatem dispositionis subjecti, in quo effectus producitur. VIII. *Probatur ratione.*

Maior probatur ex doctrina communiter à Theologis tradita in materia Sacramentorum; nam omnes huiusmodi causæ ex promissione, & pacto Diuino hoc habent, vt illarum effectus non sint absolutè æquales in omnibus, sed proportionales, & accommodati dispositioni eius subjecti, in quo tales effectus recipiuntur; Et sumitur ex Tridentino Sess. 6. cap. 7. De effectu Iustificationis in Baptismo adultorum, qui sine dubio est effectus ex opere operato, & tamen causatur, vt docet Concilium, *secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.*

Idem docuerat S. Thomas 3. par. quæst. 69. art. 8. in corpore vbi ait. Adulti, qui per propriam fidem ad Baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad Baptismum; quidam enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad Baptismum accedunt; & ideo quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiunt, sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis quantum est de se æqualiter ad omnes suum calorem effundat. Ex quo generali principio infert Soto dist. 6. quæst. 1. art. 6. Adultum per propriam dispositionem iustificatum in Baptismo maiorem gratiam accipere quam infantem, quia semper adultus est melius dispositus, quàm infans; nam hic nullam habet positiuam dispositionem, sed solum non repugnantiam; adultus verò semper esse debet positiuè dispositus per proprium actum. Iam verò quod de Baptismo dicitur, idem à Theologis affirmatur de reliquis Sacramentis, & de quibuscumque aliis Agentibus, ex opere operato, neque in hoc contradicentem inuenio. IX. *Insignis locus S. Thomæ.*

Cum ergo Sacrificium eundem causandi modum habeat ex opere operato, quæ erat minor nostri argumenti, superius à nobis probata satis, & hoc loco ab Aduersariis vltrò admissa, non obscurè sequitur effectus suos producere maiores, vel minores iuxtà quantitatem dispositionis subjecti, in quo producuntur: quæ tandem erat nostra consequentia.

Et sanè ratio à priori huius doctrinæ quatenus applicatur talibus agentibus ex opere operato, nimirum Sacramentis, non potest aliunde peti, nisi ex Christi Institutione, quatenus verò communis fit etiam aliis eundem agendi modum habentibus, cum nihil in contrarium positiuè obstet, satis habetur à paritate rationum, quæ Christum mouere potuerunt, vt talem in Sacramentis faceret In- X. *Ratio ex Institutione.*

ſtitutionem. Percurramus ergo rationes, quas Doctores afferunt, vt oſtendunt, Chriſtum ita promiſiſſe gratiam vnicuique Sacramento, vt voluerit illam eſſe accommodatam, & commenſuratam vniuſcuiuſque diſpoſitioni, vt videamus vtrum communes ſint reliquis habentibus eundem modum cauſandi ex opere operato, & præſertim Sacrificio. Affert illas P. Suarez diſput. 7. de Sacramentis Sect. 5. Et prima, inquit, quia ad ſummam Dei prouidentiam, & ſapientiam, ac iuſtiſſimam diſtributionem pertinet, vt melius diſpoſito maior gratia conferatur. Secunda, quia, inquit, fuit hoc expediens, vt homines excitarentur ad recipienda Sacramenta cum maiori deuotione, & reuerentia, ſaltem propter ſpem maioris fructus. Tertia, quia cauſæ naturales melius operantur circa paſſum melius diſpoſitum. Decuit ergo, vt cauſæ gratuitæ eandem proportionem obſeruent. Neque ad hæc omnia ſatis eſt, addit P. Suarez, vt homo ipſe per meliorem diſpoſitionem aliquid amplius mereatur, vel obtineat, quia hoc totum eſt ex opere operantis, vnde non ſufficit ad propriam cauſalitatem Sacramentorum, quæ eſt ex opere operato.

XI. *Congruentiæ Inſtitutionis.*

XII. *Æquè militāt in Sacrificio.*

Hæc eſt rationum ſumma, quæ per Aduerſarios declarant ita factam fuiſſe Sacramentorum Inſtitutionem. Verum quis non videt eas idem omnino pondus habere, ſi applicentur ad Sacrificium reſpectu ſuorum effectuum, etiam ex opere operato? Nam ratio petita à Dei Prouidentia, Sapientia, & Iuſtitia diſtributionis, profectò æquè militat vtrobique, altera ducta ab hominum vtilitate, vt ſic propter ſpem maioris fructus excitentur, maiorem fortaſſe locum habet in Sacrificio, quod cauſalitatem habet vniuerſalem, vt vidimus, certè non minorem. Tertia ſumpta ex proportione cum cauſis naturalibus, fundatur maximè in natura operis operati, quod per Aduerſarios reſpectu huius ſaltem effectus, qui eſt pœnæ remiſſio, in Sacrificio eſt, non minus quàm in Sacramentis.

XIII. *Ratio fundamentalis Aduerſariorum.*

Sed contra hanc paritatem Sacramentorum eſt fundamentum P. Suarez Sect. 10. quia, inquit, hic effectus remiſſionis pœnæ, reſpectu eius, pro quo offertur, vt ſic, totus pendet ex intentione Sacerdotis applicantis; ergo tantus eſt, quantum eſſe vult applicans; neque in hoc pendet ex diſpoſitione alterius, niſi quoad hoc ſolum, vt obex non ponatur; Vnde non eſt eadem ratio de effectibus Sacramentorum, qui non pendent in actione ſua ex intentione alterius, ſed veluti naturaliter agunt iuxtà diſpoſitionem ſuſcipientis. Antecedens huius argumenti declaratur à P. Suarez hoc modo, quia, inquit, effectus reſpondens oblationi Sacerdotis, vt ſic, determinatus eſt ex Inſtitutione, ſemperque eſt in ſe omnino æqualis, quia non habet vnde varietur cum non pendeat ex diſpoſitione Sacerdotis, neque ex illa augeatur, vel minuatur, rurſus hic effectus applicatur per intentionem Sacerdotis, quæ in hoc eſt libera, per ſe loquendo, & poteſt totum effectum applicare cui voluerit, vnde ſi totum applicet Petro, ille conſequetur totum, etiamſi ſit minus Sanctus, quàm reliqui omnes; ſi verò applicet Petro, & Paulo, & velit æqualiter inter eos diuidi, ita fiet, etiamſi illi ſint inæqualiter Sancti, quia in hac applicatione Sacerdos habet liberam poteſtatem; ergo effectus Sacrificij non variatur ex varia diſpoſitione eorum, pro quibus offertur.

Fundamentum assumit, quod in præsenti quæstione esset probandum, videlicet effectum hunc respectu eius, pro quo Sacrificium offertur totum pendere ex intentione Sacerdotis, non solum quoad applicationem, vt ita dicam, causæ talis effectus, quæ est Sacrificium, sed etiam quoad determinationem, & mensuram effectus à tali causa applicata prouenientis, vt sicut Pontifex concedens Indulgentiam non solum applicat causam, sed determinat effectum, dum concedit remissionem tantæ, vel tantæ pœnæ, ita proportionaliter faciat Sacerdos; sed hoc assumptum est omnino falsum, & contra expressam doctrinam S. Thomæ quæst. 79. citata, illis præsertim verbis. *Illis tamen prodest plus, vel minus secundum modum deuotionis eorum*; non dicit, secundum modum intentionis Sacerdotis, sed secundum modum deuotionis ipsorum. Neque verò minus falsum est principium, in quo tale assumptum videtur inniti, nimirum opus operatum huius Sacrificij esse in se determinatum, nam quamuis possit saltem quoad efficaciam, & effectum dici finitum, non propterea sequitur esse in se, & ex se determinatum, vt manifestum est in Sacramentis, in quibus iuxtà Aduersarios, opus operatum non est infinitum quoad efficaciam, & effectum, sed finitum, & tamen non est intrinsecè determinatum, sed determinatur extrinsecè secundum quantitatem dispositionis suscipientis. Quamuis verò opus operatum, tum Sacramenti, tum Sacrificij dici possit semper esse in se æquale, quatenus à conditione, & dispositione Ministri non variatur, tamen hæc est æqualitas secundum quid non simpliciter, & potius est æqualitas, veluti negatiua in quantum scilicet nullam inæqualitatem ex parte Ministri accipit. Cæterum cùm opus hoc operatum tam Sacramenti, quàm Sacrificij, inæqualitatem simpliciter habeat, in jis, in quibus effectus recipitur, assignandum est principium huius inæqualitatis, sed principium huius inæqualitatis in Sacramento non est intentio Ministri; ergo neque in Sacrificio.

XIV. *An effectus Sacrificij quoad quantitatem pendeat ex intentione Sacerdotis.*

XV. *An opus operatum Sacrificij sit in se, & ex se determinatum.*

Verum instat P. Suarez, quia causalitas hæc, de qua agimus est per modum cuiusdam donationis, quæ tanta est, quanta vult is, qui donat, neque aliud ex parte recipientis requirit, nisi capacitatem absque impedimento, quod inferius confirmat ex applicatione satisfactionis ex opere operantis, quæ datur, vel distribuitur iuxtà voluntatem applicantis, dummodo alij sint capaces, idest non sint in mortali peccato; quod autem sint magis, vel minus Sancti, nihil refert ad hunc effectum, qui per se pendet solum ex donatione alterius. Quæ est, inquit, aperta doctrina Sancti Thomæ dist. illa 45. quæst. 2. art. 3. quæstiun. 1. vbi ait, suffragium, quod alicui prodest ex applicatione alterius, totum pendere ex applicantis intentione, ita vt remoto impedimento, tantum applicetur quantum ipse vult.

XVI. *Altera Aduersariorum ratio.*

Hæc doctrina habet manifestam instantiam in Sacramento Pœnitentiæ, in quo Sacerdos non solum confert gratiam, sed etiam condonat pœnam, & tamen non solum collatio gratiæ Sacramenti, sed etiam condonatio illa pœnæ commensuratur dispositioni suscipientis; vt enim rectè ait Cardinalis de Lugo ex communi Theologorum, nec Aduersariis quidem contradicentibus, Sacramentum Pœnitentiæ non solum confert maiorem effectum gratiæ Sanctificantis, homini melius disposito, sed etiam maiorem effectum remissionis pœnæ temporalis per satisfactionem Sacramentalem, vel etiam per absolutionem, quando simul cum culpa remittitur, & commutatur pœna æterna in temporalem; commutatur enim

XVII. *Diluitur per instantiam Sacramenti Pœnitentiæ.*

in minorem si subiectum sit melius dispositum. Nullam ergo habet vim illa consequentia; remissio pœnæ fit per modum cuiusdam donationis, seu condonationis; ergo tota pendet ex intentione Ministri, quoad quantitatem ipsius, & non ab alterius dispositione.

XVIII. *Disparitas de suffragiis.*

Neque verò est eadem ratio de suffragio ex opere operantis quod prodest alicui ex applicatione alterius; nam opus operantis respicit tantùm operantem, à quo adæquatè accipit totam mensuram valoris, & quia operans est finitæ, & determinatæ dignitatis, hinc est, vt opus talis operantis sit in se finitæ, & determinatæ satisfactionis, valoris, & honestatis, at verò opus operatum non respicit operantem, puta Ministrum, & Sacerdotem, sed Christum, personam infinitæ dignitatis, à qua certè non potest intrinsecè accipere in sua efficientia, & efficacia determinationem, & limitationem satisfactionis, & valoris, quasi ex natura rei. Totum ergo pendet ex Christi institutione, & voluntate. Porrò Christus potuit ita instituere, & promittere effectum vnicuique operi operato, vt voluerit illum non esse absolutè æqualem in omnibus, sed accommodatum vniuscuiusque dispositioni, maiori & maiori, hoc, inquam, potuit; quia opus operatum non est in se determinati valoris, sicut opus operantis, sed indeterminati; Quod verò hoc, quod potuit, de facto fecerit, & ita instituerit, Aduersarij concedunt in Sacramento Pœnitentiæ respectu remissionis pœnæ, & nos ab omnimoda paritate rationis inferimus in Sacrificio respectu eiusdem effectus.

XIX. *Radix infinitatis negatiua operis operati.*

XX. *Alterum fundamentum nostræ sententiæ.*

Sed addamus nouam rationem generalem, quæ potest esse alterum fundamentum nostræ Conclusionis. Cur Christus Dominus de facto opus operatum siue Sacramenti, siue Sacrificij sic instituerit. Ratio autem hæc est: Omnis effectus gratiæ, & salutis ex Diuina institutione habet hoc, vt pendeat in sui quantitate à dispositione alicuius subiecti. Sed effectus remissionis pœnæ huius Sacrificij (& multò magis quicumque alius effectus pertinens ad remissionem culpæ) est effectus gratiæ, & salutis; ergo ex generali Dei institutione habet, vt in sui quantitate pendeat à dispositione alicuius subiecti. Sed non pendet à dispositione, & conditione proximi, & ministerialis offerentis, vt ex doctrina Tridentini omnes Catholici Doctores fatentur; ergo à conditione, & dispositione eius, pro quo offertur, cum nemo sit alius, à quo accipi mensura possit talis effectus. Prima principalis consequentia tenet ex forma. Posterior est manifesta ex sufficienti subiectorum, & terminorum enumeratione. Propositiones probandæ sunt.

XXI. *Omnis effectus salutis pendet in quantitate ab alicuius dispositione.*

Ac prima quidem, quod omnis effectus gratiæ, & salutis pendeat in sui quantitate à dispositione alicuius subiecti; probatur, quia nullus est assignabilis effectus gratiæ, & salutis, qui non ita pendeat; nam omnis huiusmodi effectus, vel pertinet ad meritum, vel ad satisfactionem, vel ad impetrationem. Omne autem opus siue in ratione meriti, siue satisfactionis, siue impetrationis, semper cæteris paribus crescit iuxtà dispositionem subiecti. Ideo docet Nobiles Theologi, quod si duo existentes in gratia inæqualiter, faciant æquale opus, sub æqualibus omnino circumstantiis, puta talem orationem, ieiunium, aut eleemosinam non solum per illud idem, & in cæteris omnibus æquale opus, vt supponimus, plus impetrat, & meretur, qui per maiorem gratiam est magis dispositus, & gratus, sed etiam plus satisfacit, etiam posita æquali eiusdem operis pœnalitate, quæ doctrina extenditur à Theologis ad opera Christi, quæ ideo erant, non solum me-

riti, ſed etiam ſatisfactionis infinitæ, quia in ſui quantitate pendebant à conditione ſubiecti, quod erat ſuppoſitum infinitum.

Minor propoſitio, quæ erat, remiſſionem quoque pœnæ pertinere ad effectus ſalutis, patet, quia quidquid pertinet ad remouendam adeptionem ſummi boni, pertinet ſuo modo ad effectum ſalutis vt per ſe notum eſt: conſtat autem reatum pœnæ temporalis retardare adeptionem ſummi boni. Si enim cum illo aliquis ex hac vita migrauerit, non poterit continuo pertingere ad vitam æternam, ſed expiare debebit eum reatum in Purgatorio, quæ eſt ratio (ait Bellarminus lib. 1. de Indul. cap. 10.) Cur Sancti viri, licet cæteroqui quærant potius pœnas, quàm fugiant, tamen libentiſſimè ſuſcipiunt Indulgentias; quia licet ament pœnas, quæ iuuant ad promerendum Deum, & promouent ad ſalutem citius acquirendam, quale eſt Martyrium, & aliæ pœnæ ſponte ſuſceptæ, fugiunt tamen debitum pœnæ, quod nullo modo ad ſalutem iuuat, & per ſe impedit, & retardat ab ingreſſu Patriæ Cœleſtis. Vnde applicatio Sacrificij procurata ab aliquo ad hunc finem, vt expeditus reatu illo pœnæ, liberius ad ipſum Deum videndum, & perpetuo laudandum euolare poſſit, non ſolum ſatisfactoria illi erit, verum etiam valde meritoria, quod de ſuſceptione Indulgentiæ ex amore eiuſdem finis docent Theologi.

XXII. *Remiſſio pœnæ numeratur inter effectus ſalutis.*

XXIII. *Finis ſuſcipiendi indulgentias.*

Cum ergo omnis effectus ſalutis commenſuretur diſpoſitioni ſubiecti, & remiſſio pœnæ Iure numeretur inter effectus Salutis, qui conceduntur ex gratia Saluatoris; negari non debet, quin ipſa quoque commenſuretur eiuſdem diſpoſitioni, & fiat Maior ſecundum quantitatem deuotionis illius.

Dices, doctrinam allatam eſſe veram de effectibus ex opere operantis; illi enim ſunt effectus operum noſtrorum, non verò de effectibus ex opere operato, qui ſunt per applicationem meritorum, & ſatisfactionum Chriſti.

Sed contra eſt, quia ideo effectus ex opere operantis habent inæqualitatem illam accommodatam vniuſcuiuſque diſpoſitioni, quia ſuauis Dei prouidentia, ſapientia, & iuſtiſſima diſtributio poſtulat vt tales ſint effectus noſtræ Salutis, ergo cum effectus ex opere operato non ſint minus effectus noſtræ Salutis; ſunt enim nobis dati, & quaſi ſubſtituti loco meritorum, & ſatisfactionum noſtrarum, propterea debent inſtitui ſub eadem prouidentia, & diſtributione, id quod Aduerſarij, planè concedunt in effectibus Sacramentorum, per quæ ſine dubio applicantur nobis merita, & ſatisfactiones Chriſti ex opere operato. Atque hic ſuum habet locum argumentatio illa Cardinalis de Lugo diſp. 19. Sect. 10. quod ſicut Sacramenta taliter applicant merita Chriſti ad effectum gratiæ, vt quaſi ſubſtituantur pro merito proprio ipſius hominis, vt ſicut homo per propriam contritionem iuſtificaretur, & acciperet plus, vel minus gratiæ ſecundum menſuram contritionis, ſic per Sacramentum, quaſi per meritum proprium accipiat gratiam iuxtà menſuram propriæ deuotionis; ita ſimiliter ad ſatisfactionem applicant ſatisfactionem Chriſti, quæ ſubſtituitur loco ſatisfactionis propriæ. Quare ſicut hæc cauſaret plus, vel minus remiſſionis pœnæ iuxtà menſuram deuotionis, & diſpoſitionis, ſic Sacramentum cauſet eundem effectum inæqualiter. Cum ergo Sacrificium applicet etiam ſatisfactionem Chriſti, & faciat illam nobis quaſi propriam ſatisfactionem, debet ſequi eandem menſuram, & inæqualitatem in cauſando ex opere operato, quam haberet ex opere operantis propria ſatisfactio.

XXIV. *Cur effectus ex opere operato accommodantur diſpoſitioni ſubiecti.*

XXV. *Opus operatum ſequitur naturã effectuum ex opere operantis, pro quibus ſubſtituitur.*

XXVI. *Tertia obiectio ex natura dispositionis.* Adhuc tamen vrget P. Suarez, quia, inquit, quando dispositio solum requiritur, vt remouens prohibens, nihil ad effectum refert, quod dispositio sit maior, vel minor, dummodo quælibet illarum siue maior sit, siue minor, totum impedimentum auferat. Sic autem est in præsenti; nam quælibet gratia, quæ est sola necessaria dispositio ad hunc effectum, quælibet etiam minima aufert totum impedimentum inimicitiæ Diuinæ, & ad hoc solum necessaria est. Nam actualis dispositio per se hîc non concurrit; vnde etiam si sit dormiens ille, cui applicatur talis effectus, potest tunc illum recipere: neque enim natura talis effectus postulat præparationem vllam ex parte recipientis; immo ex sententia Cardinalis de Lugo, neque requirit consensum vllum virtualem, & interpretatiuum, qualem admittit P. Suarez, quatenus vnusquisque cupit à pœnis liberari, & libenter hoc beneficium remissionis acceptat, quia, vt inquit Cardinalis, etiam si ille, pro quo offertur positiuè dissentiret, & diceret se velle retinere totum debitum pœnæ, vt haberet occasionem agendi pœnitentiam, non posset per talem dissensum effectum illum impedire, ad eum modum, quo Martyr per similem dissensum non potest impedire remissionem totius pœnæ, quam affert Martyrium, quia nemo potest impedire effectum, ad quem nullo modo concurrit.

XXVII. *Dispositio remouens prohibens potest esse in aliquo gradu necessaria ad quantitatem effectus.* Respondeo, distinguendo Antecedens, quando dispositio solum requiritur, vt remoueat prohibens, nihil refert, quod sit maior, vel minor ad effectum simpliciter, concedo Antecedens; nihil refert, quod sit maior, vel minor ad effectum maiorem, vel minorem in quantitate, nego antecedens; nam quemadmodum ad effectum simpliciter est necessaria aliqua dispositio, ita ad tantum, & tantum effectum potest esse necessaria tanta, & tanta dispositio. Immò fieri potest, vt ad effectum simpliciter nulla requiratur dispositio, vt patet in infantibus, qui propterea omnes æqualem gratiam Sacramentalem recipiunt, & tamen ad tantam quantitatem effectus Sacramentalis, quanta collata fuit, exempli gratia, Ioanni Baptistæ per Sacramentum Circumcisionis, necessaria profectò fuit illa gratiæ dispositio, qua in Vtero Matris Sanctificatus fuit; neque enim dicendum est æqualem fuisse gratiam Sacramenti in Ioanne, & in reliquis Infantibus. Quare antecedens absolutè prolatum, & prout in argumento proponitur, est falsum, & habet instantias manifestas, etiam in doctrina Aduersariorum. Prima sit in satisfactione Sacramentali, quæ primo, & per se ordinatur ad hunc eundem effectum remissionis pœnæ secundum quantitatem dispositionis. Sic igitur argumentor. Quando dispositio solum requiritur vt remouens prohibens, nihil ad effectum refert, quod sit maior, vel minor, dummodo semper totum impedimentum auferat. Sed dispositio gratiæ respectu huius effectus solum requiritur vt remouens prohibens; ergo talis effectus non erit maior secundum quantitatem dispositionis, quod tamen Aduersarij non admittunt. Quod autem dispositio gratiæ ad hunc effectum requiratur vt remouens prohibens patet, quia ad hunc effectum remissionis pœnæ nihil aliud requiritur nisi, vt sit ablatus obex culpæ, ex qua relictus erat reatus illius pœnæ: ad remissionem autem talis culpæ; & talis impedimenti remotionem quælibet gratia etiam minima sufficit. Sicut ergo in Sacramento Pœnitentiæ non valet, quælibet gratia etiam minima est sufficiens dispositio ad hunc effectum simpliciter obtinendum; ergo maior, & maior dispositio nihil confert ad maiorem, & maiorem huiusmodi effectum

XXVIII. *Instantia in Sacramento Pœnitentiæ.*

effectum, ita neque valet in Sacrificio. Altera instantia est in Sacramento Baptismi, nam certum est ad effectum huius Sacramenti requiri in adulto ex parte intellectus fidem, ex parte verò voluntatis attritionem, tanquam remouens prohibens; tamen non licet inferre secundum quantitatem fidei, & attritionis non augere effectum Baptismi. Neque verò quidquam facit, quod is, pro quo Sacrificium offertur per nullum suum actum concurrat ad talem effectum, nam hoc potest esse commune etiam Sacramentis, vt enim rectè obseruat Bellarm. lib. 2. de effect. Sacram. cap. 8. Sacramenta rectè adhibentur, etiam non intelligentibus, & nullo modo actualiter concurrentibus, quia baptizantur ritè non solum Infantes sed adulti etiam amentes, & dormientes, quod Concilium Carthaginense quartum can. 76. & Arausican. 1. can. 12. docent, non solum de Sacramento Baptismi, sed etiam de Sacramento Pœnitentiæ; vnde Morales Theologi communiter docent Sacramentalem absolutionem posse conferri iis, qui in periculo vitæ sunt, licet vi morbi ipsi oppressi, non habeant vsum rationis, vel sensuum, modò constet eos antea desiderasse huiusmodi Sacramentum. XXIX. *Ad effectum Sacramentalem non est semper necessarius actualis concursus suscipientis.*

Ecce in huiusmodi casibus, qui effectum Sacramentalem suscipiunt nihil actu concurrunt, & tamen si plures tales sint dormientes non recipiunt æqualem effectum, sed maiorem, vel minorem secũdum quãtitatem habitualis dispositionis.

Cum ergo nulla alicuius momenti ratio in contrarium obstet tenenda est Veterum Theologorum doctrina, quam docuerunt S. Thomas, & Caietanus in locis citatis, & quam ex posterioribus sunt sequti Sotus in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 5. Conclus. 4. & art. 7. ad 2. Corduba lib. 1. quæst. Theolog. quæst. 3. opin. 5. concl. 4. & quæst. 4. dub. 6. ad 2. Nugno in quæst. 83. tert. P. S. Thomæ dub. 3. P. Vasquez tom. 3. disp. 230. cap. 3. n. 15. & disp. 131. cap. 7. n. 48. & 49. illa autem est, effectum sacrificij in sui quantitate pendere à dispositione illius, pro quo effertur, quamuis secundum applicationem pendeat solum ab intentione, & voluntate Sacerdotis; & sanè stante vera sententia de valore indeterminato operis operati, si non à conditione subiecti, sed à sola intentione Ministri ad effectum determinaretur, posset Sacerdos vnico solum sacrificio omnes animas Purgatorij liberare, vt rectè infert Antonius de Corduba, laudatus à P. Vasquez. disp. 232. cap. 7. XXX. *Authores pro nostra sententia.* XXXI. *Absurdum ex contraria.*

Sed quæres, quænam sit hæc melior dispositio hominis pro quo Sacrificium offertur, ratione cuius crescit Sacrificalis effectus. Cardinalis de Lugo disp. 19. Sect. 10. existimat explicandam esse iuxtà id, quod Doctores docent de Sacramentis, quia hic effectus causatur à Sacrificio ad instar Sacramenti, & quidem si cætera sint paria, certum videtur, quemlibet excessum gratiæ, & Sanctitatis posse esse mensuram maioris effectus, sed fieri potest, vt vnus excedat alterum in habituali gratia, & Sanctitate, non tamen in actuali deuotione, & dispositione; P. Suarez disp. 8. Sect. 5. loquendo de dispositione, qua crescit Sacramentalis effectus, ait, ad illum maximè conferre actualem dispositionem, nam moraliter loquendo illa est proprie dispositio, in qua aliquid homo de suo confert cum Diuina gratia, vt melius fructum Sacramenti recipiat, nam habitualis gratia potius pertinet ad quandam personæ dignitatem, & ad excludendum impedimentum peccati. Sed quia actualis dispositio, & deuotio multiplicis generis es- XXXII. *Quid intelligendum sit nomine dispositionis.*

ſe poteſt, merito quæri poteſt, quod deuotionis vniuerſaliter conferre maxime poteſt ad fructus omnes huius Sacrificij vberrimè percipiendos. Caietanus tom. 2. tract. 2. opuſc. indicat illud genus deuotionis cæteris paribus magis conferre, quod magis pertinet ad oblationem Sacrificij, ſiue petendo, ſiue miniſtrando, ſiue conſulendo, ſiue adiuuando, ſiue quocumque alio modo cauſaliter concurrendo. Sed de hac re valde vtili ad praxim commodius infra.



QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum ad multiplicationem concurrentium ad hunc Montem minuatur in ſingulis fructus illis proueniens ex opere operato.

I. *Explicatur ſenſus Quæſtionis.*
II. *Offerentes qui?*
III. *An Offerentibus qua tales ſunt reſpondeat fructus ex opere operato.*
IV. *An Offerentibus multiplicatis diuidatur?*
V. *Inquiritur radix huius latitudinis extenſiuæ.*
VI. *Opus Operatum per Aduerſarios eſt virtutis finitæ intenſiuè.*
VII. *Quod eſt limitatum in ſe, eſt limitatum reſpectu cuiuſcumque.*
VIII. *An multiplicatis offerentibus, multiplicetur oblatio.*
IX. *Oblatio Sacrificalis ſemper eſt vna numero, licet participantes multiplicentur.*
X. *Alia eſt ratio de fructu ex opere operantis.*
XI. *Doctrina vera in noſtra ſententia.*
XII. *Minus vera in principiis Aduerſariorum.*
XIII. *Noſtrum fundamentum.*

I. *Explicatur ſenſus Quæſtionis.*



PARTICIPANTES in duplici ſunt differentia; quidam enim participant, quia pro illis quantumuis non concurrentibus, Diuinum hoc Sacrificium offertur: quidam verò, quia ipſi aliquo modo ad oblationem concurrunt, à quo denominantur offerentes; atque hîc quidem non loquimur de Sacrificio quemadmodum ſe habeat reſpectu illorum, pro quibus offertur, an ſcilicet ad illorum multiplicationem Sacrificalis effectus diuidatur, & in ſingulis minuatur, de quo diſputabimus infra. Sed loquimur de Sacrificio relato ad eos, qui illud offerunt; Vtrum multiplicatis talibus offerentibus diuidatur, ac minuatur in ſingulis effectus Sacrificij, an potius idem fructus
II. *Offerentes qui?* indiuiſus, & integer multiplicetur. Porrò nomine huiuſmodi offerentium, eos hoc

loco intelligimus, qui speciali aliqua ratione, ac titulo concurrunt ad oblationem sacrificalem externam, in qua proprie consistit visibile Sacrificium, quales censentur esse qui Sacrificium petunt, aut procurant, qui inseruiunt Sacerdoti sacrificanti, vel illi assistunt consentiendo, & moraliter cooperando. Hi enim omnes quamuis non habeant rationem offerentis tanquam principij, per se, ac immediati actionis sacrificandi, quod est proprium Sacerdotis, quia tamen habent sufficientem denominationem cooperantis ipsi Sacrificanti, & offerenti, possunt ab illius oblatione denominari offerentes, ad eum ferè modum, ait P. Suarez, quo dicuntur homicidæ, qui consulunt, qui comitantur, quique protegunt homicidam: est enim hoc in moralibus generale, vt qui aliquo modo cooperantur actioni principali, possint ab eadem illa denominari, & tantò magis, quantò vel magis, vel pluribus modis cooperantur; vnde in re præsenti magis dicuntur offerentes, qui propius, & proximius ministrant, quam qui solum assistunt, & sic de aliis. III.

An offerentibus qua tales sunt respondeat fructus ex opere operato.

De his ergo offerentibus loquendo, vnum hoc loco in gratiam Aduersariorum supponimus, alterum discutiendum suscipimus: quod nunc supponimus, est, omnibus illis, ac singulis respondere aliquem fructum ex opere operato, etiamsi Sacerdos intentione sua speciali pro illis non offerat.

IV.

An offerentibus multiplicatis diuidatur.

Quod verò discutiendum suscipimus est, vtrum fructus respondens huiusmodi offerentibus, si plures sint, diuidatur, an integer multiplicetur. Qua in re sequimur sententiam communem, quam idem P. Suarez docet sect. 12. conclus. 1. quod scilicet quando plures huiusmodi concurrunt cum Sacerdote ad idem numero sacrificium, omnes, & singuli quatenus offerentes sunt, accipiunt integrum fructum, non minorem, quàm si vnus tantùm esset offerens.

V.

Inquiritur radix huius latitudinis extensiua.

Sed quamuis Conclusio hæc sit communis, vt dixi, operæ tamen pretium erit indagare radicem multiplicationis huiusmodi, quæ meo iudicio valde difficilis est in principiis Aduersariorum, in nostris verò facilis, & magni momenti.

Igitur contra Aduersarios, quibuscum in Conclusione conuenimus sic argumentor.

Valor ex opere operato vniuscuiusque oblationis sacrificalis est per Aduersarios, quoad efficientiam determinatus, & taxatus; ergo à pluribus participatus, in illis diuiditur, & minoratur; ergo falsum est omnes, & singulos offerentes accipere integrum fructum ex opere operato non minorem, quàm si vnus tantum esset offerens. Hæc vltima consequentia est euidens, & prima est æquè per se nota ex terminis. Omnes enim partes quantitatis finitæ, quo magis diuiduntur, minores fiunt. Antecedens traditur ab Aduersariis sect. 1. conclus. 2. vbi dicitur, effectus ex opere operato, quem hoc sacrificium potest conferre, est finitus intensiuè, & per voluntatem Christi determinatus, & taxatus, ita vt simpliciter habeat aliquem terminum maximum, quod explicatur magis sect. 12. conclus. 2. vbi dicitur dupliciter posse intelligi effectum hunc esse limitatum, & taxatum à Christo, primo quod Sacerdoti offerenti data sit à Christo potestas applicandi tot gradus satisfactionis, & non plures, vel vni personæ tantum, vel pluribus in quouis numero pro sua voluntate, ita tamen, vt omnes illi gradus singulis donentur; secundo quod vni oblationi Sacerdotali, seu vni Missæ; vnus respondeat adæquatus effectus: Verbi gratia, decem graduum satisfactionis, qui omnes possunt, vel vni personæ applicari, vel inter multas distribui, non verò quod omnes possent sin-

VI.

Opus operatum per Aduersarios est virtuti finita intensiuè.

gulis donari, velut ita dicam, totaliter multiplicari; asserunt autem institutionem esse factam hoc posteriori modo, & non priori. Atque hinc docent, vnicum Sacrificium pluribus applicatum minus prodesse ex opere operato singulis, quàm si pro vno tantum offerretur, ex hac potissima ratione quæ affertur argumento quarto, quia in hoc effectu satisfactionis non est alia intensio effectus, quia multitudo satisfactionis sed effectus, inquiunt, Sacrificij, est limitatus intensiuè simpliciter loquendo secundum magnitudinem satisfactionis; ergo est limitatus respectu cuiuscumque personæ, vel multitudinis personarum. Patet consequentia, quia quantitas effectus eiusdem rationis est, siue vni, siue multis applicetur.

VII. *Quod est limitatum in se est limitatum respectu cuiuscumque.*

Hæc postrema verba ex ore Aduersariorum assumpta in eosdem intorqueo. & sic iterum arguměntor. Satisfactio vnius Sacrificij est limitata quoad extensionem, & magnitudinem suam; ergo est limitata respectu cuiuscumque personæ; ergo est limitata non solum respectu eorum, pro quibus Sacrificium offertur, sed etiam respectu eorum, qui Sacrificium offerunt, ergo sicut ad multiplicationem eorum, pro quibus offertur diuiditur, & minuitur in singulis, ita ad multiplicationem eorum, qui offerunt, diuiditur etiam, & minuitur in singulis.

VIII. *An multiplicatis offerentibus multiplicetur oblatio.*

Hinc triumphant Sectatores P. Suarez, quia ex illius doctrina tradita Sect. 12. videntur habere non minus palmarem, quam plausibilem disparitatem, illa autem est, quia ad multiplicationem offerentium, multiplicantur oblationes, vnde mirum non est, si fructus etiam multiplicetur, qui respondet oblationi; at verò ad multiplicationem eorum, pro quibus offertur nullo modo multiplicatur oblatio; vnde non debet fructus multiplicari. Exemplum afferunt in Sacramentis, quæ nō applicantur multis, nisi per realem multiplicationem: quando enim vnica aquæ aspersione eum forma in plurali prolata baptizantur plures, non minuitur in singulis effectus Baptismi, quia pro numero ablutorum multiplicãtur ablutiones; & si contingeret idem numero Eucharistiæ Sacramentum dari multis, non minueretur in singulis effectus Sacramentalis, quia saltem sumptiones multiplicarētur. Ita prorsus, quia pro numero offerentium multiplicantut oblationes, quæ non multiplicantur pro numero eorum, pro quibus offertur; ideo in primo casu multiplicatur integer fructus, in secundo non item, sed minuitur in singulis.

IX. *Oblatio Sacrificalis semper est vna numero, licet participantes multiplicentur.*

Sed contra hanc responsionem est apertissimè, quia oblatio, quæ non multiplicatur pro numero eorum, pro quibus offertur, illa, neque multiplicatur pro numero illorum, qui offerunt. Nam siue assistentes, & ministrantes plures sint, siue pauciores, semper est vnica oblatio sacrificalis, & vnum, idemque numero Sacrificium, & vna Missa. Si ergo ratio cur non multiplicatur fructus in iis, pro quibus offertur, illa demum est, quia non multiplicatur oblatio, quæ est tota causa talis fructus; dicendum necessario est, neque in iis, qui offerunt talem fructum multiplicari, quia ad horum numerum non multiplicatur causa fructus ex opere operato, quæ est sola Sacrificalis oblatio. Neque quidquam fauet exemplum de Baptismo, quia ad multiplicationem ablutionum multiplicantur numero Baptismata; nam Baptismus consistit in ablutione passiua, vnde non est mirum si vnusquisque baptizatorum, non minorem fructum recipiat, quàm si solus baptizaretur: at verò ad multiplicationem circumstantium, non multiplicatur Sacrificium, ergo ruit tota paritas quoad hoc à Sacramentis petita.

Sed dices, quãuis ad multiplicationem circumstantium non multiplicetur numero sacrificium, ipsum tamen idem numero sacrificium crescit aliquo modo,

& fit maius ex concursu plurium offerentium, & circumstantium; maiori autem oblationi, cæteris paribus, maior fructus debet respondere.

Respondeo, fieri iam transitum à fructu ex opere operato respondente soli oblationi sacrificali, ad fructum ex opere operantis respondentem aliis oblationibus, quæ sine dubio sacrificales non sunt, & quidem argumentum aliquid probat de fructu ex opere operantis, qui singulis partialibus oblationibus respondet. Sicut enim illæ partiales, seu personales oblationes non minuuntur in se, propterea quod cum aliis conjungantur ad vnam oblationem totalem moraliter componendam, immo in illa totali, quæ moraliter loquendo facta est veluti maioris valoris, & æstimationis, ipsæ etiam maioris quodammodo valoris sunt; ita fructus illis respondens ex opere operantis, debet proportionaliter crescere, & pro extensione totalis oblationis, etiam crescere in omnibus extensiuè sine vlla singulorum diminutione. Cæterum fructus vnius Sacrificij ex opere operato, respondens eidem numero oblationi sacrificali est per Aduersarios finitus, limitatus, & taxatus intensiuè, & in magnitudine satisfactionis; ergo si plures partes ex illa eadem magnitudine fiant, hoc ipso minores erunt in singulis. X. *Alia est ratio de fructu ex opere operantis*

Rursus dices. Oblatio partialis, & personalis respectu cuiuscumque circumstantis est veluti proxima dispositio, & determinatio fructus Sacrificij ex opere operato; ergo tantumdem singuli circumstantes participabunt de fructu sacrificij ex opere operato, quanto maior erit dispositio, & concursus ex opere operantis, sed ad multiplicationem offerentium crescit dispositio, & concursus ex opere operantis; ergo nullo modo minuetur in illis fructus ex opere operato. XI. *Doctrina vera in nostra sententia.*

Respondeo, Antecedens esse verum in nostra Sententia, qui à paritate rationis Sacramentorum diximus effectum sacrificalem pendere in sui quantitate à dispositione illum recipientis. Quare effectus respondens oblationi sacrificali, siue participetur ab aliis, qui offerunt, siue ab iis, pro quibus offertur, quantificabitur semper secundum participantium dispositionem; at Aduersarij huiusmodi principium non admittunt; nam quamuis fateantur valorem huius Sacrificij esse infinitum secundum sufficientiam; dicunt tamen eundem quoad efficaciam non solum esse finitum, sed vltimo determinatum, & taxatum. Atque hinc P. Suarez disp. 79. Sect. 10. §. *Præterea declaratur*. Probat non esse sumendum à meliori dispositione quantitatem, seu variationem huius effectus, quia, inquit, *effectus respondens oblationi Sacerdotis, vt sic determinatus est ex Institutione, semperque est in se omnino æqualis, quia non habet vnde varietur.* Hæc ibi. Noui P. Suarez pluribus in locis, & præsertim Sect. 11. Conclus. 2. indicare talem effectum loquendo de offerentibus esse maiorem in melius dispositis, atque adeo respectu illorum non esse omnino determinatum ad eundem gradum, vel terminum, sed quam cohærenter hoc dictum sit, non satis video; nam vel effectus respondens oblationi Sacerdotis, vt sic est omnino determinatus intensiuè ex Institutione, vel non; si est omnino sic determinatus; ergo neque respectu offerentium potest esse maior, & maior intensiuè secundum quantitatem deuotionis illorum; si verò non est omnino determinatus intensiuè; ergo etiam respectu eorum, pro quibus offertur potest variari secundum quantitatem deuotionis ipsorum. Quod si supponere omnino velimus effectum respondentem oblationi sacrificali vnius numero Missæ esse in se determinatum intensiuè, ita vt nunquam XII. *Minus vera in principiis Aduersariorum.*


possit vltrà quatuor gradus. Tunc rursus argumentor, & vrgeo sic. Vel talis effectus ita determinatus intensiuè ad quatuor gradus, est etiam determinatus extensiuè, ita vt non possit in ea intentione participari à pluribus, & pluribus in infinitum, vel non est ita determinatus extensiuè; si est omnino sic determinatus etiam extensiuè; ergo ad multiplicationem etiam offerentium non poterit ab illis integrè participari, sed necessario diuidetur; si non est omnino sic determinatus extensiuè; ergo ad multiplicationem etiam non offerentium, sed eorum, pro quibus tantùm offertur, poterit integrè ab illis participari, ita vt non minor fructus ad singulos perueniat.

Vides radicem huiusmodi latitudinis, tum intensiuæ, tum extensiuæ in hoc effectu Sacrificij, esse plenitudinem virtutis, & valoris si minus infiniti simpliciter, saltem, quod necessarium omnino est, non determinati, & taxati, sed intrinsecè indeterminati, & determinabilis tantùm ab extrinseco, à dispositione videlicet participantium.

XIII. *Nostrum fundamentum.* His igitur ita dijudicatis, fundamentum nostrum statuimus communis huius conclusionis, hoc modo. Effectus ex opere operato participatus ab offerentibus determinatur ab illis secundum quantitatem propriæ deuotionis; ergo omnes, & singuli offerentes, quantumuis plures, & plures, non minorem accipiunt fructum, quàm si vnus tantum esset offerens. Consequentia est per se euidens ex sola penetratione terminorum. Si enim hic sint, vt olim in nuptiis Canæ Galileæ, lapideæ Hydriæ sex positæ, capientes singulæ metretas binas, vel ternas, & audiatur; *implete hydrias aqua.* Quæro an singulæ ex hydriis sex simul positis, minorem aquam recepturæ sint, quàm si vna tantùm hic posita esset, profectò non minorem; quare? quia illa vox, implete hydrias aqua, æquipollet huic decreto. Omnes sex hydriæ donentur aqua secundum quantitatem propriæ capacitatis, & quia siue simul, siue seorsim sint, semper suam, & indiuiduam seruant capacitatem: propterea siue simul, siue seorsim sint, non minorem accipient si sint sex, quàm si esset tantum vna, quod tunc fecerunt Ministri. *Et impleuerunt eas vsque ad summum.* Quamuis verò exempli tantum loco ad Euangelicas illas hydrias alluserimus, tam mirabili plenas vino; non inepte tamen ad participationem explicandam sacrificalis sanguinis Christi traducuntur, quandoquidem Christus ex veterum Patrum sententia illo miraculo conuersionis aquæ in vinum, institutioni prolusit sacrificij Corporis, & Sanguinis sui. Consequentia ergo per se nota est.

Tota vis est in Antecedenti, quod scilicet effectus ex opere operato determinatur secundum quantitatem deuotionis ipsorum offerentium. Sed hoc antecedens probatum à nobis est fusè quæstione præcedente, vbi quæsiuimus vniuersaliter; An omnes fructus ex opere operato distribuantur inæqualiter iuxtà quantitatem dispositionis quorumcumque participantium, & quamuis aliqui sint, qui hoc non admittant in effectu sacrificali respectu eorum, pro quibus sacrificium offertur, neminem tamen legi, qui expresè hoc idem neget de effectu sacrificali respectu offerentium; tunc enim sequeretur fore, vt ex plurium participatione, & consortio fructus in singulis minueretur. Et quidem cum S. Thomas 3. par. quæst. 79. art. 5. dicat absolutè: *Sacrificij huius oblationem esse satisfactoriam illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ de-*

uotionis, nisi velint Aduersarij in materia tam graui apertè deficere à S. Thoma, debent saltem dicere, quod si S. Thomas de alterutris loquutus est disjunctiuè; de *Offerentibus* potius, quàm de aliis participantibus loquutus est. Quanquam si non de vtrisque conjunctim, sed disjunctim de alterutris intelligendus esset S. Thomas, potius meo iudicio de illis, pro quibus offertur quam de præcisè offerentibus explicandus esset, ratio est, quia, quod iis, pro quibus offertur sit oblatio satisfactoria ex opere operato docent omnes Theologi, quotquot opus operatum admittunt in sacrificio; at quod priuati offerentes ex eo præcisè, quod proprium aliquem concursum habeant ad oblationem sacrificij, etiamsi pro illis à Sacerdote non offerretur, consequantur proprium fructum suum ex opere operato, hoc sanè non in certum apud Theologos at & vt fatetur P. Suarez disp. 79. Sect. 8. §. Quarto de cæteris, Piè tantum, ac probabiliter credimus. Sed an, & quomodo omnes, pro quibus offertur sint etiam offerentes, & omnes offerentes sint etiam, pro quibus offertur constabit inferius.



QVÆSTIO NONA.

Vtrum opus operatum huius Montis sit virtutis finitæ, an infinitæ.

NON est sensus controuersiæ, An sanctum hoc Sacrificium finitum sit ratione Hostiæ principaliter oblatæ, aut Sacerdotis principaliter offerentis; Est enim extrà omnem controuersiam esse hoc modo absolutè, & simpliciter infinitum, vt enim docet sancta Synodus Tridentina cap. 2. *Vna eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit.* Rursus, non est sensus controuersiæ, An

I. *Quis non est sensus quæstionis.*

hoc idem ſacrificium ſit etiam infinitum ratione humani miniſterij, & ratione oblationis, quatenus eſt à proximo offerente. Eſt enim pariter extrà omnem controuerſiam ſacrificium ratione talis oblationis miniſterialis eſſe finitum, ſeu potius ex hac parte non eſſe infinitum. Quis igitur eſt ſenſus controuerſiæ? Nam ſi ex vna parte à Chriſti, qua victimæ, & qua Sacerdotis infinitate præſcindamus, & ex altera præſcindamus à finitate Miniſtri, nihil videtur reliquum in ſacrificio, in quo cardo huius controuerſiæ verti poſſit. Omnino præſcindendum eſt ab vtroque, tanquam extrà controuerſiam, vt dixi, omnino poſitis, quod quia non omnes Doctores animaduerterunt, mirum quàm fusè, & confuse illorum plerique ſe in hac euoluenda materia implicuerunt.

II. *Quis eſt ſenſus.*

Senſus igitur controuerſiæ eſt, An opus ſacrificij à Chriſto inſtitutum, quod ex ſe, & eſſentialiter habet, vt ſit dignitatis ſimpliciter infinitæ; An inquam ab adjuncta inſtitutione hoc etiam habuerit, vt eſſet cauſalitatis, ſeu potius virtutis cauſatiuæ infinitæ.

III. *Opus dignitatis infinita & virtutis finita.*

Hæc duo ſunt maximè diſtincta, & verè ſunt inter ſe ſeparabilia. Nam poteſt opus dignitatis, & excellentiæ infinitæ habere ex vi Inſtitutionis, & ex adjuncta promiſſione adnexam virtutem cauſandi tantum finitam. Si enim Chriſtus hoc ſacrificium in Cœna obtuliſſet Deo, & non inſtituiſſet, ſicut de facto obtulit, & non inſtituit ſacrificium Crucis, vel ſi ita inſtituiſſet in commemorationem Paſſionis, vt nihil inſtituto operi in remiſſionem peccatorum promiſiſſet, certè tale ſacrificium nullam virtutem ex opere operato habuiſſet: Opus enim operatum ex Inſtitutione promiſſionem inuoluente perficitur. Sicut ergo ex defectu promiſſionis ſimpliciter nullum eſſet opus operatum in ſacrificio, ita ex tali, & tanta promiſſione, & Inſtitutione potuiſſet in illo eſſe opus operatum finitum, & non infinitum. Rurſum opus Sacramentorum non eſt ex ſe, & ex natura rei dignitatis infinitæ, & tamen ex Diuina promiſſione & inſtitutione habent iuxtà Theologorum doctrinam, virtutem cauſatiuam infinitam intenſiuè.

IV. *Opus virtutis infinita, & dignitatis finita.*

Quærimus ergo. Vtrum Chriſtus huic externo operi, in quo propriè ſacrificium Eccleſiæ viſibile conſiſtit, adjunxerit ſua inſtitutione virtutem cauſandi infinitam, an finitam. Cum autem vtroque modo inſtitutionem hanc fieri à Chriſto potuiſſe concedant omnes; nos cum communiori dicimus factam eſſe cum collatione virtutis infinitæ, non ſolum intenſiuè, quod commune putamus cum Sacramentis, ſed etiam extenſiuè quod eſt proprium, & ſingulare in ſacrificio.

V. *Noſtra concluſio, & fundamentum,*

Fundamentum illud eſt. Illa cauſa dicitur habere virtutem infinitam tum intenſiuè, tum extenſiuè, quæ ita poteſt efficere effectum intentiorem, & intenſiorem in vno ſubjecto, vt eundem eiuſdem perfectionis effectum efficere poſſit in pluribus, & pluribus ſubjectis in infinitum. Sed ſacrificium ex opere operato eſt huiuſmodi; ergo ſacrificium ex opere operato habet virtutem infinitam tum intenſiuè, tum extenſiuè.

Maior patet ex 3. Phyſic. Vbi infinitum ſimpliciter dicitur illud, cuius aliquid ſemper eſt extrà accipere, hoc eſt, de quo non tantum poteſt accipi, quin remaneat aliquid accipiendum amplius. Quare ſi à virtute ignis ita produceretur calor alicuius intenſionis, vt ſemper producibilis amplius remaneret intenſior, & ita produceretur in vno ſubjecto, vt alius in æquali, aut maiori perfectione,

remaneret amplius producibilis in ſubjectis, non tot quin pluribus; profectò talis ignis haberet virtutem infinitam non ſolum intenſiuè, ſed etiam extenſiuè, quamuis in actu ſecundo nunquam produceret calorem intenſum niſi finitè, & nunquam in ſubjectis niſi finitis. Si ergo oſtenderimus hoc ſacrificium, virtutem quandam illimitatam, & indeterminatam habere ad quamcumque intenſionem, & extenſionem ſuorum effectuum, probabimus ſine dubio habere virtutem ſimpliciter infinitam.

Sed ex principiis hactenus poſitis facilis nobis eſt hæc probatio quoad vtramque partem; nam quod poſſit effectum intenſiorem, & intenſiorem producere ſiue in eo, qui offert, ſiue in eo, pro quo offertur, hoc manifeſtè ſequitur ex illo principio, quod probauimus quæſtione ſeptima cum S. Thoma, quod ſcilicet ſacrificium producit effectum ſuum ſecundum quantitatem diſpoſitionis participantium, ita vt quo maior fuerit diſpoſitio ex parte participantis, ſiue in ratione offerentis, ſiue in ratione eius, pro quo offertur, maior ſit effectus, & fructus ſacrificij; ſicut enim diſpoſitio ex parte participantis poteſt eſſe maior, & maior, ita etiam effectus ex parte ſacrificij. Sic autem probant Theologi, Sacramenta nouæ legis dici poſſe habere virtutem infinitam intenſiuè ex opere operato; quia quo maior fuerit in ſuſcipiente diſpoſitio, eo maiorem producunt effectum. Quod verò ſacrificium poſſit eiuſdem intentionis, & perfectionis effectum in pluribus, & pluribus participantibus in infinitum extendere, hoc pari euidentia ſequitur ex altero principio, quod poſuimus quæſtione octaua, vbi oſtendimus in offerentibus nunquam minui fructum ex opere operato, ex hac videlicet parte, quod plures, & plures ſunt. Nam quidquid ſit nunc de illis, pro quibus ſacrificium offertur, de quo infra, certè omnes reputant magnum abſurdum, aſſiſtentes ſacrificio, & vtcumque miniſtrantes, & concurrentes, quo in maiori fuerint multitudine, eo minus de illius effectu participare. Et meritò reputatur abſurdum, quia videtur contra naturam ſacrificij. Cum enim natura ſacrificij ſit, vt à pluribus offeratur, contra illam omnino eſt, vt quo offertur à pluribus, eò minus pluribus proſit. Poſito autem ſemel, quod ſacrificium habeat hanc latitudinem extenſiuam indeterminatam in aliquo ordine participantium, puta, in ordine offerentium, licebit abſolutè ex illa inferre virtutem ſimpliciter infinitam extenſiuè; nam vt rectè P. Vaſquez diſput. 23. cap. 3. vt virtus aliqua, ſiue intenſiuè, ſiue extenſiuè infinita dicatur, ſatis eſt tantæ eſſe virtutis, vt neque determinatum habeat effectum ſecundum extenſionem, neque ſecundum intenſionem; nam ſi finita eſſet, finitum quoque, & determinatum vtroque modo effectum haberet. Porrò aliter effectus ſacrificij dici poteſt infinitus, aliter virtus, vt notat idem P. Vaſquez; nam effectus, Syncathegorematicè infinitus dici poteſt, quia licet quilibet ſigillatim finitus ſit, alius, atque alius maior illo eſſe poteſt. Ipſa autem virtus ſacrificij ſimpliciter, & cathegorematicè infinita dici poteſt, quia ex effectu ſyncathegorematicè, & in potentia infinito, rectè colligitur potentia actu ſimpliciter, & cathegorematicè infinita.

VI. *Principia infinitatis tum intenſiua tum extenſiua.*

VII. *Natura ſacrificij poſtulat vt multitudine non minuatur eius fructus.*

VIII. *Aliter virtus ſacrificij eſt infinita, aliter eius effectus.*

Sed contra hæc omnia videtur eſſe meus Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 4. propoſ. 4. vbi diſertè ait: valor ſacrificij Miſſæ finitus eſt, atque hæc, inquit, eſt communis ſententia Theologorum, & probatur apertiſſimè ex vſu Eccleſiæ; nam ſi Miſſæ valor infinitus eſſet, fruſtra multæ Miſſæ, præſertim ad rem eandem im-

petrandam offerrentur. Si enim vna infiniti valoris eſt, certè ad omnia impetranda ſufficiet, quorſum igitur aliæ? Et confirmatur ex ſacrificio Crucis, quod non alia de cauſa vnum tantum fuit, neque vnquam repetitur, niſi quia illud vnum infiniti valoris fuit, & pretium acquiſiuit pro omnibus peccatis præteritis, & futuris remittendis.

IX. *Valor pro effectu.*

Reſpondeo Bellarminum, veteres Theologos imitatum, accepiſſe nomen valoris, non pro virtute, ſed pro effectu ſacrificij: manifeſtum eſt autem effectum huius ſacrificij ſemper eſſe finitum; quod autem de effectu loquatur, oſtendit ſatis addita confirmatio ex ſacrificio Crucis, quod vnicum tantum fuit, neque oportuit, vt repeteretur, propterea quod eius *effectus* infinitus fuit iuxtà ſenſum Apoſtoli ad Hebr. 10. Vna enim oblatione *conſummauit* in æternum ſanctificatos, quatenus verè pretium totum acquiſiuit pro omnibus peccatis præteritis,

X. *In quo ſenſu effectus ſacrificij Crucis eſt infinitus.*

& futuris remittendis; quamuis enim omnes, & ſinguli actus Chriſti fuerint ſufficientiæ infinitæ, non tamen omnes, & ſinguli ordinati fuerunt ad effectum infinitum niſi in quantum terminandi erant, & complendi per ſacrificium Crucis; ideo actus Chriſti quantumuis valoris, hoc eſt ſufficientiæ infinitæ, potuerunt ex hoc capite iterari, & multiplicari, quemadmodum de facto iterati, & multiplicati ſunt. At verò quia ſacrificium Crucis ordinatum, & acceptatum fuit ad effectum infinitum, quatenus, vt dixi perſolutum per illud fuit vniuerſum pretium pro Mundi ſalute, ideo ſemel tantùm oblatum eſt.

XI. *Actus Chriſti valoris infiniti & effectus finiti.*

XII. *Vnde oritur vt Miſſa poſſit iterari.*

Atque hinc habes, cur ad eandem rem impetrandam, plura numero ſacrificia offerantur; hoc non oritur ex inſufficientia ſacrificij, quia ex doctrina S. Thomæ, quem cum reliquis Theologis ſequitur Bellarminus, vnumquodque Miſſæ ſacrificium *ex ſui quantitate ſufficit ad ſatisfaciendum pro omni pœna;* hoc eſt, vt explicat Caietanus in 3. par. quæſt. 79. art. 5. Vna Miſſa ex parte ſui eſt ſatisfactoria pro pœnis omnium peccatorum, tam viuentium, quam mortuorum. Non, inquam, oritur ex inſufficientia virtutis, ſed quia ex ſua Inſtitutione ordinatur ſemper ad effectum finitum, quatenus fit ſatisfactoria, vt ait S. Thomas ſecundum quantitatem deuotionis, quæ ſemper eſt finita.

Ratio autem potiſſima huius Inſtitutionis fuit hæc ipſa, vt ſic tale ſacrificium frequentiſſimè iteraretur, quod fuit maxime expediens, tum, vt qui quotidie labimur, quotidie etiam releuemur, vt docet S. Thomas Opuſc. 66. cap. 3. tum, vt iugiter beneficium Paſſionis recolatur vſque ad conſummationem Mundi, vt aſſerit S. Ambroſius can. de Conſec. diſt. 2. Tum quod ſit non tantùm ſacrificium, ſed etiam Sacrum Conuiuium aſſiduè ad refectionem repetendum, vt inquit S. Laurentius Iuſtinianus Serm. de Euchariſtia; tum vt noua ſemper repleamur gratia, tum denique vt tanti Myſterij frequentatione cultus Chriſtianæ Religionis perfectiſſimè conſeruaretur.



QVÆSTIO DECIMA.

An effectus huius Montis pluribus applicati ita singulis proueniant, ac si paucioribus applicarentur.

XXIX. *Ex improbabilitate.*
XXX. *Potestas Sacerdotis illimitata.*
XXXI. *Sicut se habent plures inter se respectu generalis oblationis, ita plures inter se respectu specialis.*
XXXII. *Grauis causa talis Institutionis.*
XXXIII. *Cognita ab initio Ecclesiæ.*
XXXIV. *Sacerdos non potest à Sacrificio quemquam excludere.*

I. *Proponitur nostra Sententia.*



Æc est celebris illa quæstio, ex qua nonnulli pendere arbitrantur decisionem illius controuersiæ. An liceat Sacerdoti pro vnica Missa, quam pro multis obtulerit, accipere à singulis stipendium integrum. Ac nos quidem ex iactis fundamentis facile definimus, effectus, ac fructus huius Sacrificij non solum integros prouenire offerentibus, & concurrentibus, quod ostendimus quæstione octaua, verum etiam iis, qui nulla speciali ratione offerentes, aut concurrentes dicuntur, sed participantes illorum fiunt eo quod per intentionem Sacerdotis illis applicantur. De his quoque idem planè contendimus in præsenti cum Caietano, & aliis apud P. Vasquez disput. 231.

II. *Sternitur via ad fundamentum.* Et sanè si admittenda est generalis doctrina, quæ sumitur à S. Thoma 3. par. quæst. 79. art. 5. & 7. quod scilicet sacrificalis oblatio sit fructuosa ex opere operato illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ deuotionis, seu dispositionis. Apertè sequitur vnicam oblationem non minus fructuosam esse pluribus, quàm paucioribus, vt enim optimè ratiocinatur Caietanus; sicut quantitas deuotionis vnius nihil tollit de quantitate deuotionis alterius, ita de fructu respondente deuotioni vnius, nihil tollitur ex consortio alterius. Quare fundamentum nostrum à priori sic proponimus.

III. *Nostrum fundamentum.* Vnum numero Sacrificium est infinitum intensiuè respectu vnius, si offertur pro vno; ergo oblatum pro pluribus est etiam respectu plurium eodem modo infinitum intensiuè; ergo æquè valet singulis, siue pro pluribus, siue pro paucioribus offeratur. Antecedens constat ex quæst. nona, in qua probauimus opus operatum huius Sacrificij esse valoris, seu virtutis infinitæ intensiuè; propterea quod habet effectum syncathegorematicè sic infinitum, hoc est, non ita determinatum, & taxatum quoad intentionem, vt pro meliori, & meliori dispositione participantis, quocumque dato, non possit dari magis ac magis perfectus intensiuè.

Prima consequentia est manifesta ex natura infiniti, cuius efficacitas non est minor in singulos ex eo, quod in plures operetur, vt sumitur ex tertio Physicorum. Et sanè huius consequentiæ vim agnouerunt in simili, Aduersarij.

IV. *Confirmatio efficax ab hypothesi.* Etenim P. Suarez disputat. 79. Sect. 12. probans plures offerentes, quà tales sunt non accipere minorem fructum, quam si vnus tantum esset offerens, vtitur hac hypothesi. Si fieri posset vt *plures* homines *eandem* hostiam consecratam sumerent, singuli reciperent tantùm effectum Sacramentalem, quantum si vnus quisque eorum solus eam sumpsisset, quia licet sit *idem numero* cibus, tamen ille est *infinitus*, & totus in singulis; sumptiones autem tot sunt, quot personæ, & *dispositio* vniuscuiusque eadem est, & ideo multiplicantur effectus

ſine vlla diminutione, quia nulla fingi poteſt ratio illius. Eadem autem, concludit P. Suarez, eſt proportio in præſenti, ſi res attentè conſideretur.

Hoc exemplum admitto libentiſſimè, quia explicat totam vim noſtri fundamenti, ſic igitur ex illo argumentor. Si plures homines idem numero ſumerent Euchariſtiæ Sacramentum, in tantum ſinguli reciperent integrum fructum ſine vlla diminutione, in quantum poſito tali caſu concurrerent duo, quæ per ſe cauſant talem modum operandi, illa autem ſunt ex parte Sacramenti, virtutis infinitas, & ex parte ſuſcipientis, diſpoſitionis qualitas; ſed iſta duo de facto ſunt in re noſtra reſpectu quorumcumque participantium, nam idem numero Sacrificium infinitæ virtutis applicatur ſingulis iuxtà qualitatem diſpoſitionis illorum, ergo de facto cauſant hunc effectum iuxtà modum, quem nos dicimus operandi ſine diminutione. V. *Vrgetur paritas Sacramenti.*

Confer quæſo tantiſper vtrumque aſſertum, ibi eſt vnum numero Sacramentum, ſiue vna numero Hoſtia conſecrata, hic vnum numero Sacrificium: ibi ſupponuntur plures ſumentes idem numero Sacramentum, hic plures participantes eodem numero Sacrificium. Ibi ſumptiones tot ſunt, quot perſonæ, hic pariter quot ſunt perſonæ, tot ſunt participationes, ibi ſinguli recipiunt æqualem effectum Sacramentalem, non propter aliam rationem, niſi quia ex parte Sacramenti eſt infinitas, & ex parte diſpoſitionis in ſumentibus eſt æqualitas; ergo cum hic ex parte Sacrificij, ſit infinitas, & ex parte diſpoſitionis in participantibus ſit æqualitas, recipiunt ſinguli æqualem effectum Sacrificalem.

Id quò magis appareat. Quæro ab Aduerſariis cur non eodem modo Philoſophantur de facto de vnoquoque Sacramento reſpectu ſumentium, quemadmodum Philoſophantur de Sacrificio reſpectu offerentium; nam alia aſſignatur ratio, niſi quia Sacramentum quodlibet talis naturæ eſt, vt eo ipſo, quod pluribus applicatur ipſum multiplicetur, & plura fiant Sacramenta; vnde deſtruitur ſuppoſitum de eodem numero Sacramento reſpectu ſumentium. Hæc eſt tota ratio, in qua conueniunt Suarez, & Vaſquez. Hunc verò ſubſumo cum P. Vaſquez: Sed Sacrificium ſuapte natura ita inſtitutum eſt, vt idem numero pro pluribus, & paucioribus offerri poſſit, nec eo ipſo, quod ſic pluribus applicatur, ipſum multiplicatur, aut diuiditur in plura Sacrificia, ſicut illud in plura Sacramenta, & cæteroquin eius virtus inſtar Sacramenti infinita eſt, ergo oblatum pro pluribus perinde, in ſingulos operatur, ac ſi pro paucioribus offerretur, ad eum plane modum, quo Sacramentum quodlibet in ſingulos operaretur, ſi applicatum pluribus maneret idem, & non multiplicaretur.

Hanc eandem conſequentiam illuſtrant ſatis exempla quædam, quæ habemus in natura, cuiuſmodi ſunt de lumine, & de voce; nam idem lumen lucernæ applicatum multis rebus, quas illuminat, non minus illuminat ſingulas, quàm ſi paucioribus, aut vni tantum applicaretur; & eadem vox, cum ad plures extenditur, & ab eis auditur eodem modo immutat auditum ſingulorum, ſicut ſi ad pauciores, aut ad vnum vnum ſolum extenderetur. Et quamuis hæc exempla ab aliquibus, etiam aſſertoribus noſtræ ſententiæ non magni fiant; immeritò tamen, quia non ſolum rem, de qua diſputamus declarant, ſed etiam ſuggerunt rationem; nam iuxtà omnium Philoſophorum doctrinam, ideo agentia illa applicata pluribus ſubiectis non minorem effectum in ſingulis operan- VI. *Confirmatio ſumpta à rebus naturalibus.*

tur, quàm si paucioribus applicarentur, quia virtutem Physicam, quam ad operandum habent, accommodatam, & proportionatam habent ad quantitatem dispositionis, & capacitatis subiecti; sed Sacrificium, virtutem suam moralem, quam habet ad operandum, accommodatam etiam habet ad quantitatem deuotionis, & dispositionis participantium; ergo applicatum pluribus participantibus, non minorem effectum in singulis operatur, quàm si paucioribus applicaretur. Quod verò Sacrificium virtutem suam sic accommodatam habeat, probauimus quæstione septima, & nunc vlterius confirmamus ab hac paritate rationis, nam quod agentia illa Physica talem habeant, duplex est ratio, & argumentum; alterum à priori, alterum à posteriori. A priori, quia sunt publicum bonum in natura. De ratione autem publici boni est, vt ex eo quod magis publicum fiat, & pluribus communicetur, non minuatur. A posteriori autem, quia experientia comprobamus huiusmodi effectus ita procedere. Iam verò vtraque ratio æque militat in re nostra; nam quod Sacrificium sit publicum Ecclesiæ, immò Mundi Bonum, nemo est, qui possit diffiteri, in quo habemus paritatem rationis à priori. Quod verò, neque desit huic paritati ratio à posteriori, hoc fecerunt Aduersarij, nam ipsi testantur in offerentibus ita omnino procedere effectus Sacrificij, vt omnino sint commensurati ipsorum dispositioni, quod Aduersariorum testimonium in hoc disputandi genere contra ipsos, æquipollet experientiæ. Admisso autem hoc modo operandi in aliquibus, admittendus is in omnibus est, quia talis modus in aliquibus non potest consistere sine virtute Agentis in se, & ex se indeterminata, quæ ea ratione, qua operatur in aliquo, operatur in omnes.

VII. *Authores pro nostra sententia.* Pro hac nostra sententia in primis est Caietanus Tom. 2. Opusc. tract. 3. quæst. 2. & 3. & 3. par. quæst. 79. art. 5. ex principiis S. Thomæ. Siluester in sum. 1. quæst. 9. Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 13. Viguerius de Institutionibus Theologicis cap. 16. Riccardus art. 16. Angelus in Sum. numero 52. Antonius de Corduba lib. 1. quæst. 3. Sotus in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 1. §. Illi autem, pro quibus. Nugnus in 3. par. S. Thomæ quæst. 83. art. 1. Dub. 8. Vasquez 3. Tom. in 3. par. disput. 231. Lessius lib. 12. de Perfect. Diuinis cap. 14. & alij.

Contrariam sequuntur plures Recentiores, præsertim post P. Suarez, qui disput. 79. Sect. 12. hanc statuit Conclusionem, effectus Sacrificij respondens oblationi Sacerdotis, vt sic, quam ipse potest pro aliis offerre, finitus est, & vnus tantùm; vnde si pro multis offeratur, siue diuersis intentionibus specialibus, siue vna tantùm communi, *vt pro populo, vel communitate*, minuetur fructus in singulis, tantóque magis, quanto illi plures fuerint, supposita vniformi applicatione. Itaque P. Suarez, quod est notandum non solum negat vnicum Missæ Sacrificium oblatum speciali intentione pro multis, singulis æque

VIII. *Quid sentiendum de participantibus ex generali applicatione.* prodesse atque oblatum pro vno, sed pariter negat sic prodesse oblatum pro pluribus generali intentione, quod non omnes Authores suæ opinionis negare ausi sunt, & quidem merito. Quis enim facile concesserit à Sacrificio oblato pro tota Ecclesia minus fructus ex opere operato fidelium singulis prouenire, si Ecclesia sit amplior, quam si sit minor, & quo magis crescit populus Christianus eo magis minui talem fructum, & plus lucrari cæteris paribus, qui sunt

in Communitate, seu Collegio minori, quàm in maiori: Et in die Commemorationis fidelium omnium Defunctorum, minus prodesse Sacrificia singulis, si plures Animæ sint in Purgatorio quàm si pauciores. Sed P. Suarez cohærentius procedere sibi visus est, quàm Soto, qui docet nihil minui de Sacrificio oblato, generali intentione pro pluribus, minui verò si speciali intentione offeratur; nam vel opus operatum huius Sacrificij est finitum, vel infinitum, si finitum etiam per generalem applicationem necessariè minuitur, si infinitum, etiam per specialem non minuitur.

Neque verò tolerandum videtur illorum effugium, qui aiunt, Communitates, pro quibus generali applicatione hoc Sacrificium offertur, nihil fructus ex opere operato percipere, sed tantum ex opere operantis; quo enim fundamento, aut authoritatis: aut rationis id affirmant; cum Sacrificium principaliter institutum sit pro bono communi, & tota Ecclesia, cui ex præscripto in Liturgia expresso, applicatur à Sacerdote? Et sanè ait P. Lessius, si quando Sacrificium pro aliquo priuatim offertur, nullus fructus istius oblationis, quem vi sua habet, puta fructus ex opere operato, perueniret ad Ecclesiam, vel defunctos, sed solus fructus precum, & operis operantis, valde angustus esset huius Sacrificij fructus, & parum commodi ex eo Ecclesia, & defuncti perciperent; neque verum esset, quod ait Tridentinum Sess. 22. cap. 2. fructus oblationis cruentæ *vberrimè* per hanc oblationem percipi; quomodo enim vberrimè percipiuntur isti fructus, si totus fructus, quem vi sua, & ex opere operato habet, restringitur ad eum, pro quo peculiariter offertur.

Sed quibus argumentis permotus in suam iuerit sententiam P. Suarez, operæ pretium erit examinare, vt qui in posterum de eligenda sententia sunt deliberaturi, causam plenius cognitam habeant, & in re, quantum ego existimo valde graui ex ipsis rationum momentis, potius quam ex opinantis authoritate iudicium ferant.

Primum ergo argumentum sumit ex vsu, vt ipse ait, Ecclesiæ, in qua quandocumque offertur Sacrificium verbi gratia, pro anima Petri, vt illi omnino prosit quantum ex intentione Sacerdotis potest, pro illa tantum, & non pro aliis applicari solet. Si autem institutio facta à Christo fuisset, vt absque vnius detrimento possent multi alij æqualem fructum percipere nunquam deberent Sacerdotes vni tantum applicare Sacrificij effectum. Cur enim priuarent cæteros tanto fructu? IX. *Ex vsu Ecclesiæ.*

Respondeo, negando talem vsum, aut de facto vniuersalem in omnibus esse, aut legitimum in pluribus. Noui ego viros doctos, & pios, qui multis seorsim petentibus, vt pro se singulis totum vnius Missæ Sacrificium offerretur, ipsi diuersis intentionibus adæquatis, & vt ita dicam totalibus eandem Missam singulis vt illis prodesset despondebant, & sic eam singillatim pro singulis offerebant, Certè Caietanus, qui vt verbis vtar Bellarmini de Scriptoribus Ecclesiasticis, vir fuit *Summi Ingenij, nec minoris pietatis* hac ipsissima vsus praxi censendus est. Is enim in 3. par. quæst. 79. art. 5. ponderans duas assertiones S. Thomæ: primam quod Sacrificium ex sui quantitate sufficit ad satisfaciendum, pro omni pœna. Alteram quod sit satisfactorium offerentibus, vel pro quibus offertur secundum quantitatem suæ deuotionis. Ex primo dicto ha- X. *Vsus applicandi Sacrificium vni tantum non laudatur.* XI. *Horabilis Doctrina Caietani.*

bes, inquit Caietanus, quod vna Missa ex parte sui, est satisfactoria pro pœnis omnium peccatorum, tàm viuentium, quàm mortuorum, quoniam vt sic est valoris infiniti. Ex secundo dicto habes, quod vna Missa non perdit vim satisfactionis suæ pro primo offerente ex hoc, quod pro secundo, tertio, quarto offeratur, sicut quantitas deuotionis vnius nihil tollit de quantitate deuotionis alterius. Vnde arguendi, instruendique simul sunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro sua eleemosina, totam sibi, aut suo defuncto Missam dari; nihil enim minus ipse habebit, si nulle alij petant eandem Missam pro se

XII. *Praxis petendi pro se tantùm totam Missam improbatur.*

ipsis, & aliis defunctis, quam si pro ipso solo celebrari dicatur, immò & huiusmodi in deuotione sic petentis damnum videtur incurre, quod minus sibi proderit: Hæc Caietanus doctè, & piè cuius verbis insinuatur quoque satis causa, & radix vulgaris abusus, vel petentium pro se solitariè offerri, vel sic quasi ex necessitate, fructus offerentium, illa est, in aliquibus defectus scientiæ, ob quem, ait Caietanus sunt instruendi, in omnibus ferè reliquis tepor Charitatis,

XIII. *Taxatur spiritualis auaritia quorundam Sacerdotum.*

ob quem sunt corrigendi. Quare (quæ erat altera pars responsionis nostræ) non est existimandus legitimus plurium Sacerdotum vsus, qui ex eo quod suam Missam alicui, siue Charitatis, siue Iustitiæ titulo obligarint, pro aliis eandem petentibus, & subrogantibus offerre se posse negant speciali illa intentione; & effectu totali, vt illis quoque omnino prosit.

XIV. *Sacrificium quàm commune sit bonum ostend tur ex sacro Canone.*

Et sanè si institutionem huius Sacrificij ad normam Sacri Canonis exigamus, planè constat illud esse institutum, vt commune omnium bonum: in illo enim non solum generaliter pro Ecclesia vniuersa, & rursus distribuendo pro Principibus, & omnibus Orthodoxis, sed specialiter pro his, qui in Memento cogitantur, & omnibus circumstantibus offerri dicitur hoc Sacrificium: constat autem, ait Caietanus Tomo 2. tract. 3. cap. 2. quod non est determinatus numerus cogitandorum in Memento, & multo minus determinatus est numerus circumstantium, & quod nullus horum ex alterius consortio minus habet de effectu Missæ; & quod hæc non referuntur ad Orationem, sed ad Sacrificium, quoniam ibi expressè dicitur: *pro quibus tibi offerimus*, & quod non solum pro impetratione, sed pro satisfactione offeratur, quoniam expresse dicitur: *pro redemptione animarum suarum*; redemptio enim à malis est, vt ipsum nomen testatur, satisfactio per modum solutionis est, sicut Christus redemit nos soluendo pretium Deo Patri. Quæ sanè offerendi institutio, & supponit potestatem ex parte Sacerdotis, & sufficientiam ex parte Sacrificij. Et consequenter præterea obligationem aliquam inducit, saltem petentes non excludendi à quantumuis specialissima Sacrificij applicatione, supponit inquam potestatem ex parte Sacerdotis, &

XV. *Sacerdos ex officio nullum potest excludere.*

quidem ex munere eius, quia est mediator, & intercessor publicus, qui tenetur audire accedentes per ipsum ad Deum, sufficientiam ex parte Sacrificij, ex cuius valore, & virtute nunquam tantum accipi potest, quin multo magis restet accipiendum, ex quo tandem confici videtur, quod sicut omnium nomine, & pro omnibus offerre debet Sacerdos affectu generali, quo totam ad ipsum accurrentem includat Ecclesiam, ita ab intentione etiam speciali neminem specialiter postulantem, positiuè potest excludere. Sed quatenus se extendat hæc obligatio

XVI. *Ex absurdo.*

explicabitur fusius libro quinto.

Secundum argumentum ex absurdo, quia per se loquendo, & considerando rem

rem ipsam, seu æqualitatem, vel inæqualitatem, quæ in re ipsa sit, sequeretur posse Sacerdotem sine vlla iniustitia plura stipendia integra accipere ratione vnius Sacrificij, vel quod idem est, postquam à pluribus stipendium accepit, omnibus satisfacere vnico Sacrificio, totum illud singulis applicando, quod videtur absurdum.

Propter hoc argumentum, quod aliquibus aliquid negotij facessit, peculiarem quæstionem instituemus, in qua examinabimus, an ex conditionibus nostræ sententiæ sequatur hoc, vt possint pro vnica Missa plura accipi integra stipendia. Interim hoc tantum dico, cum agitur de stipendiis pro Missis non esse considerandam rem ipsam, seu æqualitatem, vel inæqualitatem, quæ in re ipsa fit, si pro re ipsa intelligatur Sacrificium ipsum, seu oblatio Sacrificalis cum suo qualicumque spirituali fructu; ratio est apertissima, quia hac attenta, non solum in nostra, sed etiam in contraria sententia, non esset iustum exigere pro vnica Missa, non dico vnum, aut centum denarios, sed decem millia auri talenta; quia nihil numquam vltrà rei datæ valorem, exigeretur, & acciperetur. Non ergo attenditur res ipsa, nec potest attendi, cum de Missæ stipendio agitur sine maximo crimine Simoniæ, vt docet S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 2. quia est res, quæ pretio æstimari non potest. Vnde S. Doctor cum de huiusmodi stipendio agit, cauet sibi à voce pretij & mercedis exemplo Augustini, qui lib. de Pastor. cap. 2. de Presbyteris, ait. Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. Cum igitur in taxando iusto stipendio aliud omnino præter Sacrificij opus attendendum, considerandumque sit: videant etiam, atque etiam Aduersarij, an hoc aliud, quod attendendum est, diuersum sit posita veritate nostræ sententiæ. An planè idem in quacumque sententia circa valorem, & fructum Sacrificij, quid autem illud sit, Aduersarij optimè norunt, & nos ex illorum aperta confessione explicabimus infra.

XVII. *Pro stipendio nō consideratur valor huius operis.*

XVIII. *Ex sensu fidelium.*

Tertium Argumentum. Ex vsu, & sensu Ecclesiæ constat, duo Sacrificia oblata pro eadem persona plus illi prodesse, quàm vnum, ergo etiam pro duabus personis duo Sacrificia pro illis oblata plus illi proderunt, quàm vnum oblatum pro vtraque.

XIX. *Vna Missa oblata pro duobus in solidum tanti valet, quanti singula integra oblata pro singulis.*

Respondeo, admittendo antecedens, & distinguendo consequens. Potest enim facere duplicem sensum, vt ipse Author animaduertit, scilicet, vel quod duæ Missæ ita offerantur pro duobus, vt singulæ offerantur pro ambobus, vel quod sigillatim offerantur, idest vna Missa pro vna persona, & alia pro altera. Si faciat priorem sensum concedo vltro consequentiam, quia siue duo Sacrificia offeruntur pro vna persona solitariè, siue pro eadem persona coniunctim cum altera, semper talis persona bis expletur secundum totam capacitatem suæ dispositionis. Sola enim concomitantia alterius impedire non potest quo minus Sacrificium operetur secundum suam naturam, hoc est quantum potest iuxtà capacitatem subiecti. Quare manifestum est plus recipere talem personam à duobus Sacrificijs sic oblatis, quam ab vno. Si verò faciat sensum posteriorem, negatur consequentia, quia hoc modo oblata vna Missa pro duabus personis in solidum, vel duæ Missæ pro duabus personis diuisim, idest vna pro vna, & altera pro altera, non magis proderunt eius duæ, quàm vna, quia semper ex vna tantum Missa, vas capacitatis

XX. *Duæ Missæ pro duobus sigillatim non pluris illis valent, quàm pro iisdem in solidum.*

xx

repletur: vnde patet hanc responsionem non esse voluntariam, & gratis dictam; oritur enim ex visceribus huius sententiæ, quæ docet ex Missa non minus percipi fructus, quàm capiat cuiusque dispositio, seu deuotio, quo fit, vt siue eadem pro aliis etiam offeratur, vel non offeratur, semper habeatur quantum potest; quod si Missæ multiplicentur, multiplicatur etiam totus fructus iuxtà eandem mensuram, perinde, ac si quis pluries, & pluries eandem crumenam noua pecunia impleat; neque enim prior pecunia, quæ spiritualis est impedit, aut excludit ab eadem persona aliam superuenientem.

Instat P. Suarez, quia moraliter non plus est eidem personæ his remittere pœnam, vt quatuor, quam duabus personis remittere vnicuique pœnam etiam vt quatuor. Nam ad vtrumque requiruntur octo gradus satisfactionis, & valde extrinsecum, & accidentarium est, quod hi gradus vni, & eidem personæ applicentur, vel inter plures distribuantur; ergo sicut eidem personæ non potest fieri duplex applicatio effectus totalis eiusdem Sacrificij, sed requiritur duplex Sacrificium, ita enim diuersis personis non potest idem effectus vnius Sacrificij totaliter applicari.

XXI. *Tanti valet circa subiectum dispositum vti quatuor vna tantùm Missa, quanti dua circa dispositum tantùm vt duo, cæteris paribus.*

Respondeo, nullam in argumento esse difficultatem, si attendatur ad suppositum nostræ sententiæ, illud autem est. Habenti dispositionem, vt quatuor ex quolibet Sacrificio prouenire illum fructum, & nunquam prouenire fructum minus quàm quatuor, siue sit in alterius consortio, siue non. Itaque si duo Sacrificia pro vna eademque persona offerantur, recipiet talis persona bis quatuor; & si mille, millies quatuor. Si verò vnum tantum pro illa totaliter offeratur, recipiet semel fructum; quia ab vna illi applicatur, nec minus, aut magis quàm quatuor, quia supponimus eam habere dispositionem, neque maiorem, neque minorem quàm vt quatuor. Hinc constat quare eidem personæ non potest fieri duplex applicatio effectus totalis eiusdem Sacrificij, quia vnum, & idem Sacrificium in subiectum tantum capax, vt quatuor, non operatur nisi vt quatuor; ergo vt multiplicetur applicatio, debet multiplicari Sacrificium, si vero duæ personæ sint singulæ habentes capacitatem, & dispositionem, vt quatuor, non est necesse, vt ad applicationem fructus vtrique semel vt quatuor duplicetur Sacrificium, quia cum sacrificium vnum sit sufficientiæ infinitæ, potest idem ambas implere ad eum modum; quo idem fons plura, & plura vasa implere potest.

XXII. *Ex intrinseca limitatione effectus.*

Quartum Argumentum. Quia in effectu satisfactionis non est alia intentio effectus, quàm multitudo satisfactionis, sed effectus Sacrificij est limitatus intensiuè, simpliciter loquendo, sicut est limitatus effectus Sacramenti, nam quoad hoc eadem est ratio, aliàs etiam respectu eiusdem personæ non esset limitatus hic effectus quoad intensionem, seu multitudinem satisfactionis, quod est manifestè falsum. Satisfactio ergo applicanda per hoc Sacrificium simpliciter est limitata quoad intensionem seu magnitudinem suam, ergo est limitata respectu cuiuscumque personæ, seu multitudinis personarum. Patet consequentia, quia quantitas effectus eiusdem rationis est, siue vni, siue multis applicetur.

XXIII. *Satisfactio applicanda non est simpliciter limitata.*

Respondeo in argumento assumi, quod necessario esset probandum, effectum scilicet Sacrificij esse limitatum intensiuè, cum contraria sententia apertè doceat, effectum Sacrificij esse simpliciter indeterminatum quantum est in se, tum extensiuè, tum intensiuè: determinari autem extensiuè ab intentio-

ne Sacerdotis potestatem habentis offerendi pro personis non tot quin pluribus; intensiuè vero determinari à dispositione, & deuotione singulorum.

Quintum Argumentum. Effectus respondet oblationi, quæ nullo modo in se variatur, ex hoc quod fructus eius vni, vel multis applicetur; nam hoc est quid posterius, & extrinsecum oblationi; ergo non est cur multiplicetur effectus propter solam voluntatem Sacerdotis volentis vni tantum, vel multis effectum tribuere. In quo est etiam magna diuersitas inter Sacramentum, & Sacrificium; nam Sacramentum non applicatur multis nisi per realem multiplicationem, & si contingeret idem numero Eucharistiæ Sacramentum dari multis, saltem sumptiones ipsæ multiplicarentur, quia in receptione consistunt; & ideo mirum non est, quod multiplicentur effectus: at verò oblatio Sacrificij vel multis applicata quoad fructum eadem omnino est, solumque extrinseca voluntas applicantis est diuersa; ergo non potest illa sola efficere, vt effectus augeatur. XXIV. *Ex correspondentia effectus.*

Respondeo ex doctrina Caietani, negando assumptum, nam opus operatum huius Sacrificij considerari potest dupliciter: Primo secundum se ipsum absolutè; secundo secundum se ipsum applicatum huic, vel illi. Si consideretur secundum se ipsum absolutè, nullum habet particularem, & determinatum effectum in quocumque homine, sed tantùm in ordine ad Deum habet acceptabilitatem; cum enim secundum se sit infinitæ virtutis etiam in satisfaciendo; non esset maior ratio ex se, quare magis tantum, & non minorem satisfactionem daret. Si verò sumatur vt applicatum isti, vel illi: sic effectus eius est determinatus secundum quantitatem deuotionis. Sicut enim efficacia Passionis Christi determinatur ad hunc per hoc, vel illud Sacramentum, ita efficacia huius Sacrificij, per hanc vel illam deuotionem. Itaque ad determinationem effectus non solum concurrit intentio Sacerdotis, sed dispositio etiam, & deuotio eius, pro quo oblatio offertur: immò intentio Sacerdotis propriè est circa personas, quia intentio Sacerdotis applicat Sacrificium huic, vel illi, deuotioni autem propriè effectus respondet; vnde dixit Caietanus, deuotionem pertinere ad applicationem Sacrificij, eamque non solum intentione Sacerdotis determinantis personas, sed deuotione etiam illarum adiuncta perfici; ita vt quanta est deuotio, tanta applicetur eis ex oblationis infinitate satisfactio. Absolutè ergo loquendo, & propriè; falsum est, quod assumitur in argumento; effectum scilicet respondere oblationi; in quo, ait Caietanus, videtur communis multorum error, quasi hæc oblatio habeat certum meritum, vel certam satisfactionem, quæ applicatur huic, vel illi. Rursus falsum est applicari effectum ex sola voluntate Sacerdotis, quia applicatio effectus non perficitur ex sola intentione Sacerdotis, vt diximus, sed etiam ex aliena deuotione. Ex quo patet ad id, quod additur de diuersitate inter Sacramentum, & Sacrificium. Sicut enim si idem numero Eucharistiæ Sacramentum daretur multis, multiplicaretur effectus, quia multiplicantur sumptiones, itaque ad multiplicationem personarum, pro quibus offertur, multiplicantur dispositiones, & deuotiones, multiplicantur quoque effectus eiusdem numero oblationis.

XXV. *Effectus non respondet oblationi sed deuotioni.*

XXVI. *Oblatio non est de se determinata ad tantum effectum.*

XXVII. *Applicatio Sacerdotis determinat subiectum non effectum.*

XXVIII. *Retorquetur paritas Sacramenti.*

Sextum Argumentum. Est per se incredibile, gratis, & sine vlla causa, po-

XXIX. *Ex improbabilitate.* fuisse Christum in sola libertate Sacerdotis, vt vel multis, vel paucis, vel vni tantùm omnino æqualiter seu oblatione prodesse posset, nec minus incredibile est, dedisse Christum Sacerdotibus hanc facultatem, & tanto tempore fuisse, tam ipsis; quam Ecclesiæ incognitam; vel è contrario incredibile est illis esse notam, & tamen voluntariè non vti illa; sine causa enim limitarent Sacerdotes hunc effectum ad vnam, vel paucas personas; si possunt omnibus, & singulis totum applicare; immò si Christus voluisset, vt posset, hoc modo omnibus applicare, melior institutionis modus fuisset, hanc virtutem dare ipsi Sacrificio secundum se independenter à voluntate Sacerdotis, quàm hoc gratis, & sine causa ponere in eius arbitrio.

XXX. *Potestas Sacerdotis illimitata.* Respondeo. Neque incredibile esse, neque à nobis gratis assertum, neque sine magna causa factum, vt Sacerdos potestatem habeat applicandi omnibus, & singulis totum effectum Sacrificij modo à nobis explicato. Et quidem, quod non sit incredibile, satis insinuat modus illimitatus, & indeterminatus, quo in sua ordinatione potestatem accipit Sacerdos. Accipe, inquit Christus, per Episcopum; accipe potestatem offerendi Sacrificium pro viuis, & defunctis. Vbi est in hac Ordinis forma, limitationis cuiuscumque vestigium?

Quod non sit gratis assertum patet ex fundamentis nostræ sententiæ, quibus adde ex P. Vasquez disp. 231. cap. 3. non obscurè indicari hanc potestatem taliter offerendi pro multis in speciali, & peculiari applicatione ex ipsa generali oblatione, quæ ex præscripto Ecclesiæ fit. Et enim quod Aduersarij, ipsi concedunt, ait P. Vasquez, oblatio huius Sacrificij facta pro pluribus generali intensione perinde singulis prodest, ac si pro paucioribus fieret, alioquin sequeretur, quo plures audiunt eandem Missam, & quo plures ministrant, eò minus singulis prodesse, & ita immeritò Ecclesiam instituisse in Canone Missæ, vt pro his omnibus simul Sacrificium offerretur. Quod si hoc modo oblatum pro pluribus, non minus hoc Sacrificium singulis prodest, quàm si pro paucioribus offerretur: ergo certè non video, ait P. Vasquez qua ratione oblatum ex peculiari intentione Sacerdotis pro pluribus aliis, aut nominatim, & sigillatim, aut generali quadam commemoratione, sicut fieri solet, non ita prosit singulis, sicut pro paucioribus eodem modo offeratur. Neque enim addit idem Author, cum dicimus oblatum pro pluribus perinde singulis prodesse, intelligimus de eodem genere, & modo oblationis, aut generali, aut speciali, neque plures paucioribus in diuerso genere oblationis comparamus.

XXXI. *Sicut se habent plures inter se respectu generalis oblationis, ita plures inter se respectu, specialis.*

XXXII. *Grauis causa talis Institutionis.* Denique quod cum magna causa factum sit ex eo constat: quia hunc offerendi modum postulabat, & natura Sacrificij, & vtilitas nostra. Natura Sacrificij, quæ est commune omnibus bonum, quod non potest in se, & per se, esse limitatum, & finitum, neque intensiuè, neque extensiuè, vtilitas nostra, quia cum ex quantitate nostræ deuotionis pendeat determinatio, & quantitas fructus, stimulamur magis ob spem tanti lucri, & incrementi ad illam studiosius augendam.

XXXIII. *Cognita ab initio Ecclesiæ.* Neque Doctores nostræ sententiæ admittunt talem potestatem incognitam, aut otiosam tanto tempore in Ecclesia fuisse. Immo dicunt notam ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio maximè fuisse, quando pauci Sacerdotes pro omnibus. & singulis Sanctis Christianis id petẽtibus, & postulantibus totum Sacrificiũ offerebat,

& applicabant. Ad quod videtur hortari Apostolus Timotheum Sacerdotem 1. Timoth. 2. iuxtà interpretationem Chrysostomi Homil. 6. Docent præterea ex illo factum esse, vt in sacro Canone Missæ præscripta sit oblatio facienda pro vniuersis, non solum collectiuè, sed etiam distributiuè, ita vt pro omnibus, & singulis in Liturgia nominatis à Sacerdote nominandis, non simplex fiat veluti commendatio, sed vera, & propria sacrificalis oblatio, *pro quibus tibi offerimus*, quem sanè modum totum Sacrificium applicandi in nostris etiam specialibus intentionibus sequi debemus, ne sub Domino tam liberali, auarissimi serui, & oeconomi inueniamur. Cui quidem malo, vt maxima ex parte Christus occurreret, non commisit arbitrio Sacerdotis id, quod postremò assumitur in argumento, determinationem effectus, & fructus, sed voluit illam pendere à dispositione, & deuotione Sacrificium postulantis. Et quamuis Sacerdos liber sit ad offerendum, vel non offerendum, si tamen offerat, non potest sine peccato ab oblatione sacrificali quemquam excludere positiuè secundum hanc sententiam. Et dubitatur meritò, an factum teneat, quia oblatio Sacrificij ex intentione Christi explicata ab ipsis verbis Ecclesiæ, est vniuersalis, & ideo hoc ipso quod Minister offert in persona Christi, & Ecclesiæ, tenetur se eiusdem Christi intentioni ab Ecclesia sic explicatæ conformare.

XXXIV. *Sacerdos non potest à sacrificio quemquam excludere.*

QVÆSTIO XI.

Vtrum ex Sententia docente Sacerdotem celebrantem pro pluribus satisfacere ex toto pro singulis, sequatur posse eum à singulis iustum stipendium integrum accipere.

I. *Inquiritur causa vnde licet pro Missa stipendium accipere.*
II. *Non licet stipendium accipere tanquam pretium operis.*
III. *Neque tanquam pretium laboris essentialis.*
IV. *Sed ob solam sustentationem operantis.*
V. *Vera ratio illustratur exemplo.*
VI. *Consectaria huius doctrinæ.*
VII. *Tota causa cur non liceat accipere pro vna Missa duplex stipendium.*

VIII. *Infertur, ex nostra Sententia non sequi licitum esse plura stipendia accipere.*



NTER argumenta, quibus nititur P. Suarez oppugnare sententiam, quæ docet, ex vna Missa pro certa persona oblata, posse multas alias æqualem fructum percipere sine vllo prorsus huius detrimento, si eadem pro multis aliis etiam offeratur. Vnicum tantum est, quod aliquid præseferre videtur difficultatis, nimirum ex huiusmodi sententia sequi per se loquendo, & considerata æqualitate, vel inæqualitate, quæ in re ipsa fit, posse Sacerdotem plura stipendia integra accipere ratione vnius tantùm Sacrificij sine vlla prorsus iniustitia, atque adeo obligatione restituendi. Et quoniam non paucos video ab hac tantum sequela deterreri, quòminus veram sententiam amplectantur, necessarium esse existimaui hoc punctum seorsim examinare: An scilicet ex hac sententia sequatur hoc, vt possint pro vna eademque Missa plura accipere integra stipendia.

Vt autem rem totam conficiamus, oportet inter P. Suarez, & nos conueniat; vnde oritur, quod non possit Sacerdos, seruata Iustitiæ æquitate, ratione vnius Missæ accipere, nisi vnum adæquatum stipendium siue ab vna, siue à multis personis. Si enim causa est semper eadem, & æquè militat quocumque modo effectus vnius Missæ constituatur, & explicetur, profectò nulla ratio patitur vt nostra potius sententia eius absurditate sequelæ meretur.

I. *Inquiritur causa vnde licet pro Missa stipendium accipere.* Vt autem veram radicem teneamus, cur absolutè, & spectata natura Iustitiæ non liceat duplex pro vnica Missa stipendium recipere, nulla certior, & facilior via iniri potest, quàm indagando, cur, & vnde licet pro Sacrosancto, ac Diuinissimo Missæ Sacrificio, vel vnicum stipendium accipere. Et sanè multo difficilius est intelligere, qua ratione pro re, nullo prorsus pretio æstimabili aliquid temporale accipere liceat, quàm facta iam licita tali acceptione intelligere, quomodo multiplicari pro illa, stipendia possint in infinitum.

Tangit hanc difficultatem P. Suarez disp. 86. in 3. par. Sect. 1. vbi docet stipendium nunquam dari, aut dari posse tanquam pretium operis, sed præcisè propter substentationem operantis. Sunt quidem Doctores nonnulli, qui in
II. *Non licet stipendium accipere tanquam pretium operis.* opere ipso duo considerant. Primum, oblationem sacrificalem cum suo fructu spirituali. Secundum corporalem laborem ex occupatione ipsa sacrificandi. Et quidem fatentur opus illud sub ratione oblationis, & fructus non posse vlla ratione pretio æstimari, aut in pactum deduci: esset enim in hoc manifesta Simonia. Sed aiunt illud idem opus sub ratione laboris corporalis esse pretio æstimabile, quia res spiritualis non amittit suum temporalem valorem propter spiritualem conditionem annexam. Sed quidquid sit de hac sententia, certè illam Aduersarij, contra quos hic agimus, non admittunt, quia vt nominatim docet P. Suarez, quamuis labor corporalis, qui non per se, sed per accidens ad spirituale ministerium requiritur, pretio verè æstimari possit, & quod idem est, ven-
III. *Neque tanquã pretium laboris essentialis.* di; tamen ille, qui est per se conjunctus cum spirituali ministerio, non potest vendi, quia tanquam vnum omnino cum ipsa re spirituali reputatur, quod præcipuè, inquit, verum habet quando actio ipsa corporea nullius esset æstimatio-

nis, & valoris, nisi spiritualitatem haberet adjunctam; tunc enim tota æstimatio oritur ex ratione spirituali, & ideo talem actionem corporalem vendere, reuera esset vendere rem spiritualem.

Itaque P. Suarez nulla prorsus ratione ipsius operis habita, totum fundamentum veræ doctrinæ explicat per ordinem ad personam operantis. Quia, inquit, stipendium, solum datur ob substentationem necessariam ex naturali lege, qua vnusquisque meretur ali ab eo, cui deseruit, vel in cuius ministerio occupatur; atque adeo cum præcipuum munus, & officium Sacerdotis sit sacrificare si in alicuius vtilitatem illud exhibet, & in hac occupatur, naturalis ratio postulat, vt ab ipso alatur. In quo sanè nulla fit iniuria rei spirituali, sed humanæ subuenitur necessitati, quia Minister sine alimento viuere nullo modo posset, nec spirituali ministerio vacare; vnde tandem fit, vt idem pacti genus possit admitti de huiusmodi stipendio, quod intrinsecè in similibus humanis actionibus contineri solet; neque quidquam contra Euangelicum illud præceptum committatur, quod gratis accepistis, gratis date. IV. *Sed ob solam substentationem operantis.*

Explicat hoc totum, omnium facillimè Cardinalis de Lugo disput. 21. de Eucharist. Sect. 1. exemplo Pictoris, qui ex voto non posset vendere suas operas, aut picturas, sed teneretur gratis depingere in obsequium alicuius Ecclesiæ. Is igitur Pictor nihil contra votum committeret petendo ab Ecclesia illa sumptus necessarios ad colores; & si ad laborandum in gratuito illo opere, peculiari alimento indigeret, ita illud posset accipere, vt diceretur in rigore omnino gratis, & non pro pretio fecisse illud opus, quia omnia necessaria ad sustentationem Pictoris computantur inter sumptus necessarios ad picturam. Sic ergo, inquit de Lugo: Sacerdos Euangelicus non facit contra præceptum Christi gratis dandi, quod gratis accepit, si ab illis, quibus ministrat, accipiat tantum necessaria ad Sacrificium ipsum. Inter necessaria autem ad Sacrificium, vnum, & potissimum sine dubio est Sacerdos ipse, qui sicut non potest sine Ministro, sine cera, sine hostia celebrare, ita nec potest sine se ipso ministrante, & bene disposito, sicut ergo cera ad alimentum ignis necessarij in Sacrificio exigi potest, sic etiam poterit cibus necessarius ad alimentum Sacerdotis oblaturi, qui sine victu offerre non potest; sicut nec ignis lucere sine cera, & alimento. Quamuis ergo hæc accipiat Sacerdos à petente Missam, adhuc dicetur in rigore gratis offerre Sacrificium pro ipso, quia nihil aliud petit nisi quæ necessaria sunt ad ipsum Sacrificium, quod petitur; & dum hæc à Sacerdote petuntur, debentur ex Iustitia, non vt pretium, sed vt necessaria ad Sacrificium, quod petitur. Hæc de Lugo facile, & verè. V. *Vera ratio illustratur exemplo.*

Ex doctrina sic explicata sequuntur proximè duo. Primum est adæquatum titulum, quo stipendium pro Missa accipi potest, esse meritum sustentationis personæ ministrantis. Alterum est, quidquid excedit iustum stipendium præfixum ex hoc titulo nullo modo, salua iustitia exigi posse. Vtrumque vltrò admittit P. Suarez; nam & ille ex S. Augustino, S. Thoma, Durando, Paludano, & communi Sect. 1. illius disp. nullam aliam affert rationem honestatis in iusto stipendio præter meritum sustentationis. Et Sect. 2. ex hoc principaliter probat non posse Sacerdotem accipere duplex stipendium, quia, inquit, iustum stipendium pro vna Missa in re ipsa certum, ac præfixum est; vocat iustum stipendium VI. *Consectaria huius doctrinæ.*

pro vna Missa, quod vel lege Superioris habentis potestatem, vel consuetudine hominum, habita aliqua ratione substentationis taxatum est. Quia igitur, ait P. Suarez iustum stipendium in re ipsa præfixum est. Hinc fit, vt quacumque ratione maius accipiatur, injustum sit, siue accipiatur ab vno tantum, siue pluribus; quia medium Iustitiæ, quod est medium rei in ipsis rebus consistit, siue ad vnam, siue ad plures personas dicat habitudinem: vt si furari decem aureos, peccatum mortale est, idem erit, siue ab vno, siue à pluribus hominibus subripiatur. Et idem est si res carius vendatur, quàm iustè æstimatur, siue ab vna persona totum pretium, siue partim ab vna, partim ab alia accipiatur; supponimus autem hîc cum Aduersariis, stipendium ex præciso illo titulo congruæ sustentationis legitimè esse taxatum; licet enim stipendia non sint verè pretia, tamen quatenus in eis dandis, & recipiendis ratio Iustitiæ intercedit, seruant proportionem quandam, & in eis necesse est aliquod medium æqualitatis inueniri, sine qua nec vera ratio Iustitiæ, nec medium illius reperiri potest: Vnde sicut pretia rerum possunt communi lege, publica authoritate taxari, ita & hæc stipendia. Cum igitur taxatum sit hoc stipendium ad titulum iustæ substentationis personæ eo modo, quo illam Doctores intelligunt; hoc ipso quod exceditur terminus, perit iustus titulus, atque adeo tota honestas illius acceptionis.

VII. *Tota causa cur non liceat accipere pro vna Missa duplex stipendium.*

VIII. *Infertur, ex nostra Sententia non sequi licitum esse plura stipendia accipere.*

Vnde clarissimè tandem ostendo, ex nostra Sententia nullo modo sequi, posse plura stipendia pro vna Missa Sacerdotem accipere. Ratio ex dictis est, quia stipendium nullo modo respicit opus Sacrificij, sed tantum personam operantis illud, & personam hanc ipsam operantis nullo modo respicit, nisi vt humano modo sustentabilem; sed siue opus vnius Missæ integrum pluribus applicetur, siue diuidatur, siue valeat finitè, siue infinitè, semper manet inuariata, & immutata persona operantis, vt sustentabilis; neque enim per hoc, quod Sacrificium pluribus integrè prosit, Sacerdos maiori indiget alimento; ergo quacumque posita opinione de valore Sacrificij, præfixum eodem modo manet stipendium; ergo ex nostra Sententia de peculiari valore operis Missæ nullo modo sequitur, honestam fieri acceptionem maioris stipendij.

Hæc nisi vehementer fallor clariora sunt, quàm vt ea pluribus prosequi necesse sit. Consilium autem fuit ostendere ex natura nostræ opinionis non sequi illud quodcumque absurdum, nam quod iure positiuo cautum etiam sit, ne quis pro vna Missa cuiuscumque valoris esse doceatur, plura integra stipendia accipiat, ostendit Decretum quod authoritate Vrbani octaui edidit sacra Concilij Congregatio 1625. In quo prohibetur huiusmodi acceptio, etiam cum onere restituendi.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER



LIBER QVINTVS.

De Participantibus fructus huius Montis,

SIVE

De iis, pro quibus Diuiniſſimum Eccleſiæ Sacrificium offertur.



INVALVIT quorundam opinio Montem hunc propitiatorium erectum dumtaxat fuiſſe pro actu Amicis, ita vt nullus obtingat fructus ex opere operato niſi exiſtentibus actu in gratia, & charitate. Et quidem qui docent vnicum, & adæquatum effectum Sacrificij, ex opere operato, eſſe remiſſionem pœnæ temporalis, cohærenter, & recte aiunt, neminem participare huiuſmodi fructus niſi amicus actu ſit; nulla enim ratio patitur, vt pœna remittatur ei, qui adhuc hæret in culpa, vel debitum illi condonetur nomine Dei, qui adhuc eſt auerſus à Deo, & hoſtis, ac inimicus. Propterea effectus hic Sacrificij comparatur effectui Indulgentiæ, quæ vt docet Bellarminus cum communi Theologorum in 4. diſt. 20. cum remittat reatum pœnæ temporalis relictum poſt remiſſionem culpæ, ſine dubio requirit, vt culpa ſit iam remiſſa ac per hoc tranſlatus ſit homo per infuſionem gratiæ, & charitatis de ſtatu peccati in ſtatum filiorum Dei, quod nomen ipſum Indulgentiæ ſonat, paternam ſcilicet facilitatem in filios, quæ non debet eſſe communis cum ſeruis maximè fugitiuis, quales ſunt omnes, qui Deo deſerto, Diabolum ſequuntur.

I. *An Sacrificium proſit ex operato ſolis iuſtis.*

Ecclesia Visibilis constat ex iustis, & peccatoribus.

11\. Verùm quamuis hæc vera sint, adhuc tamen sustineri non potest, Montem hunc esse fructuosum ex opere operato, iis tantum qui in gratia sunt, ita vt nullus peccator participare possit, aliquem illius fructum ex opere operato. Imò ex hoc arguitur falsitas illius opinionis, quæ docet totum effectum Sacrificij ex opere operato esse remissionem pœnæ, quia sequeretur ex fidelibus illos tantùm participare posse hunc effectum, qui existunt in gratia. Constat autem ex Tridentino Sess. 22. cap. 1. Sacrificium hoc esse relictum Ecclesiæ Visibili, quæ sine dubio non solum conflatur ex iustis, sed etiam ex peccatoribus contra antiquum errorem Nouatianorum, & Donatistarum. Propterea Christus Ecclesiam suam comparauit Areæ Matth. 3. in qua sunt etiam Paleæ. Item Matth. 13. comparauit Sagenæ missæ in Mare ex omni genere piscium congreganti, quorum tandem aliqui mittuntur in caminum ignis. Præterea Matth. 22. comparauit Conuiuio nuptiali, ad quod intrauerunt boni, & mali, & Matth. 25. comparauit decem virgnibus, quarum quinque sunt prudentes, & quinque fatuæ, & ibidem eandem Ecclesiam comparauit Ouili, in quo sunt oues, & hœdi, & illæ Domino explicante significant electos, isti reprobos. Quibus Parabolis Catholici ita confutarunt Donatistas, vt planè non inuenerint, vllo modo, quà exirent, vt refert S. Augustinus in Breuiculo collationis. Frustrà autem Brentius, & Caluinus apud Bellarminum conantur Augustinum trahere ad suam sententiam; nam S. Augustinus in citato Breuiculo collatione tertia refert, cum Donatistæ calumniarentur Catholicos, duas Ecclesias facere, vnam quæ solos bonos, aliam, quæ bonos cum malis contineret, respondisse Catholicos se nunquam duas Ecclesias somniasse, sed tantùm distinguere partes Ecclesiæ, quia aliter boni, aliter mali ad Ecclesiam pertinent: boni enim sunt pars interior, & quasi anima Ecclesiæ, mali sunt pars exterior, & quasi corpus, & dabant exemplum de homine interiore, & exteriore, qui non sunt duo homines, sed duæ partes eiusdem hominis, quam doctrinam S. Doctor alibi sæpè confirmat, & præsertim lib. 3. Doct. Christ. cap. 32. explicans illud Cantic. *Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, vbi obseruat non esse dictum, nigra fui, sed formosa sum, sed nigra sum, & formosa, quia ipsa vna, & eadem Ecclesia, nunc est nigra, sicut tabernacula Cedar propter peccatores, quos in se habet, & simul est formosa, sicut pelles Salomonis, idest sicut tentoria Regis propter bonos, quos in se habet.

Cum ergo nomine Ecclesiæ intelligatur cetus hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus sub regimine vnius Christi in Terris Vicarij, Romani Pontificis, vt illam rectè definit Bellarminus lib. 3 cap. 2. de Eccles. Milit. ex qua definitione sine dubio non excluduntur quantumuis magni peccatores, necessario dicendum est, Montem hunc fructuosum esse sua institutione, non solum iustis, sed etiam peccatoribus, idque ex opere operato. Verum de huiusmodi participantibus, siue iusti sint, siue peccatores, siue viuentes, siue defuncti plures possunt, institui Quæstiones valde vtiles, & non in iniucundæ, quas omnes præsens liber complectetur.



QVÆSTIO PRIMA.

An & quomodo omnes Christi fideles huius Montis actu participantes dicantur & sint.



VOD quærimus est, An de facto fidelibus omnibus, & singulis, non habentibus obicem obueniat aliquid fructus ex opere operato ab omnibus Sacrificiis, quæ in Ecclesia fiunt. P. Suarez disput. 79. Sect. 9. quæsito secundo, opinatur non omnia Ecclesiæ membra fructum aliquem ex opere operato sortiri per omnia Sacrificia, sed illa tantùm hu-

ius fructus partem recipere, quibus eadem Sacrificia à Sacerdotibus, vel per specialem, vel per generalem intensionem applicantur: Sacerdotes autem nullo Iure teneri ad applicationem sic vniuersalem faciendam.

I. *Proponitur nostra Sententia.* Nos commun. Ecclesiæ sensui insistentes, dicimus ex omnibus Sacrificiis, singulis Christi fidelibus non habentibus obicem viuis, siue defunctis, aliquam partem fructus ex opere operato prouenire. Quam sententiam præter externos quàm plurimos docuerunt ex nostris Toletus lib. 2. cap. 8. Azorius par. 1. lib. 10. cap. 20. quæst. 9. Henriquez lib. 9. cap. 17. num. 2. & 3. Valentia tom. 4. disp. 6. quæst. 11. par. 1. §. 25. Vasquez tom. 3. disp. 231. cap. 6. Fagundez par. 1. lib. 3. cap. 6. Persicus lib. 2. dub. 13.

II. *Eius fundamentum.* Fundamentum nostrum illud est. Quodlibet Sacrificium est fructuosum ex opere operato illis omnibus, pro quibus, siue per specialem, siue per generalem intensionem à Sacerdote offertur, sed per generalem intensionem quodlibet Sacrificium à Sacerdote offertur pro omnibus Christi fidelibus non habentibus obicem; ergo quodlibet Sacrificium est fructuosum ex opere operato omnibus Christi fidelibus non habentibus obicem.

III. *Sacrificium applicatum subiecto disposito necessario in illud operatur.* Maior propositio ab Aduersariis expresè conceditur tanquam communis omnium, ideo Sect. illa 9. vbi quærit P. Suar. Vtrum hoc Sacrificium habeat effectum ex opere operato in his, pro quibus offertur: Certum, inquit, est, Sacrificium hoc dare suum effectum ex opere operato ei, pro quo à Sacerdote offertur, & talis fructus applicatur, etiamsi ille, pro quo sit oblatio, nullo modo offerat, dummodo obicis impedimentum non ponat, & ratio, inquit est, quia hic effectus, cum sit ex opere operato, alicui infallibiliter dandus est, si non ponat obicem; nam hoc est de ratione effectus ex opere operato, sed ille, cui dandus est hic effectus, non est determinatus à Christo institutione sua, neque nunc determinatus per voluntatem eius, vt existentis in Cœlo; ergo non potest esse alius, nisi ille, quem Sacerdos offerens, sua intensione determinauerit, seu pro quo obtulerit, aut cui hunc effectum applicauerit. Hæc enim omnia in idem recidunt. Hæc ille. Cum ergo omne Agens ex opere operato veluti naturaliter agat, si debitè applicatum sit Passo, tenendum est tanquam certum quibuscumque applicatum debitè fuerit Sacrificium, siue speciali, siue generali applicatione, illis aliquid fructus, quasi per modum naturæ obuenire.

IV. *Quodlibet Sacrificium generaliter applicatur omnibus fidelibus.* Minor propositio, nec Solidius, nec efficacius probari potest, quàm ex verbis Sacerdotis, quæ enim potiora, & viciniora sunt. Instrumenta ad mentem, & intensionem humanam explicandam, quam verba? Quæ autem verba ad explicandam intensionem Sacerdotis, quàm verba Sacri Canonis? An non sunt expressissima illa? In primis, quæ tibi *offerimus pro Ecclesia tua Sancta Catholica*, &c. Certè Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 6. vbi ostendit Sacrificium Missæ omnibus viuentibus prodesse hæc habet: Pro iis omnibus, qui sunt intra Ecclesiam, Catholici omnes docent, Sacrificium re ipsa quotidie *offerri*, dicimus etiam in Canone, pro *Omnibus* Orthodoxis, & Catholicæ, atque Apostolicæ fidei cultoribus nos *Offerre*. Neque huic communi doctrinæ potuit non subscribere P. Suarez, qui propterea disp. 78. sect. 2. primam statuit Conclusionem his verbis: Quodlibet Missæ Sacrificium offerendum aliquo modo est pro vniuersa militante Ecclesia, & omnibus membris eius, quod ex vsu ipse, & verbis Ecclesiæ

cônſtat, nam in Miſſa in primis fit oblatio pro vniuerſa Eccleſia; Signum ergo eſt, ita eſſe ab Eccleſia inſtitutum. Sed quamuis hæc dicat P. Suarez, addit tamen vnum, quod meo iudicio deſtruit communem doctrinam, illud autem eſt ex vſu, & verbis Eccleſiæ non colligi oblationem ipſam Sacrificalem omnibus, etiam non habentibus obicem applicari, atque adeo nec dari omnibus partem aliquam fructus ex opere operato, quem ipſe definiuit ſolum in remiſſione pœnæ: quia, inquit, vt fiat vniuerſalis oblatio ſatis eſt, quod deprecatio ſit vniuerſalis, & quoad efficaciam impetrationis Sacrificium offeratur, nam alias cum fructus ſatisfactionis, nota hanc rationem fundamentalem, definitus ſit, vix aliquid ſupereſſet, quod pro aliquo in ſpeciali applicari poſſet.

V. *Non ſolum deprecatio ſed etiam oblatio eſt vniuerſalis.*

Sed contra hanc explicationem eſt apertiſſimè, quia in Sacro Canone, non ſolum fit vniuerſalis deprecatio, ſed etiam vniuerſalis oblatio immò ideo fit vniuerſalis deprecatio, quia eſt vniuerſalis oblatio; ſicut autem deprecatio eſt vniuerſalis quando oratur pro omnibus; ita tunc verè oblatio eſt vniuerſalis, quando pro omnibus non ſolum oratur, ſed offertur, & Sacrificatur, quod verò allata Sacri Canonis verba, non ad deprecationem, ſed ad Sacrificium referantur, optimè infert Caietanus opuſculo ſæpius citato ex Canone ipſo ibi enim inquit, expreſsà dicitur, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt *hoc Sacrificium* Laudis.

VI. *Fructus generalis oblationis.*

Neque minus violenta eſt excluſio fructus ex opere operato, ab illa generali oblatione, cum non ſolum ea ex Canone non colligatur, ſed oppoſitum ſatis inſinuetur; nam quod oblatio illa, ait Caietanus, non ſolum pro impetratione, ſed etiam pro ſatisfactione fiat, ex eo patet, quia expreſsè dicitur: *pro redemptione* animarum ſuarum; redemptio, enim, inquit, à malis eſt, & vt ipſum nomen teſtatur, ſatisfactio per modum ſolutionis eſt, ſicut Chriſtus redemit nos ſoluendo pretium Deo Patri.

Ac mihi quidem violenta videtur illa excluſio, quia Trident. ſeſſ. 22. Canone 3. ſimpliciter definit. Hoc Sacrificium offerri debere pro viuis, & defunctis, & addit expreſsè pro *peccatis, pœnis, & ſatisfactionibus*, in quorum vtique malorum liberatione conſiſtit redempti, de qua in Sacro Canone fit ſermo. Cum verò Concilium, hunc tanquam Sacrificij fructum enumeret, intelligendus eſt ille, qui habetur ex vi Sacrificij & eius opere operato.

VII. *Quid poſſit intenſio Miniſtri.*

Atque hic notandum maxime eſt quod obſeruauit etiam P. Vaſquez diſput. 231. cap. 6. facta generali, aut ſpeciali applicatione Sacrificij non eſſe in poteſtate Miniſtri, vt vnum fructum Sacrificij, ab alio ſeparet, & vnum ſine alio applicet ei, qui vtriuſque ſit capax, ſicut etiam, neque in poteſtate Miniſtri poſitum eſt, vt vnum fructum Sacramenti ſine alio applicet. Intenſio enim Miniſtri ad hoc tantum deſeruit, vt huic, aut alteri, Sacramentum, aut Sacrificium applicetur, omnis autem operatio, & fructus vtriuſque, facta illa applicatione ſtatim conſequitur. Cum ergo negari non poſſit quodlibet Sacrificium pro omnibus offerri ſeu omnibus applicari, dicendum neceſſario eſt, quotquot non habent obicis impedimentum ad participandum de proprio illius fructu ex opere operato, illos de facto participare.

Fundamentum Aduerſariorum.

Sed videamus, quibus rationum momentis Aduerſariorum opinio comprobetur: & primo occurrendum eſt rationi illi fundamentali ſuperius poſitæ, quia,

inquiunt, cum fructus satisfactionis definitus sit, si quotiescumque Sacerdos Sacrificat, talem fructum singulis fidelibus applicat, vix aliquid superesset, quod pro aliquo inspeciali applicari posset.

IX. *Fructus Sacrificij non est definitus neque intensiuè neque extensiuè.*

Respondeo hoc argumentum, nisi falso principio, quod scilicet fructus satisfactionis huius Sacrificij definitus sit. Est quidem omnis fructus huius Sacrificij finitus, sed nullus est definitus, & propterea dicitur finitus in infinitum, seu Syncathegorematicè infinitus, vt superius probauimus. Sicut autem fructus satisfactionis respondens offerentibus, licet sit semper finitus, tamen etiam in Aduersariorum sententia non est definitus, quia possunt vnius numero Sacrificij, esse plures, & plures offerentes in infinitum, ita quia illi, pro quibus hoc Sacrificium offertur, possunt similiter esse plures, & plures in infinitum, necessarium fuit, vt eius fructus respectu etiam eorum non esset definitus; quod si neuter est definitus extensiuè, vt fatentur omnes, probo ego iam efficaciter neutrum esse definitum intensiuè, quia tota absurditas à Doctoribus allata pro effectu definito intensiuè respectu offerentium, illa est, quia sequeretur, audientes Missam minorem fructum recipere solum ob *multitudinem audientium*. Itaque ex fructu indefinito extensiuè inferunt eundem fructum debere esse indefinitum etiam intensiuè, alioquin sola multitudo officeret publico bono, quod est magnum absurdum; & sanè non est minus contra naturam Sacrificij, quod audientes Missam, minorem fructum recipiant solum ob multitudinem audientium quàm quod is, pro quo specialiter offero, minorem fructum recipiat ob solam magnitudinem Ecclesiæ, pro qua in primis generaliter Sacrifico. Quare falsum est quod infertur in argumento, quod si Sacerdos fructum Sacrificij, omnibus fidelibus generaliter applicaret, vix aliquid superesset, quod pro aliquo in speciali applicari posset; & ratio à priori petenda est ex natura huius Sacrificij, quod non solum pro communibus, sed etiam pro priuatis necessitatibus institutum est, ideo rectè dixit P. Lessius lib. 12. de Perf. Diu. Sacrificium non ita posse applicari à Sacerdote Ecclesiæ in communi, vt nihil remaneat fructus applicabilis huic, vel illi in particulari, quia etiam pro priuatis eorum necessitatibus est institutum, ita vt si illis peculiariter applicetur etiam peculiari modo prosit. Simili modo non ita potest applicari priuatis, vt nullus fructus remaneat, qui possit applicari Ecclesiæ; fructus enim Sacrificij tàm amplus est, vt omnibus istis possit prodesse.

X. *Ex infinitate extensiua in Sacrificio infertur intensiua.*

XI. *Ex generali applicatione nihil minuitur de fructu particulari.*

Verum contrà vrget P. Suarez, sect. 9. quia obligatio in Sacerdote dandi fructus ex opere operato omnibus Ecclesiæ membris, nullo probabili nititur fundamento; vbi enim est, aut Christi de hac re institutio, aut Ecclesiæ ordinatio.

XII. *Fundamentum obligationis in Sacerdote.*

Respondeo, aliud esse petere Fundamentum applicationis generalis huius fructus satisfactionis, vt condistincti ab aliis fructibus Sacrificij, aliud petere fundamentum applicationis cuiuscumque fructus Sacrificij in generali non descendendo ad hunc in particulari. Ac de primo quidem frustrà petitur fundamentum, tum quia effectus Sacrificij ex opere operato, non est definitus ad solam remissionem pœnæ, vt suo loco probauimus, tum quia neque si esset sic definitus necessarium esset, vt sub his terminis memoraretur. De 2. rectè petitur sed P. Suar. optimum affert disput. 78. sect. 2. vbi ait, ex vsu ipse, & verbis Ec-

clesiæ apertè constare, quodlibet Missæ Sacrificium offerendum esse pro vniuersa militante Ecclesia, & omnibus membris eius. Cum enim in Missa de facto fiat ea vniuersalis oblatio; signum est ita esse ab Ecclesia institutum, quæ, inquit, institutio, & supponit potestatem ex parte Ministrorum, & aptitudinem, ac sufficientiam ex parte Sacrificij, & præterea obligationem inducit ita faciendi; nam Sacerdotes tenentur ritum Ecclesiæ Sacrificando seruare; ecce fundamentum obligationis in Sacerdote huius vniuersalis applicationis. Quod verò ex hac vniuersali applicatione fructuum excludatur fructus ex opere operato, & fiat tantùm per modum impetrationis, & potius per oblationem Sacrificij, certè huius exceptionis, & distinctionis debent Aduersarij, proferre aliquod probabile fundamentum.

XIII. *Quid probet testimonium Concilij Cabilonensis.*

At profert P. Suarez Concilium Cabilonense secundum sub Carolo Magno celebratum 813. vbi cap. 39. sic dicitur: In omnibus Missarum solemniis pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur, sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solemniis fundantur. Ex quibus verbis videtur P. Suarez colligere, aut præsupponere in Missa solum orari pro vniuersa Ecclesia, & omnibus membris eius, & Sacrificium offerri pro omnibus tantùm quoad impetrationem.

At quis non videt ex verbis huius Concilij tantùm haberi Orationes, & preces offerri debere pro defunctis, quemadmodum offeruntur pro viuentibus. Hoc autem non est ne leuiter quidem insinuare, non esse pro vtrisque offerendum Sacrificium; hoc enim tanquam indubitatum, præsupponit Conlium ex officio Sacerdotis, qui vt docet Paulus ad Hebr. 5. est pro hominibus constitutus, vt offerat *Sacrificia.*

Sed sine dubio principalius intentum P. Suarez in hac authoritate Concilij offerenda, fuit, vt ex illo nouam sumeret coniecturam, quam statim proponit, quia, inquit, non omnibus animabus Purgatorij applicatur ex omnibus Sacrificiis, aliqua pars fructus ex opere operato, alias facillimo negotio omnes à Purgatorio liberarentur, immò etiam de viuis idem fieri potest argumentum, præsertim de his, qui in statu gratiæ perdurant aliquandiu; nam vix poterunt habere aliquem reatum pœnæ, si per omnes Missas aliquam remissionem pœnæ percipiunt. Hæc ille.

Verum, An, & quomodo singulis in Purgatorio degentibus applicetur ex omnibus Sacrificiis aliqua pars fructus ex opere operato, constabit ex dicendis inferius. Interim loquendo de Viuis non habentibus obicem, de quibus idem fit argumentum.

XIV. *Intentum huius Sacrificij peculiare est expedire ingressum ad gloriam.*

Dicimus: Hoc, quod affertur, tanquam inconueniens fuisse vnum ex precipuis intentis Institutionis huius Sacrificij, vt nimirum Passionis Christi, *Salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur*, vt docet Tridentinum sess. 22. cap. 1. Atque adeo vix haberemus aliquem reatum pœnæ, quo retardaretur ingressus in Regnum Cœlorum, cuius possessionis dies ex parte Christi designatus, est dies ipse mortis cuiuscumque; quamuis autem per hoc Sacrificium incruentum omnes fructus Passio-

XV. *Peculiaris ratio in hoc Sacrificio pro remissione pœnæ.* nis applicentur; tamen quod P. Suarez expresse docet disp. 79. sect. 6. secundum propriam causalitatem ex opere operato applicatur fructus ille, qui est proprius Sacrificij, cruenti secundum visibilem, & exteriorem passionem eius, qua potissime operatus est nostram redemptionem per modum satisfactionis pro pœna, vt quod in illo fuit quoad sufficientiam, in hoc sit secundum efficaciam. Atque hac ratione ait P. Suarez merito institutum creditur hoc Sacrificium ad applicandam Christi satisfactionem pro pœna ex opere operato. Cum ergo per hoc Sacrificium, applicatio fiat satisfactionis Christi in remissionem peccatorum quoad pœnam ex opere operato, & cum hunc fructum recipiant omnes, pro quibus Missarum Sacrificia celebrantur; Et cum hæc pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent celebrentur, consequens est (quod debemus omnes fateri) iustos homines, quantum ex hac parte est, vix posse habere aliquem reatum pœnæ.

XVI. *Notabile testimonium Trident.* At Aduersarij, nunquam concedent, Missas pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent celebrari. Concedent omnino, quia (quod animaduertisse gauisus sum maxime) hoc plane definiuit Sacrosancta Synodus Tridentina sess. 22. cap. 6. vbi docet, Missas etiam priuatas verè communes censeri debere; *quod à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur*, quid clarius.

XVII. *Ad effectum ex opere operato, præter applicationem Sacrificij nihil requiritur.* At dicent Aduersarij celebrari quidem singulas Missas, etiam priuatas pro omnibus fidelibus, sed non teneri Sacerdotem pro omnibus petere remissionem alicuius gradus pœnæ. Neque hoc dicent Aduersarij, quia ad conferendum hunc effectum remissionis pœnæ, præter celebrationem factam pro aliquo, non est necessaria specialis petitio, aut intensio illum obtinendi; etenim quod expresse docet P. Suarez disp. 79. sect. 2. concl. 2. ad effectum ex opere operato, non est necesse, vt celebrans specialiter petat, vel consequi intendat, illum effectum; ita enim Sacrificium, illum effectum operatur, sicut Sacramentum efficit suum, Sacramentum autem hoc ipso, quod alicui applicatur, confert illi effectum, etiamsi neque Minister, neque ipse hoc intendat; sed solum non ponat obicem; ergo & hoc Sacrificium alicui applicatum, seu pro aliquo oblatum absque alia speciali petitione, aut determinatione confert illi effectum suum ex opere operato. Hæc P. Suar. sect. 2. deinde verò sect. 6. vbi probat effectum huius Sacrificij, ex opere operato esse remissionem pœnæ, ex modo, inquit, quo hic effectus obtinetur, rectè colligitur propriissimè esse ex opere operato, nam vt Sacrificium hoc conferat hunc effectum non est necessaria specialis petitio, sed hoc ipso quod Sacrificium pro aliquo offertur, simpliciter applicatur illi hic effectus sine alia speciali intentione obtinendi illum. Cum ergo pro fidelibus omnibus Sacrificium quodlibet ex Concilio celebretur, fatendum est omnibus non habentibus obicem, hoc ipso aliquam pœnæ remissionem obuenire.

XVIII. *Causa cur tanta sit multitudo animarum in Purgatorio.* Omnes igitur debemus causas indagare, cur recipientibus nobis ex omnibus, & singulis Sacrificiis aliquem gradum remissionis pœnæ ex opere operato, aut saltem per modum impetrationis, quod Aduersarij nullo modo possunt diffiteri, Cur inquam, tàm multi, & cum reatu pœnæ non exiguo in Purgatorium descendunt, cum sciamus ex Ecclesiasticis Annalibus, & præcipuè ex historia celebri Venerabilis Bedæ, quam verissimam esse non dubitat Cardinalis Bellarminus

nus lib. 2. de Gemit. Columb. cap. 19. innumerabilem animarum multitudinem fuisse suo tempore in Purgatorio à Drichemo visam, & ex Vita B. Christinæ mirabilis, quam scripsit Thomas Cantiputensis, vir fide dignissimus, qui eius tempore vixit, & cui contestis accedit Cardinalis de Vitriaco laudatus pariter à Bellarmino, sciamus pariter Purgatorij locum vastissimum refertum animarum fuisse.

XIX. *Ad effectum remissionis pœnæ requiritur status gratiæ.*

Videntur mihi, saluo meliori iudicio duæ esse causæ potissimæ huius rei, altera pro iis, qui decedunt quidem in gratia, sed viuentes non rarò lapsi sunt in peccata lethalia. Altera pro ijs, qui se à lethalibus abstinuerunt, sed pluribus venialibus fuerunt obnoxij, nam de paucissimis illis, qui eximia animi cum puritate, & sanctitate vitam traduxerunt, per omnino credere est, vel ex tot satisfactionibus à Sacrificijs prouenientibus, vix vllum superesse reatum pęnæ quam soluant. De primis ergo mirandum non est, si ex tot Sacrificiis nihil omnino sæpè receperunt, quia quamdiu manserunt in statu peccati mortalis, nullam vnquam pœnæ luendæ remissionem, non solum ex Sacrificiis, sed neque ex propriis operibus, aut aliis quibuscumque viis lucrati sunt. Est enim constans Theologorum omnium sententia, fructum remissionis pœnæ, nunquam communicari homini non existenti in statu gratiæ ex illo generali fundamento, quod is, qui est in peccato mortali, non est capax satisfactionis pro pœna temporali, quod non solum intelligunt de reatu pœnæ debitæ peccatis præsentibus, sed etiam de reatu pœnæ temporalis relicto à peccatis præteritis aliàs remissis: immò consequenter docent, neque in futura vita tolli reatum pœnæ temporalis debitæ pro peccato veniali non dimisso; vnde fit, vt non solum peccata mortalia, sed singula etiam venialia cum illis coniuncta puniantur æterna pœna in inferno, quam sequelam vltro concedit P. Suarez in quæst. 87. S. Thomæ. Quamuis enim peccatum veniale quantum est ex se, non sit dignum pœna æterna, meretur tamen puniri quamdiu ablatum non fuerit, & quia in Inferno contingit nunquam auferri, ideo fit, vt in illo pœna eius nunquam finiatur. Et quamuis Durandus in 4. dist. 21. quæst. 2. dicat de peccato veniali dimisso quoad culpam, non verò quoad reatum pœnæ, posse quoad reatum pœnæ in Inferno solui, & puniri. Communis tamen sententia docet, pœnam relictam à peccato veniali, etiam in hac vita dimisso, fore in Inferno perpetuam propter incapacitatem huius effectus remissionis pœnæ temporalis in homine existente in statu peccati mortalis. Cum ergo durante in hac vita talis statu, nullum omnino soluatur debitum pœnæ, neque ex mortalibus, neque ex venialibus etiam remissis relictæ, mirandum non est, si huiusmodi homines, licet decedentes in gratia ex hac vita, tamen cum ingenti reatu pœnæ, in futura luendæ inueniantur.

XX. *Peccatum veniale punitur æterna pœna in Inferno.*

XXI. *In statu peccati nullum soluitur debitum pœnæ.*

XXII. *Pœna debita venialibus, illic manentibus nunquam remittitur.*

De posterioribus verò, qui longo tempore manent in gratia, venialibus tantùm obnoxij, neque mirandum esse videtur, eos ex tot Sacrificiorum prouentibus, non esse suis debitis solutos; nam (vt alia, quæ præsens locus non postulat, nunc omittam) quamuis huiusmodi homines capaces sint fructus Sacrificij, quoad remissionem pœnæ temporalis debitæ mortalibus peccatis dimissis, & à fortiori deditæ venialibus pariter dimissis; retinent tamen reatum pœnæ debitæ venialibus non condonatis. Est enim doctrina generalis, vt rectè notat P.

Meratius disput. 39. de Eucharistia, quod nulli fiat à Deo ex opere operato remissio vlla pœnæ temporalis, siue in præsenti vita, siue in futura, qui ex opere operantis eam nulla, vel satisfactione, vel satispassione, ratione status, in quo est redimere potest; ex quo principio, sicut infertur, nemini in statu peccati mortalis fieri à Deo ex opere operato remissionem pœnæ temporalis, quia quisquis in tali statu est, ratione illius, temporalem pœnam peccatis suis debitam nulla satisfactione, aut satispassione in præsenti, siue in futura vita redimere ex opere operantis potest; ita pariter infertur, nemini existenti in statu peccati venialis fieri à Deo eiusdem generis pœnæ remissionem ex opere operato, quia quamdiu homo manet cum macula peccati venialis, nulla vel satisfactione, vel satispassione illam redimere potest ex opere operantis, siue in præsenti vita, siue in futura.

XXIII. *Multitudo peccatorum venialium.*

Quàm ingens autem hoc debitum sit ex venialibus quoad maculam adhuc manentibus contractum facile colligi potest ex multitudine huiusmodi venialium peccatorum, quorum cumulus in iustis charitatis feruore destitutis maior est, quam vt fortasse cogitatione assequi possimus. Certè de omnibus etiam feruentioribus viris dictum est illud 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, & non dixit, ait Bellarminus: *non habuimus*, *sed non habemus*, vt ostendat etiam in illa summa vitæ perfectione, peccatum in se agnoscere, & S. Iacob. 3. adhuc clarius. *In multis offendimus omnes.* O nos verè cæcos, & miseros, exclamat Bellarminus. Quis debita nostra numerabit, si Apostoli, post acceptum Spiritum Sanctum, *non mentiuntur*, eum dicunt: *In multis offendimus omnes*, & si, *septies in die cadit iustus*, vt Sapiens loquitur, Prou. 24. quoties cadent iniusti & imperfecti, nonne *septuagies septies?* Hæc sanè consideratio, concludit ille, ita me terret, & confundit, vt videar mihi semper in luto, & sordibus volutari, vel certè inter spinas, & tribulos sic ambulare, vt punctiones frequentes euitare non possim. Vnde illud Isaiæ 1. *Mihi*, & mei similibus conuenienter aptari censeam: *à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo Sanitas*, hæc de se, suique similibus, hoc est de viris planè Sanctissimis Bellarminus.

Est autem hæc differentia inter culpas Sanctorum, & reliquorum hominum, etiam Iustorum, vt illi, & leuissimas quasque ne committant, diligentissimè caueant, & admissas, primo quoque tempore vberrimè defleant, at nos quantumuis Dei beneficio maioribus vndis fortasse non obruti, tamen tanquam fatiscentes carinæ aquam semper accipimus, quam oporteret quotidie per pœnitentiam exhaurire; hinc reatus nouæ semper pœnæ quotidie crescit, cum non tantùm soluitur de contractis debitis, quantum contrahitur de soluendis, cumque ad huiusmodi reatum pœnæ tollendum donec maculæ maneant peccatorum, neque Sacrificia ex opere operato, neque opera vlla satisfactoria ex opere operantis quidquam possint, morte tandem præoccupati debitores tenemur summæ non leuis. Atque hæc est potissima causa: ob quam licet quodlibet Sacrificium pro omnibus iustis offeratur, paucissimi tamen sint, qui non alicuius pœnæ Rei in futura vita luendæ inueniantur.

XXIV. *Cumulus debitorum.*


Vna restat obiectio ex P. Suarez, quæ superius fere diluta est. Si Ecclesia, inquit, posset præcipere, vt pro omnibus prædicto modo à quocumque Sacer-

dote offerretur, deberet assignare quanta, vel quota pars effectus esset sic applicanda pro vniuersa Ecclesia, hoc autem neque fecit, neque facile fingi potest. Nulla ergo est talis obligatio in Sacerdotibus, sed in eorum voluntate positum est, vt totum hunc fructum applicet, vel per specialem, vel per generalem intentionem prout eis libuerit, & licuerit.

Respondeo negando sequelam, quia hæc assignatio non est Ecclesiæ, sed Christi, qui Sacrificium instituit; sicut enim quanta, vel quota pars gratiæ proueniat singulis infantibus baptizatis, non præfinitur ab Ecclesia, nec mensuratur ab intentione, & arbitrio Ministri, sed præscriptum est à Christi institutione, ita quanta, vel quota pars remissionis pœnæ contingat singulis fidelibus non habentibus obicem ex generali illa oblatione, id nullo modo ab Ecclesia, aut à Sacerdotis intentione pendet, sed à sola institutione Christi præstitutum est. Hoc autem non impedit, quo minus, si maior in aliquo sit dispositio, non possit is etiam ex generali illa applicatione maiorem fructum recipere, quemadmodum ex eo, quod pro paruulis nullam habentibus inæqualitatem subiectiuam, certus gradus baptismalis gratiæ, & in omnibus æqualis taxatus sit, non tollitur quo minus vbi est inæqualitas dispositionis, vt accidit in baptizatis adultis, maior etiam, aut minor sit gratia Baptismi iuxtà mensuram dispositionis.

XXV. *Quantitas remissionis pœnæ à quo determinetur.*

Illud autem, quod dicitur, in Sacerdotum voluntate positum esse, vt fructum hinc applicent prout eis libuerit; si intelligatur de speciali applicatione verum est, sed de hac in præsenti non est sermo; si verò intelligatur de generali, vsque adeo falsum est, vt communis Doctorum opinio doceat, portionem communem fructus huius Sacrificij, ex sola Ecclesiæ applicatione pendere, sed de hac re suo loco, vbi agemus de Administratoribus Montis Propitiatorij, seu de Ministris Sacrosancti huius Sacrificij. Interim videatur Scotus quodlib. 20. art. 1. Antonius Corduba lib. 1. quæst. Theolog. quæst. 3. in princ. not. 3. & P. Henriquez lib. 9. cap. 17.



QVÆSTIO II.

An, & quod Ius, aut titulum habeant fideles viuentes, vt pro se omnibus Sacrificium quodlibet celebretur.

I. *Sensus Quæstionis.*
II. *Qui sunt propriè offerentes.*

I. *Sensus Quæstionis.*



MAGNI sanè momenti est præsens controuersia; ex illa enim pendere arbitramur decisionem plurium quæstionum, quæ cæteroquin non leuem difficultatem habent, & magnam afferunt vtilitatem. Statuimus cum Tridentino, Sacrificium quodlibet pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrari, & quamuis P. Suarez in dubium vocauerit, an fidelibus omnibus ex illa generali oblatione cuiuslibet Sacrificij aliquid fructus remissionis pœnæ contingat, seu (quod in illius sententia idem est) an in illa generali applicatione distribuatur inter omnes portio aliqua fructus ex opere operato; tamen omnes Doctores Catholici concedunt, Sacrificium quodlibet, aliquo tandem modo fructuosum esse omnibus Ecclesiæ membris, obicem non habentibus. Inquirimus ergo nunc titulum, & indagamus Ius, si quod in singulis fidelibus est, quo petere à Sacerdotibus possunt, vt in Sacrificalium fructuum distributione non excludantur.

II. *Qui sunt propriè offerentes.* Est autem indubitatum ex omnibus participantibus fructus Sacrificij, illos habendos esse potiores in Iure, qui verè, ac propriè dicuntur offerentes. Sed quinam in Sacrificiis verè, ac propriè dicantur offerentes, & quid ad eam denominationem, & ad Ius offerentis obtinendum necessarium sit, non ita compertum exploratumque omnibus est.

III. *Non omnis offerens est Sacerdos.* Putant aliqui, nomen offerentis esse proprium Sacerdotis, quà Minister Sacrificij est; vnde de quocumque homine in Sacris litteris legerint, quod obtulerit Sacrificium, statim inferunt verè illum fuisse in illo sacrificio Sacerdotem. Verum isti errant manifestissimè, nam de Saule legimus 1. Reg. 15. *Et Saul offerebat holocaustum Domino*, & tamen Saul non erat Sacerdos. De Dauid legitimus 2. Reg. 6. *Et obtulit Dauid holocausta, & pacifica coram Domino, cumque complesset offerens holocausta, & pacifica*, & tamen Dauid non

fuit Sacerdos. Idem legimus de Salomone, idem de aliis Sexcentis, quos constat non fuisse Sacerdotes.

Tenenda ergo est notio *Offerentis*, quam tradit S. Augustinus, seu quisquis est author ille, in quæstionibus ex Veteri Testamento quæst. 46. *Ipse*, inquit, *semper dicitur offerre cuius oblationes sunt, quas super Altare imponit Sacerdos, & Saul obtulit: hoc vtique genere, idest per Sacerdotem, sicut & nunc offertur, & Dauid obtulit, & Salomon obtulit, & cæteri similiter obtulerunt; quamuis enim proprio Sacerdos fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cuius nomine agit Sacerdos, ipsi enim imputatur cuius munera offeruntur.* Ex quibus verbis illud conficitur. Offerentem verè, & propriè dici eum, cuius nomine Sacerdos offert, eius autem nomine sacerdotem offerre, qui rem oblatam defert, seu qui victimam ponit offerendam in Sacrificio. Ipsi enim imputatur, ait Augustinus, cuius munera offeruntur; ideo rectè Abulensis in cap. 15. lib. 1. Reg. Offerre, inquit, propriè conuenit popularibus, qui offerre est dare Sacerdoti Victimam immolandam Domino. Quod planè confirmat lex Leuitici cap. 1. *loquere filiis Israel, & dices ad eos: homo qui obtulerit ex vobis Hostiam Domino, &c.* Ex hoc autem manifestè patet ex numero participantium fructus Sacrificij non potuisse excludi offerentes, immò præcipuum ius ad tales fructus penes illos fuisse. IV. *Vera notio offerentis.*

Sed difficultas est, quam secundo loco examinandam proposui, quid necessarium esset ad hoc ius rigorosum offerentis obtinendum. Vtrum necessarium esset, vt qui verè offerentes dicebantur, ipsi per se, & per suum aliquem actum Victimam Sacrificandam præberent, an satis esset, vt aliquis alius sufficienter illi coniunctus, eandem Victimam pro illo præsentaret. Rem totam declarabit Sacrificium Agni Paschalis, quod erat Sacrificium commemoratiuum liberationis, & propriè Eucharisticum, figura insignis Sacrificij Ecclesiæ. De hoc igitur Sacrificio sic habemus Exod. 12. *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite eis: Decima die mensis huius, tollat vnusquisque Agnum per familias, & domus suas.* Quæritur, an quilibet vir de vniuerso cœtu filiorum Israël teneretur suum agnum accipere, & rursus an ex iisdem quilibet acceptum Agnum immolare deberet, cum infra præcipiatur: *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel.* Quamuis autem responsio non sit difficilis, iuuat tamen ad nostrum institutum illam explicare. Et primo, quod *vnusquisque*, non possit hoc loco omnes, & singulos comprehendere, manifestum est ex numero filiorum Israël, qui ex Ægypto profecti sunt, quo tempore promulgata illa lex est. Etenim Exod. 12. ait scriptura: *Profectique sunt filij Israel sexcenta fere millia peditum virorum absque paruulis.* Super quo loco notant interpretes hæc sexcenta millia fuisse peditum armatorum, siue militum, qui scilicet attigerant, vel excesserant annum vigesimum, ab anno enim vigesimo, & supra consueuerunt Hebræi suos conscribere ad militiam, plures ergo præterea erat hoc loco non numerati. Quomodo igitur poterat tam ingens Agnorum, aut etiam hœdorum multitudo, tàm expeditè, & promptè decima die Mensis comparari? *Secùndo*, quod non singuli filij Israël deberent Agnum tollere, & immolare; patet quia Agnus ille ex præcepto Diuino comedendus ab offerentibus, & immolantibus erat, & quidem vnus V. *Quid requiritur ad denominationem offerentis.* VI. *Numerus filiorum Israel in exitu ab Ægypto.*

VII. *Agnus Anniculus.* à singulis comedi nequaquam poterat. Primo, quia Agnus sic immolandus erat *Anniculus*. Hebraicè filius anni, hoc est habens, vel agens annum; & quamuis ex hoc præcepto id tantùm necessarium erat, vt non excederet annum, tamen, vt notat Nicetas in Nazianzenum Orat. 2. de Pascha; exegit Deus Agnum vnius anni, quia Agni vnius anni spatio in perfectam ætatem adolescunt, vnde plurimos ad eam vsque ætatem adultos fuisse dubitandum non est. *Secundo*, quia nihil debebat manere de eo, quin comederetur, ideo dicitur: *Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis. Tertio*, quia comedendus erat illa ipsa nocte: *& edent carnes nocte illa assas igni, nec remanebit quidquam ex eo vsque mane.*

VIII. *Offerendus, & comedendus à pluribus.* Præterea ex Sacro textu clare colligitur non esse præceptum de oblatione singulorum à singulis; nam primo dicitur: *tollat vnusquisque Agnum per familias, & domos suas*, quod propterea dictum est, ait noster Cornelius, quia in eadem domo poterant esse plures familiæ, quarum quælibet suum habebat, & immolabat Agnum. Deinde, quia ibi dicitur: *Sin autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum Agnum, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui suæ iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum Agni.* Id quod propterea cautum est, ait Abulensis, quia quædam familiæ vsque adeo paruæ erant, vt non possent comedere adhuc dimidiam partem vnius Agni, qui esset Anniculus.

IX. *Numerus Agnorum Paschalium.* *Tertio*, quia communis veterum Hebræorum traditio est, non pauciores, quàm decem adhiberi solere ad esum vnius Agni; vnde quod libro primo notauimus, Ioseph Hebræus lib. 7. Bellar. cap. 17. Ex Agnis 256500. in Paschate immolatis tempore Cæstij Præsidis, sub quo à Romanis rebellare cœperunt Iudæi, colligit tunc Hierosolymæ fuisse Iudæorum trigeties centena, & septuaginta millia præter impuros: hi enim esu Agni arcebantur.

X. *Quomodo vnusquisque tollebat & immolabat Agnum.* Certissimum ergo est, quod non vnusquisque de cœtu filiorum Israël tollebat Agnum, & tamen custoditum diligentissimè fuit illud præceptum: *tollat vnusquisque Agnum.* Rursus certissimum est, quod non omnes ex multitudine filiorum Israël, Agnum immolabant; id enim erat munus Sacerdotum, quorum officio, quoad hoc tantùm Sacrificium, soli Patresfamilias fungebantur, & tamen seruatum fuit, quod dictum est: *immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël.* Vnica, & vera responsio est, quam tetigimus cum Augustino, illos in vniuersum, propriè, & rigorosè dictos fuisse offerentes in aliquo Sacrificio, qui aut ipsi, aut alij pro ipsis victimam sacrificandam exhibebant, vnus Paterfamilias Agnum emebat, sed non pro se vno, immò pro omnibus, & singulis familiæ suæ emebat. Et eo ipso quod pro vicina etiam domo illum emebat, quod minor esset in sua familia numerus, vt sufficere posset ad vescendum Agnum, hoc ipso, illi, pro quibus assumptis emebat, habebant ius in esum Agni. Quare interroganti alicui, cur petitis, & vindicatis vobis partem Agni immolati, potuissent respondere, quia nos Agnum immolandum, & emimus, & tulimus, & tradidimus; cum enim Paterfamilias, & nobis quoque emerit, nobis tulerit, & nobis tradiderit, perinde hoc est, ac si nos per nostrum actum singuli illum emissemus, tulissemus, & tradidissemus.

XI. *Fundamentum nostræ conclusionis.* His præcognitis, quæ cæteroquin planissima sunt, probamus facilè, & solidè omnes fideles habere proprium, & rigorosum ius ad fructus cuiuscumque Sacrificij, probamus autem hoc modo.

Illi habent proprium, ac rigorosum ius ad fructus Sacrificij, qui respectu illius se habent tanquam veri, & proprij offerentes; sed omnes fideles respectu cuiuscumque Sacrificij habent se tanquam veri, & proprij offerentes; ergo omnes fideles habent proprium, & rigorosum ius ad fructus cuiuscumque Sacrificij.

Maior est manifesta ex notione iam tradita, *offerentis*, quo nomine illum intelligimus, qui victimam ipsam immolandam præbet: quæ autem ratio patitur, vt qui Agnum, hoc est totam victimam tulerit Sacrificio, is nihil de illius fructu participet? quinimmò ad hoc ius declarandum statuit Deus, vt ex Hostia Pacifica fierent partes tres, quarum prima Deo incendebatur, Altera Sacerdotibus proueniebat, tertia ad offerentium iura pertinebat. Quare cum laïci offerrent sacrificia pacifica, tota Domus sua, ait Abulensis in cap.7. Leuit. tàm filij, quam filiæ, & famuli, & ancillæ de sacrificiis comedebant.

XII. *Omnes fideles ponunt Agnum in Sacrificio.*

Sed probanda est minor propositio, & explicanda; in illa enim tota vis est, & aliqualis etiam difficultas, quia non apparet qua ratione singuli fideles in hoc rigoroso sensu sint offerentes per exhibitionem videlicet realem, & externam Agni Cœlestis. Verum ex paulò ante dictis planè constat, ad acquirendum titulum offerentis cum iure participandi satis esse in ea numerari familia, cui de victima prouisum à Patrefamilias est, in quo sensu diximus, quod iuxtà Diuinum præceptum per Domos, & familias filiorum Israël, tollebat vnusquisque Agnum, quia tollente illum Patrefamilias pro tota sua Domo perinde id erat, ac si vnusquisque illum tulisset. Sic in toto rigore S. Petrus soluit Tributum Matth.17. dicente Christo: *Da eis pro me, & te*, qua etiam ratione tempore Iubilæi ad injunctum opus implendum, omnes viri religiosi eleemosynam largiuntur, quia familiarum Superiores, & Patres pro subditis, ac filiis omnibus, & singulis illam erogant.

XIII. *Vnus Agnum pro omnibus posuit.*

Iam verò, quod vnus aliquis vniuersæ Ecclesiæ prouiderit victimam Sacrificij, & quasi pro omnibus, & singulis illam comparauerit, manifestum est ex verbis sacri Canonis, vbi dicitur. *Hanc igitur oblationem, sed & cunctæ familiæ tuæ.* Et rursus: *sed & plebs tua sancta offerimus, &c.* Ecce dicitur oblatio cunctæ familiæ, ecce vniuersa multitudo filiorum Israël suum tollit Agnum, & offert ecce in singulis filiis ius offerentis, profectò non ob aliam rationem nisi quod, vnus pro cunctis victimam posuit.

Hanc viam explicandi ius, quod singuli habent fideles ad participandum fructus sacrificij indicauit mihi P. Vasquez disp. 226. cap. 2. num. 10. illis verbis: Sicut ille, qui præbet ouem Sacerdoti, vt pro se illam offerat, dicitur Deo Sacrificium offerre, quia illi tribuit, quod offerre debet, ita etiam fideles dicuntur offerentes, quia Sacerdoti, vt pro omnibus offerat hoc Sacrificium, victima illius à Christo relicta est; quod perinde est, ac si singuli eam Sacerdotibus tribuerent, vt pro se illam offerrent.

XIV. *A qua forma est denominatio offerentis.*

Atque hinc habes primo, frustra laborari ab Aduersariis, qui contendunt non omnes, & singulos fideles, licet sint de familia, habere ius offerentis, quia inquiunt; offerre nihil aliud esse videtur, quam oblationem efficere, in actione enim consistit; vt ergo aliquis dicatur offerens necesse est, vt ad ipsam oblationem efficiendam, aliquo modo concurrat, quod non videtur posse attribui fide-

libus laïcis, ſeu non Sacerdotibus. Nam duplex intelligi poteſt oblatio: Vna eſt interna per interiorem deuotionem fidelium, alia eſt externa, in qua propriè conſiſtit viſibile Sacrificium; à neutra autem poſſunt fideles denominari offerentes, non ab actione, & deuotione merè interna, quia Sacrificium viſibile conſiſtit in actione externa, per quam fit aliquid circa rem oblatam; ergo actio merè interior non ſatis eſt, nam illa non eſt ſenſibilis; neque ab actione externa, quia ſolus Sacerdos eſt principium illius actionis iuxtà illud ad Hebr. 5. *vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*; ergo à neutra actione fideles denominari poſſunt offerentes, tãquam Sacerdoti conſacrificantes. Ita ferè P. Suarez diſput. 77. Sect. 3

XV. *Denominatio offerentis non eſt ſemper à forma intrinſeca.*

Sed vt dicebam laboratur fruſtra, quia quamuis denominatio offerentis habeatur ab oblatione, tanquam à ſua cauſa formali, tamen oblatio iuxtà phraſim Scripturæ duplicis generis eſt. Altera quæ conſiſtit in actione non ſolum interna, ſed etiam externa eius, qui ſic denominatur offerens; altera, quæ non conſiſtit in actione *eius*, ſed in actione *pro eo*, qui ſic denominatur; & quidem à primo genere oblationis denominantur primo loco offerentes Sacerdotes ipſi miniſteriales; ſecundo loco omnes concurrentes per aliquem ſpecialem influxum, non ſolum internum, ſed etiam externum, vt ſunt, qui petunt, aut procurant, qui ſtipendium dant Sacerdoti, qui illi ſacrificanti inſeruiunt, vel aſſiſtunt. Tertio denique loco omnes fideles, quatenus ſunt membra corporis, cuius publica auctoritate, & quaſi communi conſenſu Sacerdos deputatus eſt, vt Sacrificium offerat vice totius corporis; ſed quamuis ab eadem oblatione elicita à Sacerdote ſacrificaliter, & aliis concurrentibus, vt ſic dicam conſacrificaliter, propter vnionem in vno corpore myſtico, poſſint etiam reliqui fideles denominare offerentes; tamen actio, quæ tribuit fidelibus ius ad participandum, non eſt, vt dicebamus actio ipſorum *in ipſis*, ſed *pro ipſis*, quatenus vnus aliquis dixit: Ego pro ſingulis huius familiæ Agnum exhibeo, ſeu ego cunctæ huius familiæ Agnum relinquo, non ſolum, vt vniuerſis, ſed etiam vt ſingulis. Itaque quidquid ipſi debuiſſent præbere ad participandum, ego pro ipſis præbeo, & ſolus. Porrò hæc denominatio offerentis nullum poſtulat actum neceſſario in eo, qui ſic denominatur, neque internum, neque externum, & ad ſummum requirit tacitam acceptationem, quam omnes fideles habent, hoc ipſo enim, quod aliquis eſt fidelis, cenſetur conſentire omnibus Sacrificiis, quæ in Eccleſia fiunt, & virtualiter velle fundare Ius ad participandum, quantum poſſunt, eorum fructum.

XVI. *Cur Angeli non dicuntur offerentes.*

Habes ſecundo. Quare Angeli Sancti non dicantur offerentes, cum tamen de illis dicat Chryſoſtomus Homil. de Euch. in Encæniis. *Agnus Dei immolatur, Seraphim aſtant.* & Homil. 61. ad Popul. Antioch. *Huic & ſupernæ poteſtates aſſiſtunt.* Et lib. 6. de Sacerdot. *Per id tempus, & Angeli Sacerdoti aſſident, & Cœleſtium Poteſtatum vniuerſus Ordo clamores excitat, & rurſus: locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur Angelorum Choris plenus eſt.* Cum ergo Angeli ſint circumſtantes, cur non etiam dici poſſunt offerentes? Non eſt illa ratio, quam Recentiores aliqui afferunt, quia Beati Angeli ſolo affectu interiori inuiſibiliter, & ſpiritualiter offerunt; nam etſi Angeli huic Sancto Sacrificio viſibiliter miniſtrarent, quod interdum factum etiam eſt, non proptcrea Angeli, ſic miniſtrantes dicerentur propriè, & in rigore offerentes; contra verò licet aliqui ex hominibus circumſtantibus inuiſibiliter, & ſpiritualiter,

spiritualiter, & ad modum Angelorum tantùm assisterent, adhuc non desinerent esse verè, ac propriè offerentes. Vera igitur ratio illa est, quam tangit P. Vasquez, quia Victima huius Sacrificij non pro Angelis, sed pro hominibus prouisa, & relicta est; nam, & ij, ait P. Vasquez, qui Sacrificiis antiquæ legis præsentes erant, non dicebantur offerre, nisi, & ipsi, aut alij pro eis victimam Sacerdoti immolandam tradidissent: & enim sola præsentia cum affectu etiam interioris deuotionis, non habet rationem Ministerij ad Sacrificium relati, vt ea de causa sufficiat ad hoc, vt adstantes dicantur offerentes.

Habes Tertio, causam, ob quam fideles quamuis numero innumerabiles semper ex quolibet Sacrificio recipiunt integrum fructum, non minorem, quàm si essent pauciores. Ratio est, quia vnusquisque fidelium in quolibet Sacrificio totum integrum ponit agnum iuxtà sensum explicatum Exod. 12. illorum verborum. *Tollat vnusquisque Agnum.* Sicut ergo homini deferenti, & tradenti pro se vnum integrum Agnum, nihil minus fructuosa esset oblati per hoc, quod alij alios diuersos pro se deferrent Agnos, ita quia omnes, & singuli fideles eundem præbent Agnum infinitis æquipollentem, erit ex parte rei oblatæ singulis integrè fructuosa; nam quando in lege naturæ, aut veteri, vnicus Agnus à pluribus emebatur ad immolationem, in tantum eius oblatio minus fructuosa singulis erat, quàm si totus Agnus ab vno quoque per se emptus fuisset, in quantum de facto non à singulis totus Agnus, sed ab omnibus, à singulis verò veluti pars Agni comparata Sacrificio, & tradita erat, quia Agnus ille oblatus, res erat finiti pretij, vnde à pluribus comparatus sicut singulis minoris erat oneris, ita etiam & fructus; at verò in præsenti non ita est, nam Agnus immolatus, quem vnusquisque nostrum tollit, & exhibet in Sacrificium, sicut infiniti pretij, est, ita impartibilis, & indiuisibilis est, & ideo quantumuis ad illum offerendum multiplicentur, tantùm vnusquisque offert, ac si solus offerret; cumque ius ad participandum simpliciter fundatum sit in re ipsa oblata, impossibile est, vt ad multiplicationem habentium idem ius, illud in singulis minuatur. XVII. *Cur fructu Sacrificij non minuatur ex multiplicitate participantium.*

Hoc totum fuit, meo iudicio, pulcherrimè adumbratum in Institutione Agni Paschalis, illis præcipuè verbis. *Sin autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum Agnum, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui eius iuxtà numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum Agni.* Hæc lex tria præsupponit; duo absolutè, & tertium conditionatè. Primum absolutum est, cuilibet de familia Agnum immolante, portionem aliquam immolati Agni contingere. Alterum pariter absolutum est, ex multiplicatione participantium, singulorum portionem non minorari, & diuidi, sed nunquam ex præcisis assumptis illam solito esse minorem, quia tunc tantùm assumebantur vicini, quando Agnus erat maior numero, seu quod idem est, quando numerus erat minor Agno; itaque assumebantur ad ponendam æqualitatem inter Agnum, & numerum & ideo tot assumebantur, & non plures, quot nimirum sine diminutione partis vniuscuiusque sufficere possent ad vescendum Agnum. Tertium denique, quod præsupponitur hypotheticum, & conditionale est, quod si inuentus tunc fuisset Agnus, vt lex præscribebat absque macula, Masculus, Anniculus, & tamen maior quocumque numero animarum, quæ sufficere possent XVIII. *Figura participationis Sacrificalis.*

ad esum Agni. Tunc sine detrimento singulorum, & sine diminutione partis cuiuscumque potuissent sine dubio assumi non solum vicini omnes, sed & omnes remoti de Populo Israel, nec solum viuentes, sed etiam mortui, & nascituri. Ita planè accidit in re nostra. *Agnus* hic maior est, quàm vt vllus animarum numerus sufficere possit ad vescendum illum; ideo omnes illum ponentes in Sacrificio sine detrimenti periculo, possunt integrè participare, quod saltem in diuersis Sacrificiis concedunt omnes; nam in omnibus Sacrificiis nostris, quæ vel successiuè, vel simultanèe offeruntur, idem numero Agnus offertur, & nihilominus integer est vniuscuiusque Sacrificij fructus, & ab aliis independens, quod autem dicitur de hoc Agno in pluribus distinctis Sacrificiis, idem quantum pertinet ad participationem independentem, dicendum est de eodem in vnico eodemque Sacrificio respectu plurium personarum, quæ ius habent ad integrum fructum; nam si res oblata spectetur, ita se habet in vnico sicut in pluribus Sacrificiis, quod autem fundat Ius ad participandum est positio, vt diximus huiusmodi rei oblatæ; quid quid sit de actuali participatione fructus, qui sine dubio ad multiplicationem Sacrificiorum, & oblationum multiplicatur, quod autem hic asserimus est, quod sicut participantes de vno Sacrificio nullo modo pendent in quantitate fructus Sacrificalis à participantibus de altero distincto Sacrificio, ita participantes de vno, eodemque Sacrificio nullo modo in fructu Sacrificali pendent inuicem inter se.

XIX. *Christus est Agnus maior omni numero.*

Reliquum esset ostendere, vnde nam acquisitum est Ecclesiæ huiusmodi Ius offerentis, quod vnusquisque de Christi familia habet: verum de hac re commodius quæstione vltima.



QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum non baptizati ius aliquod habeant ad fructus huius Montis.

I. *Infideles foris, & longè.*
II. *An Catechumeni sint intus.*
III. *Conclusio negatiua, eiusque ratio.*
IV. *Catechumeni distinguuntur à fidelibus.*
V. *Missa Catechumenorum.*
VI. *Qui non sunt baptizati non sunt nati.*
VII. *Catechumeni possunt saluari.*
VIII. *Qui non sunt nunc de Ecclesia Christiana, de nulla sunt.*
IX. *Catechumeni sunt de Ecclesia Christiana in Voto.*

X. *Sacrificium offerri potest.*
XI. *Potest offerri etiam pro Infidelibus.*
XII. *Nemo est incapax Sacrificij.*
XIII. *Baptismus non est Ianua neque Orationis, neque oblationis.*
XIV. *Sacrificium est relictum tantùm fidelibus, sed non tantùm pro fidelibus.*
XV. *Ecclesia etiam cum offert pro Infidelibus offert pro se.*



ON baptizati in duplici sunt differentia, quidam enim sunt omnino Infideles, vt nunc sunt Iudæi, Turcæ, Pagani, & certum est illos, nullum habere ius ad fructus huius Montis, quia nullo modo sunt offerentes, cum sint omnino extrà familiam Christi; nam de his sine dubio Apostolus loquitur 1. Corint. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare*, vbi generaliter eos omnes *foris* esse dicit, qui sunt omnino extrà Ecclesiam, vt explicat S. Thomas, nec solum *foris*, sed etiam *Longè*. Ephes. 2.12. *Vos qui aliquando eratis longè facti estis prope in Sanguine Christi.* I. *Infideles foris & longè.*

Alij sunt, qui licet per Baptismum nondum emiserunt professionem externam fidei, fideles tamen sunt per fidem internam, & saluari absolutè possunt si moriantur in illo statu, cuiusmodi sunt omnes, qui dicuntur Catechumeni, & de his potest esse controuersia, An ius aliquod habeant ad fructus huius Montis. Sit igitur nostra Conclusio. II. *An Catechumeni sint intus.*

Catechumeni non habent ius ad fructus huius Montis.

Fundamentum nostrum illud est. Catechumeni non sunt actu, & propriè de Christi familia; ergo non habent ius ad fructus huius Montis. Consequentia est manifesta, quia Mons hic, est mons *Domus* Iacob, & oblatio, quæ ibi fit; dicitur in Sacro Canone oblatio familiæ, & Tridentinum apertè ait, Sacrificium hoc esse relictum dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ, quæ est Vniuersalis, & sola familia Christi. III. *Conclusio negatiua eiusque ratio.*

Antecedens probatur primo authoritate tum Concilij Florentini loco citato, tum ex Patribus, qui distinguunt Catechumenos à fidelibus, constat autem Christi familiam esse Domum, & Congregationem fidelium; audiamus Patres. IV. *Catechumeni distinguuntur à fidelibus.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat. in Sac. Lauacr. dicit Catechumenum esse in Vestibulo Pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per Baptismum.

S. Io: Chrysostomus Homil. 22. in Ioan. dicit, Catechumenum alienum esse à fideli, & nihil habere commune cum eo, non Ciuitatem, non mensam, &c.

Tertullianus lib. de præscriptionibus, reprehendit in Hæreticis, quod non distinguunt Catechumenos à fidelibus.

Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 50. docet Catechumenos esse apud Christianos, id quod erant incircumcisi apud Iudæos, qui propterea non poterant vesci Agno Paschali.

Huc pertinet sensus antiquæ Ecclesiæ distinguentis Missam Catechumenorum

V. *Missa Catechumenorum.* à Missa fidelium, vbi, nomine fidelium comprehendebantur tantum illi, qui fidem suam solemniter professi erant per Baptismum, ideo cæteri omnes, dum illa fidelium Missa celebrabatur, publica voce Diaconi, mittebantur ab Ecclesia. A qua missione tota illa pars Liturgiæ à principio vsque ad offertorium, Catechumenorum Missa dicta est.

VI. *Qui non sunt baptizati non sunt nati.* Secundo probatur ratione, quia non dicuntur esse in familia, qui nondum nati in illa sunt. Constat autem non aliam esse generationem, & natiuitatem in Domo Ecclesiæ, nisi Baptismum, iuxtà illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*, vbi obseruat Toletus illud, *renatus*, magis ad sensum, quàm ad verbum translatum esse, nam Græcè simplex est verbum, nisi quis *Natus*, seu potius genitus fuerit; vnde Augustinus lib. 1. de pecc. merit. & remiss. cap. 30. legit, nisi quis natus fuerit. Cum ergo Catechumeni non sint baptizati, vtique non sunt nati, & ideo non dicuntur esse adhuc in familia, & de familia Christi, quæ est Ecclesia: propterea optimè dixit Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 3. Catechumenos non esse in Ecclesia actu, & propriè, sed tantùm in potentia. Nam legimus Act. 2. *Qui ergo acceperunt Verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Hunc quoque modum loquendi sequutus est Pater Suarez disp. 11. sect. 1. de Catechumeno respectu Eucharistiæ: non est, inquit, aptus vt nutriatur, *qui nondum est genitus*, quod significatum fuit vt scribit Basilius Homil. 13. in Israelitico populo, qui neque aquam de Petra bibere, nec Celestem panem manducare valuit, donec Mare pertransiit.

VII. *Cathecumeni possunt saluari.* Sed contra hanc doctrinam illud obstare videtur, quod scilicet Catechumeni, vt indicauimus, si moriantur in illo statu possunt saluari, quod disertis verbis affirmat S. Ambrosius in Oratione de Obitu Valentiniani, de quorum numero Valentinianus ipse erat, cum de hac vita migraret, ex quo videtur consequens, illos esse de Ecclesia, nam extrà Ecclesiam nemo saluatur iuxtà illud Concilij Lateranensis cap. 1. Vna est fidelium Vniuersalis Ecclesia, extrà quam nullus omnino Saluatur. Neque huic difficultati faciunt satis, qui dicunt Catechumenos, & si non sint de Ecclesia, quæ propriè dicitur Christiana, sunt tamen de Ecclesia, quæ comprehendit omnes fideles ab Abel vsque ad Mundi consummationem, nam vt doctè Bellarminus; post Christi Aduentum, nulla est vera Ecclesia, nisi illa quæ propriè dicitur Christiana. Si ergo Catechumeni de ista non sunt, de nulla sunt.

VIII. *Qui non sunt nunc de Ecclesia Christiana, de nulla sunt.*

IX. *Catechumeni sunt de Ecclesia Christiana in Voto.* Respondemus igitur cum eodem, extra Ecclesiam neminem saluari intelligi debere de iis, qui neque re ipsa nec desiderio sunt de Ecclesia, sicut de Baptismo in voto communiter loquuntur Theologi, & S. Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 23. ait: Sine Baptismo Latro saluatus est, quia non eius accipiendi voluntas defuit. Quoniam autem Catechumeni, si non re, saltem Voto, & voluntate sunt in Ecclesia, ideo saluari possunt. Neque tamen hinc sequitur, ex illa voluntate, & Voto acquirere ius ad fructus Sacrificij, sicut in omnium sententia non sequitur acquirere ius ad vlla Sacramenta, neque ad alia, quæ sunt communia vniuersæ familiæ, quia huiusmodi ius sequitur filiationem, filiatio verò natiuitatem, quæ in Ecclesia visibili non habetur nisi per Baptismum reipsa susceptum.

Vna superest hoc loco examinanda difficultas, An Missæ Sacrificium possit directè offerri pro Catechumenis; si enim offerri potest etiam pro illis, signum esse videtur illis, etiam à Christo relictum esse, atque adeo illos etiam ius aliquod habere ad fructus Sacrificij.

P. Vasquez disput. 227. cap. 3. & 4. negat omnino Sacrificium hoc offerri posse pro Catechumenis, quamuis enim, inquit, possit in Missa pro Catechumenis orari, non potest tamen Missa pro eis offerri. Verum hoc sine sufficienti fundamento dictum videtur, & vt existimo sine vlla necessitate; & quidem quod dictum sit sine fundamento ostendit rectè Cardinalis de Lugo dis. 19. de Euch. sect. 10: vbi etiam aduertit Ecclesiam ferè nunquam explicare in actu signato, se offerre pro impetranda hac, vel illa re, sed solum orare pro illa re dum Sacrificium celebrat. Et hoc ipsum, inquit, est in actu exercito offerre ad illam impetrandam. Quod autem dictum sit sine necessitate, manifestum mihi est ex eo, quia nullo modo negari potest hoc Sacrificium offerri posse etiam pro iis, quos certum est nullum habere ius ad communes fructus Ecclesiæ, vt sunt infideles; nam vt notat Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 6. In antiqua Ecclesia offerebatur Sacrificium pro Principibus, & Regibus, qui tamen erant omnes Infideles, & omnino extrà Ecclesiam; quod enim Apostolus ait 1. Timoth. 2. *Volo igitur fieri orationes* &c. communiter à Patribus exponitur de Orationibus, quæ fiunt in Sacrificio, neque quidquam facit doctrina de Oratione, vt distinguitur ab oblatione, nam Chrysostom. Homil. 6. in hanc Epistolam expresè dicit pro Rege gentili esse *offerendum*, & Tertullianus in lib. ad scapulam, *Sacrificamus*, inquit, pro salute Imperatoris, & in lege Veteri, *Sacrificabatur* pro vita Regis Darij, & filiorum 1. Esdræ 6. & in 2. lib. Machab. cap. 1. Pro salute Heliodori gentilis. Præterea Clemens lib. 8. Constit. cap. 18. docet Apostolos obtulisse Sacrificium Eucharistiæ pro Regibus sui temporis; & reductione eorum, qui versabantur in errore, & in Liturgia Iacobi fit expressa oratio pro extirpatione hæresum. Chrysostomus, & Basilius in Liturgia, similiter erant pro toto Orbe Terrarum, & nominatim pro errantibus vt reuocentur ab errore. Chrysostomus prætcrea lib. 6. de Sacerdotio, dicit, Sacerdotem Sacrificantem orare pro peccatis omnium hominum, vt illis Deus propitius fiat. Non igitur dubitari potest, ait Bellarminus, quin absolutè liceat Sacrificium offerre pro iis, qui sunt extrà Ecclesiam, si nulla sit expressa prohibitio, vt de excommunicatis; quod si pro infidelibus, qui nullo modo pertinent ad Corpus Christi, offerre licet, quanto magis pro Catechumenis, qui sunt substantialiter vniti Ecclesiæ per fidem, & aliquando etiam per Charitatem; quamuis nondum per Baptismum, & Characterem: Merito ergo in Ordine Romano vbi describitur scrutinium Tertium, quod agitur Serm. 4. post Domin. 4. Quadragesimæ, instituitur Missa propriè pro Catechumenis.

X. *Sacrificium offerri potest.*

XI. *Potest offerri etiam pro infidelibus.*


Sed dices ex doctrina P. Vasquez, ex eo quod Catechumeni nullum habent ius ad Sacramenta, incapaces omnino sunt omnium fructuum Sacramentorum; ergo si nullum habent ius ad Sacrificium, incapaces etiam sunt fructuum Sacrificij, ergo sicut ex illa incapacitate non potest illis Sacramentum aliquod conferri, ita neque pro illis Sacrificium offerri.

XII. *Nemo est incapax Sacrificij.*

XIII. *Baptismus non est Ianua neque Orationis, neque oblationis.* Respondeo negando consequentiam, vt enim loquitur P. Vasquez, quamuis pro Ianua Sacramentorum Christus Baptismum instituerit, vt sine illo nullius Sacramenti fructus quis capax esse possit, tamen institutus à Christo non fuit pro Ianua Orationis. Constat autem Sacrificium sequi naturam Orationis, cuius fructum communem omnibus Christus esse voluit. Quare, & si nullum ius habeant infideles, vt Ecclesia pro ipsis oret, tamen sicut capaces sunt fructuum Orationis Ecclesiæ, si pro illis fiat, ita & oblationis, quæ concessa maximè est ad iuuandam orationem. Neque verò hinc sequitur hoc Sacrificium relictum esse etiam infidelibus, quamuis enim non pro sola fidelium salute relictum sit, fidelibus tamen solis relictum est, qui possint etiam pro infidelibus, si velint illud offerre ad illos impetrandos fructus, quorum illi capaces sunt. Atque hic recolenda est doctrina, quam alibi insinuauimus super illis verbis Domini Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, an sit

XIV. *Sacrificium est relictum tantum fidelibus, sed non tantum pro fidelibus.* promissio hæc intelligenda, quando Ecclesia pro se tantùm petit, an etiam quando petit pro aliis extrà Ecclesiam, vbi licet aliqui affirment, intelligendam Domini sententiam in his, quæ Ecclesia pro se petit, Nixi præsertim illo verbo: dabit *Vobis*, filiis videlicet Ecclesiæ. Tamen cum communiori Doctorum diximus, intelligendam etiam in his, quæ pro infidelibus petit; quia quando Ecclesia pro infidelibus orat, & exauditur, quamuis quod petit conferatur illis, pro quibus orat, tamen ipsa, quæ orat, est quæ exaudiri dicitur, & quæ impetrat, & cuius petitio fructuosa est, idcircò dicitur: *fiet vobis*, idest, quod vos fideles petitis consequimini, siue id sit pro vobis, siue pro aliis. Idem dicimus de oblatione, cuius impetratio non respicit immediatè personas, quibus


XV. *Ecclesia etiam cum offert pro infidelibus, offert pro se.* confertur effectus, sed Ecclesiam, quæ postulat, vnde quando offert pro Catechumenis, seu etiam infidelibus, non tam offert pro illis, quam pro se, vt impetret sibi immediatè argumentum corporis sui iuxtà id, quod docuit S. Thomas in 4. distinct. 12. quæst. 2. art. 2. q. 2. ad 4. quod tunc scilicet offertur ab Ecclesia etiam pro membris Christi, quando offertur pro aliquibus vt fiant membra Christi.



QVÆSTIO QVARTA.

An Hæretici, et Apostatæ habeant ius aliquod ad fructus huius Montis.

I. *Ratio dubitandi.*
II. *Conclusio negatiua, eiusque fundamentum.*
III. *Hæresis est naufragium.*



LOQVIMVR de Hæreticis, & Apostatis verè baptizatis, nulla ratione habita excommunicationis adiunctæ, & quærimus an ex natura rei, seclusa Ecclesiastica censura, ius aliquod habeant ad hoc Sacrificium. Ratio dubitandi non est leuis, quia vt ait P. Vasquez disp. 228. cap. 3. Hæretici verè baptizati ex se capaces sunt effectus Sacramentorum ratione suscepti Baptismi, licet aliquem effectum illorum ratione prauæ dispositionis non recipiant. Quocirca si quis eorum ritè ordinetur, Characterem Ordinis, & potestatem illius accipit, quamuis gratiam habitualem, seu argumentum illius prauam suam dispositionem non recipiat; sicuti ergo ratione Baptismi ius aliquod habere videntur ad Sacramenta ita etiam ad Sacrificium. I. *Ratio dubitandi.*

Sed nos iactis fundamentis incumbentes, negatiuam statuimus conclusionem, quam sumimus ex Conciliis, Nicæno, & Lateranensi locis infra citandis, & probamus hoc pacto. II. *Conclusio negatiua eiusque fundamentum.*

Hæretici, & Apostatæ quantumuis rite baptizati non sunt membra, & pars familiæ Christi; ergo nullum habent ius ad fructus huius Montis, qui vt vidimus, Mons est familiæ Christi consequentia ex dictis est manifesta. Antecedens probatur à Bellarmino Tom. 2. Contr. lib. 3. cap. 4. ex Scripturis, Conciliis, & Patribus. Et primo ex Scripturis quæ hoc indicant, nam 1. Timot. 1. dicitur: *Quidam circa fidem naufragauerunt*, quo loco per Metaphoram naufragij intelligit Apostolus Hæreticos fracta vna parte nauis Ecclesiæ ex ea in Mare decidisse. Adde ex S. Thoma, meritò naufragium dici circa fidem, qui III. *Hæresis est naufragium.*

enim contra fidem errat, perdit omnia, quæ habet, cum *sine fide impossibile sit placere Deo.* Hebr. 11. & rursus, qui contra fidem errat, mori dicitur: quia Iustus meus ex fide viuit. Abac. & Rom. 1.

IV. *Hæreticus ex se condemnatus.* Præterea ad Titum 3. ait Apostolus: *Hæreticum hominem deuita cum sit proprio iudicio condemnatus.* Vbi Apostolus Episcopo præcipit, vt hæreticum vitet, quod certè non iuberet, si esset intra Ecclesiam: debet enim Pastor non vitare, sed curare eos, qui ad suum gregem pertinent, & addit rationem, quia talis pertinax hæreticus est proprio iudicio condemnatus, idest, vt Hieronymus exponit, non est eiectus ab Ecclesia per excommunicationem, vt multi alij peccatores, sed ipse se ipsum ab Ecclesia eiecit.

V. *Hæreticus foras Ecclesiam.* Item 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*, idest ex nobis exierunt, quia erant nobiscum in eadem Ecclesia, sed non erant ex nobis secundum Diuinam electionem, vt Augustinus exponit lib. de Bono seru. cap. 8. vbi nota, Bellarminum ob maiorem claritatem maluisse legere, exierunt, quàm prodierunt, quamquam in editione vulgata non habeatur, *ex nobis exierunt*, sed ex nobis prodierunt, sed sequutus est vir doctissimus, exemplum S. Cypriani, & S. Augustini, qui hoc Ioannis verbo, in Hæreticos sui temporis inuehuntur. Audi Cyprianum lib. 1. epist. 8. Nemo, inquit, existimat bonos de Ecclesia posse discedere, triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit; inanes paleæ tempestati iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Hos execratur, & percutit Ioannes Apostolus, dicens: *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis*: Audi Augustinum super hunc locum, Ioanne ipso, inquit, exponente, intelligitis non posse *exire foras* nisi

VI. *Hæretici, & Apostatæ, humores noxij Ecclesiæ.* Antichristum, eos autem, qui non sunt Christo contrarij foras exire nullo modo posse, qui enim non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret, & membrum computatur: Sic S. Augustinus, qui paulò post pulchrè explicat, qua ratione quidam sint nobiscum, nec tamen sint ex nobis. Sic sunt, inquit, in corpore Christi quomodo humores mali quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur, & dicit quando eos euomit, atque proiicit corpus; ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me, non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cum inessent. Ex nobis *exierunt*, sed nolite tristes esse; non erant ex nobis.

Secundo probatur ex Conciliis, & primo ex Niceno cap. 8. & 19. vbi Hæretici dicuntur posse recipi in Ecclesiam si redire velint, cum certis tamen conditionibus. Deinde ex Concilio Lateranensi vbi Ecclesia dicitur fidelium Congregatio. Constat autem Hæreticos nullo modo esse fideles.

VII. *Hæretici Simiæ.* Tertio probatur ex Patribus. Irenæus lib. 3. cap. 5. dicit, Polycarpum multos hæreticos ad Ecclesiam conuertisse, ex quo sequitur eos antea fuisse de Ecclesia egressos. Tertullianus lib. de præscriptione, dicit, Marcionem cum ad Ecclesiam redire vellet conditionem accepisse, vt cæteros, quos peruerterat, Ecclesiæ restitueret. Cyprianus in Epist. ad Iubaianum, dicit, hæreticos cum sint extrà Ecclesiam, tamen vindicare sibi Ecclesiæ authoritatem more simiarum; quæ cum homines non sint, tamen homines videri volunt, S. Augustinus lib. de Vnit. Eccles. cap. 4. qui non credunt, non vtique sunt in Ecclesia. Omitto alios.

Ratio

Ratio autem nostræ Conclusionis sumenda est à definitione ipsa Ecclesiæ, seu familiæ Christi, quæ est multitudo hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione colligata sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè vnius Christi in Terris Vicarij Romani Pontificis. Ex quarum partium consideratione clarè conficitur, hæreticos non esse de corpore Ecclesiæ; qua enim ratione ait Bellarminus eos de Ecclesiæ corpore esse dicamus, qui cum eo nullam omnino coniunctionem habent: nam talis coniunctio in professione potissimum vnius fidei, & earundem legum, ac rituum obseruatione consistit. VIII. *Ratio fundamentalis ex definitione Ecclesiæ.*

Sed dices primo. Hæretici verè baptizati, absolutè sunt Christiani; ergo sunt de familia Christi.

Respondeo, si loquamur de Hæreticis manifestis, de quibus hic sermo est, qui scilicet nec in corde, nec in ore veram Christi fidem habent, negamus esse verè, ac propriè Christianos: Christianus enim, nomen est externæ professionis, vnde Christiani dici non possunt, qui Christi veram legem, ac fidem publicè non colunt, ac sequuntur. Ideo antiqui Patres, quales sunt Tertullianus lib. de Pudicitia. Cyprianus lib. 4. Epist. 2. Athanasius serm. contra Arrianos, & Augustinus lib. de Gratia Christi cap. 11. apertè dicunt huiusmodi hæreticos non esse verè Christianos. Huc refero quod dixit S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos circa finem. Sicubi audieris, inquit eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupati, vt puta Marcionistas, Valentinianos, Montenses, siue Campenses, scito non Ecclesiam Christi, sed Ante-Christi esse Synagogam. IX. *Hæretici non sunt Christiani.*

Dices secundo. Hæretici ab Ecclesia iudicantur, & puniuntur, & possunt temporalibus, etiam pœnis, & morte ipsa mulctari; ergo Hæretici non sunt foris, sed intra Ecclesiam; nam *Quid mihi est*, inquit Paulus 1. Corinth. 5. *de iis qui foris sunt, iudicare*: Antecedens patet ex legibus Ecclesiæ, item ex Constantiensi Concilio sess. 15. vbi damnatur sententia Ioannis Hus, asserentis non licere hæreticum incorrigibilem tradere sæculari potestati, & permittere comburendum. Et præterea ex Leone Decimo, qui damnauit Articulos Lutheri, hoc idem affirmantis in Articulo 33.

Respondeo. concedendo antecedens, quod non solum ex Scriptura Veteris Testamenti, sed ex Nouo confirmat Bellarminus lib. 3. de Laicis, nam habemus in primis Matth. 18. posse Ecclesiam eos, qui obedire nolunt, à se reiicere, & habere sicut Ethnicos, & Publicanos, ac proinde permittere eos potestati sæculari tanquam non amplius Ecclesiæ filios. Habemus deinde Rom. 13. Sæcularem potestatem posse scelestes homines gladio punire. *Non enim*, inquit, *sine causa gladium portat, minister enim Dei est vindex in ira.* Ex quibus duobus locis apertè colligitur, ait Bellarminus, licitum esse Hæreticos ab Ecclesia abscindi, & à sæculari iudice morte mulctari, sicut autem illa habet Principes Ecclesiasticos, & Sæculares, qui sunt quasi duo Ecclesiæ brachia, ita duos habet gladios spiritualem, & materialem, & ideo quando manus dextera gladio spirituali non potuit hæreticum conuertere, inuocat auxilium brachij sinistri, vt gladio ferreo hæreticos coerceat, vbi obiter nota cum S. Bernardo lib. 4. de Considerat. Gladium ferreum esse etiam gladium Patri, qui tuum negant, X. *Ecclesia potest Hæreticos iudicare, & punire.* XI. *Duo gladij Ecclesiæ.*

ait Bernardus, non satis mihi videntur attendere verbum Domini dicentis sic: conuerte gladium tuum in vaginam, tuus ergo & ipse tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginandus, alioqui si nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apostolis: *Ecce duo gladij hic*, non respondisset Dominus, *satis est*, sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò, & ab Ecclesia exercendus est, ille Sacerdotis, is Militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris: Hæc Bernardus.

XII. *Cur Ecclesia potest iudicare de Hæreticis, non verò de Paganis.*

Concedendum est ergo vltro antecedens, sed neganda est consequentia, quia vt ait idem Bellarminus, licet Hæretici sint extra Ecclesiam, nec sint de Ecclesia, habent tamen debitum, & obligationem manendi intus; illi enim promiserunt, professique sunt se Christi fidem seruaturos, idque per professionem solemnem Baptismi.

Potest autem Ecclesia iudicare de iis, qui re ipsa intus sunt, vel certe esse debent, sicut Pastor reuera potest Ouem, quæ extrà Ouile errat per montes, cogere iterum ad Ouile, & Imperator potest desertorem militiæ, qui transfugit ad Castra hostium, vi cogere ad sua Castra, aut etiam suspendere; Apostolus autem loquitur de iis, qui ita foris sunt, vt nunquam fuerint intus. Quæ est aperta differentia inter Paganos, & Hæreticos. In illis enim, qui fidem nunquam receperunt, quamuis fides libera non sit ab obligatione Iuris Diuini, est tamen libera ab obligatione Iuris humani; & ideo licet Deus illos puniat, homines tamen non possunt cogere, at in iis, qui eam in Baptismo professi sunt, non est libera ab obligatione, nec iuris Diuini, nec humani, & ideo cogunt homines, vt ea seruetur.

Dices tertiò. Hæretici semper retinent Characterem baptismalem, immò etiam Characterem Sacerdotij, si semel fuerint ritè initiati; ergo non solum sunt de Ecclesia, tanquam Christiani, sed etiam sunt eiusdem Ecclesiæ veri Sacerdotes; ergo absolutè pertinent ad familiam Christi. Et confirmatur à fortiori, quia si Papa incidat in hæresim manifestam, non est ipso facto depositus, quamuis possit, ac debeat deponi ab Ecclesia; si autem hæreticus manifestus nullo modo esset Christianus, hoc ipso talis Papa esset depositus ante omne Iudicium Ecclesiæ, quia hoc ipso desineret esse membrum, atque adeo Caput corporis Ecclesiæ.

XIII. *An Papa hæreticus manifestus sit ipso facto depositus.*

Propter hoc argumentum dixerunt aliqui, quibus fauet Cardinalis Caietanus in Apologia cap. 25. Hæreticos non esse quidem Christianos simpliciter, sed tamen esse Christianos secundum quid, nam cum duo faciant Christianum, fides, & Character, Hæretici amissa fide, adhuc retinent Characterem, & ratione illius adhuc adhærent aliquo modo Ecclesiæ, & capaces sunt Iurisdictionis. Hinc docuit vlterius Caietanus in Tract. de Authorit Papæ; Papam hæreticum manifestum non esse ipso facto depositum, sed posse, ac debere deponi ab Ecclesia; neque hinc sequi Ecclesiam ex eo quod Papam deponit, habere authoritatem in Papam, sed solum in illam coniunctionem personæ cum Pontificatu, vt enim Ecclesia potest coniungere Pontificatum cum tali persona, & tamen non dicitur propterea esse supra Pontificem, ita potest separare Pontificatum à tali persona in casu hæresis, & tamen non dicetur esse supra Pontificem.

At nos inhærentes iudicio Bellarmini lib. 2. de Roman. Pont. cap. 30. existi-

mamus prædictam responsionem sustineri non posse ob quatuor, quæ inuoluit plane falsa. Primum, Hæreticos manifestos esse aliquo modo Christianos. Secundum, esse capaces Iurisdictionis, & retinere dignitatem Ecclesiasticam, donec ab Ecclesia spolientur. Tertium, Papam hæreticum manifestum non ipso facto esse depositum. Quartum, posse Papam hæreticum ab Ecclesia deponi verè, & ex authoritate.

Et primo falsum est, hæreticos manifestos esse aliquo modo Christianos, quia nullo modo sunt partes, & membra Ecclesiæ, vt testantur Cyprianus, Augustinus, Gregorius, duoque Concilia, Lateranense, & Florentinum apud Canum lib. 4. de locis cap. 2. qui ait absurdum esse, qui Catholicæ Ecclesiæ partes non sunt, hos Ecclesiæ partes asserere, & sanè non video, qua ratione dicendi sint Christiani, qui neque animo, neque corpore, siue neque vnione interna, neque externa vniti sunt Christo. Nam quod Catechumeni dicantur aliquo modo Christiani, id licet non faciat externa vnio cum Christo, facit tamen interna; rursum quod Hæretici occulti dici etiam possint, & debeant Christiani, ideo est quia verè externa illa vnione per confessionem externam fidei, & visibilem Sacramentorum participationem vniti sunt Christo. At Hæretici manifesti quid habent, per quod vniantur actu cum Christo? Habent Characterem Baptismi. Profectò habent; verum si ad vniendum aliquem cum Christo, & constituendum illum in Ecclesia, character sufficeret, vtique etiam in Inferno esset Ecclesia, & damnati essent aliquo modo, actu membra Christi; cum tamen ex S. Thoma damnati ne potentia quidem amplius sint membra Christi: neque verum est Characterem vnire propriè hominem cum capite, sed est signum potestatis, & vnionis cuiusdam; & ideo in Inferno, illo signo cognoscentur, quæ fuerunt membra Christi, sicut dignoscuntur oues perditæ, seu potius mortuæ per Characterem inustum in dorso, & desertores militiæ interfecti per signa militaria. Et sanè ait Bellarminus, si ratione Characteris hæreticus maneret actu conjunctus cum Ecclesia, nunquam posset præcidi, & separari actu ab ea, quia Character est indelebilis, cum tamen omnes fateantur quosdam posse præcidi de facto ab Ecclesia; igitur Character non facit hominem hæreticum esse actu in Ecclesia, sed solum esse signum, quod fuerit in Ecclesia, & quod debeat esse in Ecclesia. Quomodo Character Oui impressus, quando illa errat in montibus, non facit eam esse in Ouili, sed indicat ex quo Ouili, & quo iterum compelli possit.

XIV. *Hæretici nullo modo sunt Christiani.*

XV. *Character Sacramentalis quid præstet.*

XVI. *Non habet actu vnire.*

Falsum est secundum, Hæreticos scilicet manifestos Ecclesiasticæ Iurisdictionis, & dignitatis cuiusuis esse capaces, nam Sancti Patres concorditer docent, ait Bellarminus non solum illos esse extrà Ecclesiam, sed etiam ipso facto carere omni Iurisdictione, & dignitate. Satis nobis sit vnum testimonium S. Cypriani Io. lib. 1. Epist. 6. Dicimus, inquit, omnes omnino hæreticos, atque Schismaticos nihil habere potestatis, & Iuris. Idem lib. 2. Epist. 1. docet hæreticos ad Ecclesiam redeuntes, suscipiendos, vt laïcos, etiamsi antea in Ecclesia Presbyteri, vel Episcopi fuerint. Et lib. 4. Epist. 2. dicit, Nouatianum, qui fuit Papa in Schismate cum Cornelio, & si verus, ac legitimus Papa fuisset, tamen eo ipso casurum fuisse à Pontificatu si se ab Ecclesia separaret.

XVII. *Hæretici Iurisdictionis incapaces.*

Hinc falsum esse patet Tertium, quod scilicet Papa hæreticus manifestus, non sit ipso facto depositus, nam Patres vniuersaliter docent, quod ait Optatus lib. 1.

XVIII. *Papa hæreticus*

est ipso facto depositus. contra Parmenianum, hæreticos, & Schismaticos, claues Regni Cœlorum habere non posse, nec soluere, aut ligare, quod satis clarè probat authoritas Apostoli superius allata ad Tit. 3. Ibi enim iubet hæreticum post duas correptiones, idest postquam manifestè apparet pertinax, vitari, & intelligit ante omnem excommunicationem, & sententiam Iudicis, vt ibidem scribit Hieronymus, vbi dicit, alios peccatores per sententiam excommunicationis excludi ab Ecclesia, hæreticos autem per se discedere, & præcidi à Corpore Christi. At non potest vitari Papa, manens Papa. Quomodo enim, ait Bellarminus vitabimus Caput nostrum? quomodo recedemus à membro nobis conjuncto? Poterit autem Ecclesia vitare, immò & iudicare, & punire si per se, & non per depositionem, desinat esse Papa, & Caput; meritò autem desinit esse Caput id, quod non est membrum, non est autem membrum Ecclesiæ, qui non est Christianus, quod verò hæreticus manifestus, non sit Christianus apertissimè docent Patres, quos superius citauimus.

XIX. *Papa quamdiu non est depositus à nemine potest iudicari.* Denique Quartum. Illud de depositione Pontificis ex Ecclesiæ authoritate patet etiam esse falsum, non quod existimemus hæreticum Papam iudicari non posse; nam scimus in Octaua Synodo Act. 7. recitari acta Concilij Romani sub Hadriano, in quibus continebatur, Honorium Papam Iure videri anathematizatum, quia de hæresi fuerat conuictus, ob quam solam causam licet minoribus iudicare maiores, vbi notat Bellarminus, quod & si probabile sit Honorium non fuisse hæreticum, & Hadrianum secundum Papam deceptum ex corruptis exemplaribus sextæ Synodi, falsò putasse Honorium fuisse hæreticum; tamen non possumus negare quin Hadrianus cum Romano Concilio, immò & tota Synodus octaua generalis, senserit in causa hæresis posse Romanum Pontificem iudicari. Itaque hoc non negamus, sed dicimus in illo casu posse Papam iudicari, & puniri, quia antecedenter ad Iudicium Ecclesiæ desiit esse Papa, proprio iudicio condemnatus, vt docet Apostolus, hoc est præcisus à corpore Ecclesiæ ante omnem excommunicationem ex natura hæresis, vt exponit Hieronymus; in Sententia autem Caietani, qui docet Papam hæreticum manifestum non esse ipso facto depositum, sequeretur hoc, quod dicimus esse falsum, Ecclesiam nimirum in illo casu esse supra Papam: punire enim, & iudicare est superioris, & Iudicis, vnde ex eo quod Papa deponit Episcopos, deducimus Papam esse super omnes Episcopos.


XX. *Rejicitur Sententia Caietani.*


Neque verò quidquam facit subtilitas illa de authoritate Ecclesiæ, non in Papam, sed in conjunctionem personæ illius cum Papatu, vt sicut possunt Cardinales Electores conjungere Pontificatum cum tali persona, & tamen non dicuntur propterea Electores esse supra Pontificem, ita possint separare Pontificatum à tali persona in casu hæresis, & tamen non dicentur esse supra Pontificem, nam disparitatem, eamque satis claram affert Bellarminus, quia dum res fit, actio exercetur circa materiam rei futuræ, non circa compositum, quod nondum est, at dum res destruitur exercetur circa compositum, vt patet in rebus naturalibus. Itaque Cardinales dum Pontificem creant, exercent suam authoritatem, non supra Pontificem, quia nondum est, sed supra materiam idest circa personam, quam per electionem quodammodo disponunt, vt à Deo Pontificatus formam recipiat, at si Pontificem deponerent, necessario exercerent authoritatem supra compositum, idest supra personam Pontificia dignitate præditam, idest supra Pontificem, sicut Pontifex ipse deponens Episcopum, licet non destruat Episcopatum, sed solum

separet ab illa persona; verè exercet authoritatem supra compositum, & supra Episcopum.

Dices Quarto. Hæretici manifesti, si alioqui legitimè ordinati sint Presbyteri, aut Episcopi, sunt veri Ministri Sacramentorum Ecclesiæ, eiusque Sacrificij; ergo ipsi verè pertinent ad familiam Christi, quæ est Ecclesia. Consequentia videtur clara, quia Ministri familiæ sunt de familia. Antecedens probatur, quia si Ministri Sacramentorum, & Sacrificij sunt, profectò Sacramentorum, & Sacrificij Ecclesiæ Ministri sunt, quia Sacramenta sunt solius Ecclesiæ Catholicæ, quam Christus condidit, & extrà Ecclesiam non est verum Sacrificium. Quod autem veri Ministri Sacramentorum, & Sacrificij sint, patet, quia potestas Ordinis supernaturalis non aufertur per infidelitatem, aut quodcumque aliud peccatum, neque ita ligatur, quin si operetur, factum teneat, quando potestatem Iurisdictionis simul non requirit; potestas autem conficiendi Sacramentum, & Sacrificium, potestas solius Ordinis est, quæ cum detur per impressionem Characteris, efficitur, vt per nullam Ecclesiæ prohibitionem Sacerdos priuari possit hac potestate, aut etiam vsu eius quoad hoc, vt Sacramentum factum teneat, quia Character Sacerdotalis est indelebilis. Cum ergo huiusmodi hæretici veri Ministri maneant Sacramentorum Ecclesiæ, videntur etiam manere ratione ministerij in corpore Ecclesiæ. XXI. *An hæretici presbyteri sint Ministri Ecclesiæ.*

Respondeo concedendo tales hæreticos legitime ordinatos esse veros Ministros Sacramentorum Ecclesiæ propter rationem factam in argumento, quia per infidelitatem non aufert Deus à Ministro datam ei semel potestatem, sicut nec per quodcumque aliud peccatum, tum quia Authoritas conferendi Sacramenta non est gratia gratum faciens, sed gratis data, cuius generis gratias constat in Infidelibus, & peccatoribus esse posse, tum quia talis authoritas non datur in vtilitatem habentis, sed aliorum; vnde non erat conueniens, vt auferretur propter peccatum aut infidelitatem habentis, sic enim vnus puniretur ob culpam alterius. XXII. *Hæretici ritè ordinati sunt veri Ministri Sacramentorum Ecclesiæ.* Ex hoc tamen non sequitur illos esse Ministros Ecclesiæ, atque adeo neque ex hac parte sequitur illos esse de Ecclesia. Aliud ergo est, esse Ministrum Sacramenti Ecclesiæ, aliud esse Ministrum Ecclesiæ. Sacramenta semper sunt Ecclesiæ, etiamsi interdum extrà Ecclesiam reperiantur; quocirca cum veniunt ad Ecclesiam baptizati ab Hæreticis, agnoscendum est quod est Ecclesiæ, idest Baptisma, & retinendum, & error tantum rejiciendus, & corrigendus est. Similiter sacrificium semper est Ecclesiæ, etsi Sacerdos hæreticus illud offerat, & quamuis extrà Ecclesiam offerat, Sacrificium tamen Ecclesiæ offert, sed quamuis Sacramenta, & Sacrificium semper sint Ecclesiæ, ipsi tamen non sunt Ministri Ecclesiæ, quia præcisi sunt ab Ecclesia, & nullam ab illa habent authoritatem, Iurisdictionem, aut facultatem vllam, vt in illius persona, & nomine agant. XXIII. *Licet Sacramenta sint Ecclesiæ ipsi tamē non sunt Ministri Ecclesiæ.*





QVÆSTIO V.

An Schismatici ius aliquod habeant ad fructus huius Montis.

I. *Proponitur ratio dubitandi.*



DE Schismaticis aliqua videtur ratio dubitandi, quia nonnulli Catholicorum, vt Bellarminus testatur, affirmant, eos esse de Ecclesia, atque adeo de Christi familia; & ratio pro hac Sententia esse potest, quia Schismatici verè fidem Catholicam habent, vnde videtur sequi, eos esse verè Catholicos, & quamuis nolint subesse Pontifici, verè tamen volunt subesse Christo Summo Capiti. Quare cum Ecclesia sit fidelium Congregatio sub vno Capite Christo, videntur Schismatici esse de Ecclesia, vel saltem non omnino extrà illam esse; atque adeo participes aliquo modo fieri de Iure ad fructus Montis, quem habent homines eiusdem familiæ.

II. *Conclusio negatiua, eiusque fundamentum.*

At nos contrario prorsus nixi fundamento, dicimus Schismaticos nullum ius habere ad fructus Montis familiæ, seu Ecclesiæ Christi, quia verè non sunt de familia, & Ecclesia Christi.

Et ratio fundamentalis affertur à Bellarmino lib. 3. cap. 5. Quia de ratione Ecclesiæ est, vt sit vna vnione membrorum inter se, & cum suo Capite, ergo illi tantùm sunt in Ecclesia, qui verè sunt in communione Capitis, & aliorum membrorum. Constat autem Schismaticos, non in ea communione, sed in opposita separatione esse, hoc enim (Schisma) significat, & facit, scissionem scilicet eius, quod vnum erat, in partes; ergo Schismatici non sunt de Ecclesia; quemadmodum pars scissa à corpore non est amplius pars eius corporis, neque est in Corpore, aut de Corpore.

III. *Qua ratione Ecclesia est vna.*

Quod autem vnitas essentialis Ecclesiæ consistat in illa conjunctione membrorum inter se, & cum Capite, probat Bellarminus percurrendo omnes vnitates, quæ inueniuntur in Ecclesia, cuiusmodi sunt vnitas primi Principij, vnitas vltimi finis, vnitas mediorum, vnitas Spiritus Sancti, vnitas Capitis Christi, eiusque Vicarij, denique vnitas connexionis membrorum inter se. Iam verò inter has vnitates, illæ,

quæ faciunt propriè Ecclesiam vnam, sunt duæ vltimæ; nimirum vnitas ratione eiusdem Capitis, tanquam interni, & conjuncti Rectoris. Et rursus vnitas ratione connexionis membrorum inter se, & præcipuè cum principali membro, quod est Caput; de prima loquitur Apostolus Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*; ipsum, hoc est Christum, eiusque Vicarium, Ioan. vltim. *Simon Petre pasce oues meas.* De secunda idem Apostolus loquitur Rom. 12. *Vnum corpus sumus alter alterius membra.* Hæ duæ vnitates, ait Bellarminus, faciunt propriè Ecclesiam vnam; nam per primam, inquit, Ecclesia, non tam est vna, quàm ex vno. Per secundam non tam est vna, quam ad vnum. Per tertiam non tam est vna, quam per vnum. Per quartam non tam est vna, quàm sub vno. Per quintam, & sextam propriè est vna, idest vnum corpus, vnus populus, vna societas. Schisma autem opponitur his vnitatibus postremis, tunc enim est Schisma, quando vnum membrum non vult amplius esse membrum illius corporis, nec sub illo Capite, quare tollit vnitatem essentialem, atque Ecclesiam ipsam, Schismaticus igitur non est de Ecclesia.

Sed objicies primo. Schismatici sunt Catholici, ergo sunt de Ecclesia Catholica, ergo idem ius habent, quod reliqui de familia Christi. Antecedens probatur, quia Schismatici fidem Catholicam habent, & simpliciter ea credunt, quæ nos credimus, vt ait S. Augustinus de Fide, & Symbolo cap. 10. Consequentia patet, quia vt definiuit Papa Nicolaus, Ecclesia est Catholicorum Congregatio.

Respondeo. Negando antecedens, quamuis enim sit verum Schismaticos fidem Catholicam habere, quia tamen eam fidem Ecclesia Catholica non profitentur; propterea dici propriè Catholici non possunt. Quod satis probat testimoninm totius Ecclesiæ, quæ in Parasceue orat pro hæreticis, & Schismaticis, vt eos Deus ad Ecclesiam Catholicam reuocare dignetur. Quod certè non faceret ait Bellarminus, si eos in Ecclesia Catholica esse crederet. Accedit Augustinus ipse adductus in argumento. Credimus, inquit, & sanctam Ecclesiam vtique Catholicam; nam & Hæretici, & Schismatici Congregationes suas, Ecclesias vocant; sed Hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; Schismatici autem discessionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamuis ea credant, quæ credimus. *Qua propter nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam quoniam diligit Deum, nec Schismaticus quoniam diligit proximum.*

Objicies secundo. Si Schismatici in odium veræ fidei Catholicæ, quam profitentur, à Tyrannis occidantur, sunt veri Martyres; ergo pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quia extrà illam verum Martyrium non inuenitur.

Respondeo negando antecedens, nam ita docet sanctus Chrysostomus in Moral. Homil. 11. Schismatis peccatum, ne martyrio quidem potest expiari; quod intellige, ait noster Cornelius in cap. 4. ad Ephes. Si in Schismate manens quis pro fide occidatur, & Martyr fiat, tunc enim licet materialiter sit Martyr, formaliter tamen non est, quia Martyrium requirit, vt Martyr sit in Ecclesia, nec ab ea per Schisma separetur. Sed quid tandem fiet de Schismatico, qui pro vera in Christum fide, manens tamen in Schismate, mortem oppetat? Aio dimidiam partem priuilegij veri Martyrij illi obuenturam, nimirum vt nullo modo per Purgatorium transeat, sed sicut veri Catholicæ Ecclesiæ Martyres recta in Cœlum, ita ipse recta abeat in Infernum. Firmissimè tene, ait S. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 38.

V.
An Schismatici possint esse veri Martyres.

& 39. & nullatenus dubites, non solum Paganos, sed etiam Iudæos, Hæreticos, & *Schismaticos, qui extrà Ecclesiam Catholicam* præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.

Objicies tertiò. Schismatici sunt in parte scissa ab Ecclesia; ergo sunt in Ecclesia. Patet consequentia, quia partes Ecclesiæ sunt Ecclesia, sicut partes vestis scissæ æquè manent, & sunt vestis.

VI. *Pars scissa ab Ecclesia non est Ecclesia.*

Respondeo, negando consequentiam, quia pars scissa ab Ecclesia non est Ecclesia; vnde dixit S. Cyprianus lib. de Vnit. Ecclesiam significari per vestem Christi inconsutilem, quæ scissa non fuit, vt intelligeremus Ecclesiam scindi posse, sed non eo modo, quo Vestes, ita vt omnes partes æquè maneant partes Vestis, sed quomodo scinditur ramus ab arbore, qui statim moritur, arbore viuente, & riuus à fonte, qui mox arescit, fonte fluente, & radius à Sole, qui continuo deficit, Sole, vt erat permanente. Et sanè omnium temporum experientia ostendit omnes Ecclesias, quæ à Romano Capite se diuiserunt, tanquam ramos præcisos à radice, continuò aruisse. Certè, quæ est obseruatio Bellarmini de Notis Ecclesiæ. *Ecclesia* Asiaticæ, & Africanæ, quæ quondam ita florebant, vt numerosissima Concilia celebrarent, & semper haberent multos homines, vel vtroque Dei munere clarissimos, ab eo tempore, quo à Romana Ecclesia Schisma fecerunt, nulla Concilia celebrarunt, nullos habuerunt homines famæ Sanctitatis, aut doctrinæ toti Orbi notos, & nunc in summa ignoratione versantur. Ratio autem cur partes separatæ ab Ecclesia non sunt Ecclesia, illa est, quia Ecclesia est absolutè, & simpliciter vna. Ideo Scriptura illam vocat: Vnum Ouile, vnum Corpus, vnam Sponsam, vnam Amicam, vnam Columbam.

Objicies quarto. Schismatici sunt sub Christo, de quo ait Apostolus Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*: ergo pertinent ad corpus, atque adeo ad familiam Christi.

VII. *Schismatici non habent Christum Caput.*

Respondeo negando antecedens, quia non habet Caput, qui non est in corpore. Schismatici autem non sunt in corpore. Audi Augustinum lib. de Vnit. Eccles. cap. 19. Habere Caput Christum nemo poterit nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ecclesia, & Epist. 50. ad Bonifacium Comitem; Ecclesia Catholica sola est corpus Christi, cuius ille Caput est Saluator corporis sui, extrà hoc corpus neminem viuificat Spiritus Sanctus; & Epist. 152. ad Donatistas. Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi vnitate disjunctus est, non habebit vitam, sed Ira Dei manet super eum. Obseruandum est autem, quod sicut Christus est summum Caput, & immediatum Ecclesiæ quoad influxum interiorem, ipse enim per se influit in sua membra, sensum, & motum, idest fidem, & Charitatem; ita quoad influxum exteriorem doctrinæ Fidei, & Sacramentorum est Summum Caput per suum Vicarium, quia Vicarius immediatè, & visibiliter influit in Ecclesia Militante, & in omnia eius membra. Quare impossibile est aliquem posse tanquam membrum in corpore visibili Ecclesiæ subesse Christo, & non subesse Pontifici, & contra subesse Pontifici, & non subesse Christo, tanquam vero Capiti inuisibili. Atque adeo impossibile est Schismaticum habere suum Caput Christum.

QVÆSTIO



QVÆSTIO SEXTA.

An excommunicati ius aliquod habeant ad fructus huius Montis.



Res videtur ex terminis definita, quia perinde est excommunicatum esse, ac esse priuatum omni iure ad communia Ecclesiæ bona, quorum sine dubio præcipuum & maximum est Mons hic Propitiatorius pro peccatis; ideo rectè dixit Cardinalis Toletus lib. 1. cap. 12. num. 1. priuare communibus Ecclesiæ suffragiis, non tam est effectus, quam natura, & substantia excommunicationis, sicut aliquem priuare visu, non tam est effectus, quàm natura cæcitatis. I. *Sensus Quæstionis.*

Verum quamuis hoc certum sit, restat adhuc quæstio examinanda an excommunicati, licet cum priuatione Iuris, maneant adhuc in Christi familia; si enim in illa adhuc manent, difficile reddi potest ratio quomodo Ecclesia priuet illo iure, quod est à Christo concessum omnibus, & singulis suæ familiæ quamdiu in illa

II. *Ratio dubitandi.* manent, & de illa sunt; ex altera verò parte durum videtur Catholicos excommunicatos, & iure illo priuatos, non esse amplius de Christi familia, atque adeo non esse amplius in Ecclesia, & de Ecclesia; cum tamen plerique eorum cum Baptismo, & fidei promissione retineant etiam subjectionem Prælatis legitimis, si sint injustè excommunicati, vel saltem veram pœnitentiam agant, & debitam subjectionem acquirant, antequam absoluantur, quo temporis interuallo, huiusmodi pœnitentes non esse in Ecclesia magis adhuc durum, & absurdum videri possit.

III. *Excommunicati non sunt de Christi familia.* Nihilominus censeo cum Bellarmino lib. 3. cap. 6. excommunicatos, absolutè loquendo non esse in Ecclesia, atque adeo, neque esse de Christi familia, vt mirandum non sit, si nullum ius habeant ad communia illius bona. Probamus autem hanc sententiam multiplici argumento.

Primum argumentum. Excommunicati per Ecclesiasticam censuram fiunt veluti Ethnici; sed Ethnici non sunt de Christi familia, & Ecclesia, ergo neque excommunicati sunt de Christi familia, & Ecclesia. Maior probatur ex verbis Do-

IV. *Excommunicati habentur vt Ethnici.* mini Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus*, hoc est sicut infidelis, Dei fide, Religione, & lege priuatus, quod autem Dominus de excommunicatis loquatur, Interpretes omnes affirmant. Et pulchrè exponit S. Hilarius, qui addit Deum sic egisse cum populo Israël, vt Christus monet agendum. Primo enim corripuit populum inter se, & ipsum solum, quando apparuit illis cum Majestate in Monte Sinaï. 2. Adhibuit secum duos testes, idest legem, & Prophetas. 3. Dixit Ecclesiæ, idest misit Christum summum Præsulem Ecclesiæ, qui Iudæos objurgaret. Vltimo, cum illi Ecclesiæ Præsulem non audirent, neglexit eos, ac deseruit vt Ethnicos, & publicanos. Quibus verbis ait Bellarminus, ostendit, fieri sicut Ethnicum, quod fit per excommunicationem, esse ejici de populo Dei, & non ampliùs à Deo gubernari peculiari illa prouidentia, qua gubernat Ecclesia.

V. *Tolluntur de medio fidelium.* Secundum argumentum. Excommunicatus tollitur de medio fidelium, ergo ejicitur de Ecclesia, ergo non est amplius de Ecclesia. Antecedens sumitur ex verbis Apostoli 1. Cor. 5. *Cur non magis luctum habuistis vt tollatur de medio vestri, qui hoc opus fecit.*

VI. *Traduntur Satanæ.* Tertium argumentum. Excommunicatus traditur Satanæ, ergo expellitur ab Ecclesia, ergo non est de Ecclesia. Antecedens est Pauli 1. Cor. 5. *Tradidi hunc hominem Satanæ in interitum carnis.* Hunc locum Chrysostomus, Anselmus, Augustinus apud Baronium anno Christi 57. exponunt de excommunicatione: dicuntur autem excommunicati tradi Satanæ, ait noster Cornelius, quia ejecti extra societatem Christi, & Ecclesiæ, eiusque bonis omnibus priuati, tyrannidi, & incursibus Diaboli, cuius Regnum est extrà Ecclesiam, exponuntur. Huc facit illud Augustini Serm. 68. de Verbis Apost. Quia extrà Ecclesiam Diabolus est, ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione remouetur.

VII. *Eliminantur ab Ecclesia.* Quartum Argumentum. Excommunicati non manent in gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, ergo sunt foris Ecclesiam. Antecedens sumitur ex iure Canonico 11. quæst. 3. vbi dicitur. Canonica Instituta, & Sanctorum Patrum exempla sequentes Ecclesiarum Dei violatores authoritate Dei, & Iudicio Sancti Spiritus à gremio *Sanctæ Matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminamus.* Huc reuoco, quod innuit Augustinus lib. 11. de Genes. ad litteram, super illis verbis:

Et eiecit Adam. Alienandus inde vndique fuerat, vel iam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus, sicut etiam in hoc Paradiso, idest Ecclesia solent à Sacramentis Altaris visibilibus homines disciplina Ecclesiastica remoueri. VIII. *Prima figura excommunicationis.*

IX. *Patrum locutiones de excommunicatis.*

Quintum Argumentum. Excommunicati ab Ecclesiastico fœdere segregantur, & abscinduntur à corporis vnitate, vt loquitur Eusebius lib. 5. Hist. cap. 24. ab Ecclesia ejiciuntur, vt loquitur S. Epiphanius hæresi 42. extrà Ecclesiam propelluntur, quò per se ipsos spontè eunt hæretici, vt loquitur S. Hieronymus in cap. 3. ad Titum. Præciduntur visibiliter à corpore Ecclesiæ, vt loquitur S. Augustinus lib. de Vnit. Eccles. cap. vlt. De Ecclesia pelluntur, vt loquitur S. Anselmus in cap. 5. 1. Corinth. ergo excommunicati non sunt amplius in Ecclesia, & de Ecclesia.

X. *Excommunicatio est veluti interfectio.*

Sextum Argumentum. Excommunicati moriuntur toti Ecclesiæ. Ergo separantur, & non sunt amplius in Ecclesia. Antecedens probatur, quia vt docet S. Augustinus q. 39. in Deut. Excommunicatio eum locum habet in Ecclesia, quem pœna mortis habebat in Testamento veteri, & quem habet in temporalibus Rebus publicis, vnde dixit: *Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Constat autem per mortem separari homines planè a tota Republica, quod etiam significauit Innocentius tertius in cap. per Venerab. mors præcipitur, idest per excommunicationis sententiam, veluti mortuis à communione Fidelium separari. Hoc idem confirmo iudicio Bellarmin. lib. 3. de Laïcis cap. 21. vbi probat Hæreticos ab Ecclesia damnatos, etiam morte mulctari posse, hoc fundamento rationis. Hæretici, inquit, excommunicari Iure possunt, vt omnes fatentur, ergo & occidi. Probatur consequentia, quia excommunicatio est maior pœna, quam mors temporalis, vnde Augustinus contra Aduers. legis, & Prophet. cap. 17. dicit: horribilius esse tradi Satanæ per excommunicationem, quàm gladio feriri, flammis absumi, ferisve subjici ad deuorandum. XI. *Excommunicatio quam grauis pœna.*

XII. *Excommunicatorum quinta jactura.*

Septimum Argumentum. Per excommunicationem priuantur homines omni commercio spirituali, quod habent homines Ecclesiæ inter se. Igitur non sunt amplius in Cœtu Ecclesiæ. Hanc consequentiam probat Bellarminus à natura ipsa rei; nam quid est, inquit, Ciuem aliquem priuari Ciuitate, nisi priuari omni commercio, quod est inter homines illius Ciuitatis. Antecedens est manifestum ex bono, cui opponitur excommunicatio, quod sine dubio est Sanctorum communio, de qua in Symbolo Apostolorum; vnde excommunicati ait S. Thomas Opusc. 5. per hoc, quod sunt extra Ecclesiam perdunt partem omnium bonorum, quæ fiunt, quod est maius damnum, quàm damnum cuiusuis rei temporalis.

XIII. *Excommunicatio est ejectio de Ecclesia.*

Octauum Argumentum. Nulla pœna est grauior, quam Ecclesia infligere possit, excommunicatione; ergo per excommunicationem ejicitur homo de Ecclesia. Antecedens sumitur ex S. Augustino lib. de Corrept. & Gratia cap. 15. Consequentia probatur, quia Ecclesia potest infligere hanc pœnam ejectionis, & abscissionis à se, vt patet ex Matth. 18. vel ergo hæc pœna distinguitur ab excommunicatione, vel non distinguitur; si non distinguitur, habemus intentum, si distinguitur, vel est maior, vel non est maior excommunicatione: Si maior, ergo falsum est pœnam omnium grauissimam, quam Ecclesia infligere potest esse excommunicationem contra suppositum; si non est maior, ergo excommunicatio includit, & continet illam.

XIV. *Ideo fertur in contumaces.* Nonum Argumentum. Excommunicatio non potest ferri nisi in contumaces, & incorrigibiles, vt B. Augustinus docet lib. de Vera Relig. cap. 6. ergo excommunicatio est ejectio de Ecclesia, & propterea est pœna omnium maxima, quam infligere potest Ecclesia. Si enim excommunicatio esset pœna aliqua infra ejectionem, ferretur etiam quandoque, ait Bellarminus, in homicidas, adulteros, & alios facinorosos licet non contumaces.

XV. *Ideo restituuntur vnitati.* Decimum Argumentum. Excommunicatis, dum absoluuntur, dicitur: Restituo te vnitati *Ecclesiæ, & omnium bonorum participationi*, ergo signum est excommunicatum separatum fuisse ab Ecclesiæ vnitate, & sanè in ipso nomine excommunicationis tota hæc doctrina continetur. Nam excommunicatus perinde

XVI. *Excommunicationis definitio.* dictus est, atque extra communionem factus, vnde communiter à Doctoribus definitur excommunicatio esse censura, qua quispiam separatur ab Ecclesiastica communione Fidelium, vbi aduertunt, excommunicationis censuram, non priuare solum actu, sed Iure etiam communicandi, quod non potest melius intelligi, quàm per hoc, quod excommunicati verè à Christi familia ejecti sunt.

XVII. *Responsio ad rationem dubitandi initio factam.* Neque prædictis omnibus obstat, quandoque fieri, vt verè excommunicatus sit in gratia, & amicus Dei, vel quod fortasse injustè excommunicatus sit, vel quod pœnitentiam egerit antequam absoluatur. Nam vt docet Bellarminus, quamuis talis excommunicatus, animo, & desiderio sit in Ecclesia, & saluari possit si in eo statu moriatur, adhuc tamen non est in Ecclesia, corpore, siue externa communicatione, *quæ propriè facit hominem esse de Ecclesia Christi visibili, quæ est in terris.* Vnde infero nullum ius illum habere ad fructus visibilis, & externi Sacrificij, qui videlicet proueniunt ex promissione facta tali operi externo, atque visibili, quia opus externum Sacrificij relictum solummodo est Ecclesiæ visibili, atque externæ, extrà quam constat esse excommunicatum quantumuis sit in gratia, & amicus Dei. Atque de his agens Augustinus lib. de Vera Relig. cap. 6. Sæpè, inquit, etiam sinit Diuina Prouidentia expelli de Congregatione Christiana, etiam bonos viros, quam contumeliam, vel injuriam suam cum patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque vllas nouitates, vel Schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines quàm vero affectu, & quanta sinceritate charitatis Deo seruiendum sit. Nos coronat in occulto Pater, in occulto videns.


Sed quæres, An licitum sit Sacerdotibus ex charitate Sacrificium pro excommunicatis offerre, saltem ad eum modum, quo offerri potest pro Ethnicis, & Publicanis, quamuis enim nullum ius habeant ad fructus huius Sacrificij, quod est Sacrificium familiæ, tanquam extra ipsam ejecti, potest tamen Ecclesia ex charitate etiam pro Ethnicis Sacrificium offerre ad fructus illos ipsis impetrandos, quorum sunt capaces, vt superius in Quæstione de Catechumenis explicauimus.

XVIII. *Non licet pro excommunicatis Sacrificium offerre.* Respondeo, nullo modo Sacerdotibus licere pro excommunicatis publicè orare, atque adeo Sacrificium pro eis directè, & expresse offerre: Sacrificium enim semper est publicum. Ratio est quia hoc prohibuit Ecclesia cap. à Nobis de Sententia excommunicationis, & tam seuerè prohibuit, vt sanctus Thomas quodlib. 11. quæst. 8. art. 9. & ex illo Sotus, Nauarrus, Henriquez, Suarez, & alij docuerint id facere, esse peccatum mortale. Addit Nauarrus in Manual. cap. 27. tales offerentes, & orantes incurrere etiam in excommunicationem minorem, & meritò, quia S. Thomas, vbi supra, expresse docet, orare, & offerre pro excommu-

nicato, esse communicare in Diuinis cum illo, & sine dubio magis cum excommunicato communicare videtur, qui facit illum participem fructuum Orationis, & Sacrificij, quod pro illo offert, quàm ille, qui solum cum eo, vel coram eo orat, & offert.

At dices. In die Parasceues de facto Ecclesia publice orat, & fortasse etiam offert pro Hæreticis, & Schismaticis, qui Iure sunt excommunicati. XIX. *Quid in die Parasceues.*

Respondeo, negari non posse illum diem à generali hàc prohibitione esse exceptum, quod non immerito factum existimatur, quia eo die repræsentatur Sacrificium cruentum, provt re ipsa gestum est, in quo Christus etiam pro suis inimicis orauit, & sanguinem suum quoad sufficientiam pro omnibus omnino hominibus sine vlla exceptione obtulit. Addo tamen duo valde notanda. Alterum ex Nauarro de Orat. & Hor. Can. cap. 19. num. 71. Ecclesiam illo die orare pro exteris, & inimicis suis non orationibus institutis pro suis membris, sed aliis institutis pro iis, qui tales non sunt. Quæ videtur esse doctrina S. Thomæ in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. vbi loquens de Oratione priuata: pro excommunicatis inquit, orari potest, quamuis non inter Orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt. Alterum notandum ex S. Bernardo Tract. de Gradibus humilit. Ecclesiam ne illo quidem die orare pro excommunicatis sub illo nomine, sed tantum pro Hæreticis, & Schismaticis, quos fortasse illo die ab excommunicatione absoluit, vt ait Sotus in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 1. Vnde grauiter monet Bernardus: Viderint, inquit, in quanto periculo sint, pro quibus Ecclesia palam orare non audet, quæ fidenter etiam pro Iudæis, & Hæreticis, & pro Gentilibus orat; cum enim in Parasceue nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis. Hæc Bernardus. XX. *Oratio pro excommunicatis non est Oratio pro membris.* XXI. *Ne in die quidem Parasceues oratur expreßè pro excommunicatis.*




QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum Animæ Purgatorij ius aliquod habeant, vt Sacrificium quodlibet pro ipsis etiam celebretur.

I. *Proponitur Sententia.*
II. *Nostra ratio fundamentalis.*
III. *Christus reliquit Victimam pro defunctis quoque familiæ suæ.*
IV. *Authoritas Traditionis 4.*
V. *Traditio Apostolica de Sacrificio pro defunctis.*
VI. *Probatur hæc traditio ex Regula S. Augustini.*
VII. *Confirmatur ex damnatione hæresis Aërij.*
VIII. *Mortui participant de fructibus Sacrificij.*

I. *Proponitur sententia.*



QVÆSIVIMVS de fidelibus viuentibus, ac definiuimus, omnes, & singulos obicem non habentes ius quoddam habere ad quælibet Sacrificia, ex quo illud videtur consequens, nullo modo posse Sacerdotem à generali fructuum distributione, illorum quemquam excludere. Idem hoc loco quærimus de Fidelibus defunctis degentibus in Purgatorio; An, & quo Iure omnes, & singuli repetere fructum aliquem possint ex quolibet Sacrificio, vnde pariter in Sacerdotibus oriatur obligatio, Sacrificium quodcumque pro illis omnibus offerendi.

Omissis autem quibuscumque aliis rationibus, & principiis à nobis positis insistentes, dicimus; Animas Purgatorij omnes æquale ius habere, vt Sacrificium quodlibet pro ipsis quoque celebretur.

II. *Nostra ratio fundamentalis.*

Fundamentum ferè idem est. Animæ Purgatorij respectu cuiuslibet Sacrificij sunt offerentes, ergo habent ius, vt Sacrificium quodlibet pro ipsis celebretur. Consequentia est manifesta ex dictis quæstione secunda; antecedens probatur. Animæ Purgatorij ponunt Victimam in quolibet Sacrificio, ergo Animæ Purgatorij respectu cuiuslibet Sacrificij sunt offerentes. Consequentia patet ex notione superius tradita offerentis iuxtà phrasim, & vsum Scripturæ. Antecedens probatur. Christus Dominus, tanquam Pater vniuersæ familiæ suæ prouidit Victimam cuiuslibet Sacrificij non solum pro fidelibus viuis, sed etiam pro defunctis, ipse pro vtrisque, ergo animæ Purgatorij ponunt victimam in quolibet Sacrificio. Consequentia est etiam clara ex dictis, quia illi dicebantur victi-

mam ponere in Sacrificio, qui aut ipsi, aut alij pro ipsis illam ponerent.

Superest ergo, vt ostendamus Christum Dominum posuisse huius Sacrificij victimam non solum pro viuentibus familiæ suæ, sed etiam pro defunctis; hoc autem non potest firmius comprobari, quàm ex Institutione ipsa Sacrificij. Si enim institutum illud fuit pro tota familia, inclusis nominatim, & expresse defunctis, manifestum est etiam defunctis relictam à Christo esse victimam huius Sacrificij, nec minus ius ad participandum quolibet in his esse, quàm in viuentibus. Sed vnde ostendemus Institutionem esse hoc modo factam, si in Sacra Scriptura nullum extat verbum, ex quo defuncti inclusi demonstrentur? Fateor ex Verbo Dei scripto, non posse id saltem clarè demonstrari; sed tamen probamus ex testimonio æquè certo, & parem omnino cum Diuina Scriptura habente authoritatem, quod est ipsum Dei Verbum traditum, seu Diuina, & Apostolica traditio, de quibus traditionibus cum Diuina Scriptura collatis, hoc legimus apud Tridentinum Sess. 4. quod nimirum illas, *tanquam vel oretenus à Christo vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit, ac veneratur.*

III. *Christus reliquit Victimam pro defunctis quoque familia sua.*

IV. *Authoritas Traditionis 4.*

At vnde ostendimus hanc esse Apostolorum traditionem? Ostendimus primo authoritate Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ Sess. 22. cap. 2. vbi dicitur: Quare non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed *& pro defunctis* in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxtà Apostolorum traditionem offertur. Expendamus tantisper postrema hæc verba Concilij, *pro defunctis ritè iuxtà Apostolorum traditionem offertur.* Quid habemus per Apostolorum traditionem? hoc, quod Sacrificium etiam pro defunctis offertur. Quid est, pro defunctis offertur? perinde est, ac si dictum fuisset, huius Sacrificij institutio sit facta est. Huius sacrificij victima relicta legitimè, & ex sua institutione, & quasi natura posita est, non solum pro viuis, sed etiam pro defunctis. Totum id significat præsentis verbi tempus, *Offertur*, quo præsenti tempore perpetuas rerum naturas, & virtutes, ac proprietates exprimimus, vt cum dicimus: Ignis calefacit, aqua humectat, Reubarbarum purgat choleram, quod adnotauit S. Chrysostomus Homil. 17. in Ioan. vbi illo verbo de præsenti: *Ecce qui tollit* peccata Mundi, ait significari perpetuam virtutem Christi tollentis peccata vsque in finem Mundi. Idem ergo est: Ecce Sacrificium, quod offertur pro viuis, & pro defunctis, quod ecce Sacrificium, quod institutum est, & relictum Ecclesiæ pro viuis, & pro defunctis. Idcirco enim Christus contulit in sua Institutione huic Sacrificio virtutem, & valorem, quo fructuosum esset etiam defunctis, quia etiam defunctis perinde ac viuentibus illius victimam relinquebat, & ob hanc eandem rationem in forma Sacerdotij æqualiter dicitur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro viuis, & defunctis.* Hæc enim forma, & præsupponit in Sacrificio virtutem æquè efficacem circa vtrosque, & in Christo instituente, æquè vtrisque prouidendi voluntatem.

V. *Traditio Apostolica de sacrificio pro defunctis.*

Porrò hanc Apostolorum traditionem, non solum asserimus ex authoritate Tridentini, sed probamus etiam illam contra Hæreticos cum Bellarmino lib. 2. de Missa cap. 7. ex Regula S. Augustini lib. 4. de Bapt. cap. 24. quæ est, vt id certissimè credatur ab Apostolica traditione descendere, quod in omni Ecclesia seruatur, nec in aliquo Concilio institutum, sed semper seruatum, & retentum est,

VI. *Probatur hæc traditio ex Regula S. Augustini.*

talem autem eſſe hunc ritum negari non poteſt ait Bellarminus; nam in omni Ecclesia ſeruari patet, non ſolum ex omnibus Liturgiis, ſed etiam ex Conciliis omnium Prouinciarum, vt videre eſt in Carthaginenſi pro Affrica, in Bracarenſi pro Hiſpania, in Gabilonenſi pro Gallia, in Vvormacienſi pro Germania, & in Sexto ſub Symmacho pro Italia. Quod verò in nullo Concilio inſtitutum, ſed ſemper ſeruatum fuit, patet ex teſtimoniis antiquiſſimis Patrum eorum, qui omnia Concilia præceſſerunt, vbi fit mentio de ſacrificiis pro defunctis. Primum enim Concilium, in quo mentio huius rei habetur, eſt Carthaginenſe tertium, quod celebratum eſt circa annum Domini CD. XVII. At ſacrificij pro defunctis meminit Euſebius Cæſarienſis lib. 4. de Vita Conſtantini, qui fuit centum annis antiquior Concilio Carthaginenſi, meminit etiam Tertullianus in lib. de Corona militum, qui fuit ducentis annis eo Concilio antiquior; meminit denique Clem. lib. 8. Conſtit. cap. 19 qui trecentis annis idem Concilium præceſſit.

VII. *Confirmatur ex damnatione hæreſis Aërij.*

Quid huic ſolidiſſimo argumento Lutherani reſpondeant, colligo ex pluribus controuerſiarum locis eiuſdem Bellarmini. Summa eſt, traditionem antiquam non eſſe de oblationibus Sacrificiorum pro defunctis, ſed de quibuſdam priuatis precibus, & Orationibus pro illis: ſed præterquam quod inconſtanter hoc dicitur ab illis, qui Purgatorium omnino negant, & quaſcumque Preces, & Orationes pro defunctis irrident; conuinci apertiſſimè poſſunt alio argumento ſumpto ab hæreſi Aërij, qui viuebat adhuc tempore ſancti Epiphanij; nam antiqua Eccleſia, quæ etiam Hæreticorum teſtimonio vera Eccleſia erat, damnauit publicè hæreſim Aërij, quæ docebat non eſſe pro mortuis ſacrificium offerendum. Quod autem Aërius damnatum hoc dogma prouiderit, docent antiquiſſimi Patres. Audi Epiphanium in Anacephaleoſi. Aërius docet, non oportere offerre pro iis, qui obdormierunt. Audi Auguſtinum in lib. de Hæreſ. cap. 53. Aërius inter propria Dogmata primo loco numerat, offerre pro mortuis oblationem non oportere. Audi Damaſcenum in lib de centum Hæreſ. Negat Aërius quidquam eſſe pro mortuis offerendum. Cum ergo, ait Bellarminus, Eccleſia antiqua hanc hæreſim damnauerit, profectò ſimul omnes Lutheranos, & Caluiniſtas in vno Aërio damnauit, & ſine dubio Apoſtolicam traditionem confirmauit.

Omittimus alia Patrum teſtimonia, quæ videre licet apud Valentiam diſp. 6. quæſt. 11. de Ritu, & oblat. Euchar. ex quorum verbis apertè illud conſtat, quod hîc intendimus. Victimam ſcilicet ſacrificij noſtri non minus ex Chriſti inſtitutione relictam fuiſſe defunctis, quàm viuentibus, ac propterea non minus illos, quàm hos eſſe reſpectu cuiuſlibet ſacrificij offerentes, atque adeo ad eorum omnium fructum ius habentes.

Sed diſſimulare non licet vnicum argumentum, quod contra poſitum à nobis fundamentum in promptu habebunt Hæretici noſtri temporis; ſi quidem Caluinus illud deprompſit in Antidoto Articulorum Pariſienſium. Cum Chriſtus de ſacrificio huius Agni loqueretur, dixit: *Accipite, & manducate*, ergo victimam illam viuis tantùm, non autem mortuis relinquebat, qui neque illam accipere, neque edere valent.

VIII. *Mortui participant de fructibus ſacrificij.*

Hoc argumentum, inquit Bellarm. quod poſt Caluinum Sectarij paſſim objiciunt, nihil planè concludit. Nam quod mortui non manducent, probat eos non poſſe participare de carnibus ſacrificij, non autem probat non poſſe eos participare

pare

pare fructum sacrificij; si quidem Iob pro absentibus filiis, & Iudæi pro Rege Babylonis similiter absente non inutiliter sacrificabant. Et Dominus cum ait: Accipite & manducate, loquebatur iis, quibus Sacramentum porrigebat; non autem iis omnibus, pro quibus sacrificium offerebat, nam ibidem habemus sanguinem Domini oblatum pro illis, & pro multis.

Iam verò ad obiectiones, quæ fieri à Catholicis possunt veniamus. Et prima sit ex doctrina Tridentini Sess. 22. cap. 1. vbi dicitur: *Vt dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura decet relinqueret sacrificium.* Ex quo loco tale confici poterit argumentum. Christus Dominus reliquit victimam visibilis sacrificij Ecclesiæ, seu familiæ suæ visibili, ergo pro illis tantum reliquit, qui sunt membra Ecclesiæ visibilis; sed animæ Purgatorij non sunt membra Ecclesiæ visibilis, ergo pro illis Christus Dominus non reliquit, aut posuit victimam huius sacrificij, ob quam etiam rationem neque pro illis instituit Sacramenta, ergo corruit totum fundamentum.

Respondeo, separanda hoc loco esse, quæ certa apud Catholicos sunt ab incertis. Et primo certum est, Animas Purgatorij esse membra Ecclesiæ, si enim simpliciter non essent membra Ecclesiæ, nullo Suffragiorum genere possent à nobis iuuari, cum hæc sit tota ratio cur possint, quam communiter afferunt ex Petro Cluniacensi in Epist. contra Petrobrusianos, quia, inquiunt, Ecclesia tota est vnum Corpus, cuius Caput est Christus, ergo debet habere communicationem, tum capitis cum membris tum membrorum inter se; nam vt dicitur 1. Cor. 12. *per inuicem sollicita sunt membra*, & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. sed iusti defuncti sunt membra huius corporis; nam sunt colligenda nobiscum, & cum Deo in Fide, Spe, & Charitate. Vnde S. Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 9. *Neque enim*, inquit, *piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Christi.* Igitur viuentes possunt, ac debent iuuare defunctos vt membra eiusdem corporis. Hæc est ratio, quam communiter afferunt ad probandum suffragia Ecclesiæ defunctis prodesse. Sunt igitur animæ Purgatorij membra Ecclesiæ. IX. *Animæ Purgatorij sunt membra Ecclesiæ Militantis.*

Rursum certum est, illas non esse membra Ecclesiæ Triumphantis, quæ nullam habent maculam, neque rugam, ideo enim in terra, immò infra terram adhuc detinentur, & retardantur à consecutione summi boni.

Superest ergo vt dicamus esse membra Ecclesiæ Militantis, seu peregrinantis quatenus nondum ad vltimum terminum peruenerunt; vnde aliqua saltem ex parte sub statu Viatorum comprehenduntur, maximè quoad remissionem pœnarum, vel etiam culparum venialium obtinendam. Cum ergo animæ Purgatorij ad terrestrem hanc Ecclesiam pertineant, & sint capaces fructus huius sacrificij ex opere operato, nihil ex hoc capite obstare potest, quo minus etiam pro illis Christus victimam hanc reliquerit.

Neque verò, inquit P. Suarez, similis est ratio de Sacramentis. Primo quidem propter diuersum finem. Sacramenta enim ordinata sunt ad gratiam conferendam: Sacrificium autem saltem ad pœnas peccatorum tollendas; at verò animæ Purgatorij non sunt capaces augumenti gratiæ, absolui autem possunt à reatu pœnæ. Deinde ratione modi efficiendi, seu applicandi effectum, nam Sacramentum applicatur per aliquam actionem circa corpus, & ideo non operatur nisi in X. *Animæ Purgatorij sunt capaces sacrificij, & non Sacramenti.*

anima vnita corpori. Sacrificium verò operatur solum per quandam extrinsecam ordinationem, seu relationem, quæ terminari potest ad animam, etiam à corpore separatam.

XI. *Quæstio cur animæ difficilè à Purgatorio liberentur.* Secunda objectio hoc modo fieri potest. Si omnes, & singulæ animæ Purgatorij haberent ius ad quælibet sacrificia fundatum in eo, quod in quolibet sacrificio integram ponant victimam modo explicato; sequeretur, omnia sacrificia, quæ in Ecclesia quotidie offeruntur, debere etiam pro omnibus animabus Purgatorij celebrari; consequens autem videtur falsum, quia ex tam multis sacrificiis, aliquam partem fructus ex opere operato conferentibus, facili negotio omnes in Purgatorio liberarentur.

XII. *Quodlibet sacrificium offertur pro omnibus defunctis.* Respondeo, hoc argumentum soluendum ab omnibus esse, & præsertim à P. Suarez, qui Author illius est. Et primo, quod omnia, & singula sacrificia pro omnibus animabus Purgatorij offerantur, & celebrentur, videtur mihi necessario concedendum esse ab omnibus Catholicis; quid enim significat Tridentinum Sessione citata cap. 2. cum dicit: *Sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis ritè offertur:* nisi hoc, nimirum ex sua Institutione habet, vt offeratur etiam pro defunctis? Rursus cum idem Concilium cap. 6. dicat, priuatas Missas omnes, censeri debere communes, eo quod pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent celebrentur. Cum inquam, non loquatur Concilium de viuis solis, sed simpliciter de omnibus, qui ad Corpus Christi pertinent, & cum defunctorum animæ ad Corpus Christi pertineant, non video, qua ratione locus hic intelligi non debeat de viuis pariter, ac defunctis, cum præsertim pro vtrisque dictum generaliter fuerit à Concilio sacrificium hoc offerri.

Præterea hoc idem habetur manifestè ex verbis sacri Canonis, quorum significationi, vt docent Doctores, intentio Sacerdotis conuenire debet, & semper conueniens est, quoties ipse illis expresè non contradicit. Dicitur autem in quolibet sacrificio. *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, &c.* Et quamuis P. Vasquez non multum nitatur his verbis, quatenus per illa non applicatur sacrificium, eo quod iam præteritum sit; existimauit enim sacrificium perfici in ipsa consecratione, & consequenter hanc oblationem pro defunctis præsupponere iam applicatum, quamuis inquam ob dictam rationem, quam suo loco latè impugnauimus, non multum nitatur his verbis, fatetur tamen, & disertè docet applicationem, & oblationem vniuersalem pro omnibus defunctis fieri ante consecrationem illis verbis post Offertorium: *Et pro omnibus fidelibus Christianis viuis, atque defunctis;* quæ quidem oblatio refertur ad sacrificium futurum, & ideo dicendum est ex præscripto Ecclesiæ, generali illa intentione, non tantum pro omnibus fidelibus viuentibus, sed etiam pro omnibus defunctis offerri.

XIII. *Effectus sacrificij respectu animarum Purgatorij est infallibilis.* Cum ergo ex verbis Concilij, & ex omnibus Liturgiis habeamus sacrificium quodlibet pro omnibus defunctis offerri. Statuendum vlterius est ex confessione etiam Aduersariorum, singulis defunctis, pro quibus fit sacrificalis oblatio, infallibiliter, & ex opere operato, aliquam pœnæ remissionem obuenire, ita vt talis satisfactio sit de Iustitia, etiam quoad acceptationem Dei, & teneatur Deus ex Iustitia illam acceptare. Hanc partem tuetur expresè P. Suarez in hoc 3. tom. dip. 79. Sect. 10. cum S. Thoma in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. ad 3. & Bellarmino lib. 2. de Purgat. cap. 19. qui generatim de suffragiis docet, infallibiliter applicari, notat

autem rectè P. Suarez, quod dicitur de ſuffragiis in genere, idem à fortiori dicendum de hoc ſacrificio; nam vt Trident. docet Seſſ. 25. cap. 1. Inter ſuffragia, ſacrificium Miſſæ prodeſt defunctis; ergo ſi alia proſunt infallibiliter, hoc multo magis; & addit, quod quamuis aliis operibus hoc negaretur, non eſſet negandum huic ſacrificio propter excellentiam eius. Eandem doctrinam repetit, & inculcat tom. 4. diſp. 48. Sect. 6. vbi vniuerſaliter docet, ſatisfactionem pro defunctis eſſe ſimpliciter de Iuſtitia, & infallibiliter acceptari totum ſuum valorem pro quocumque offeratur; ſed de hoc diſputabimus alibi. Interim ſatis nobis eſt duo hæc ſtatuiſſe, & quod ſacrificia quælibet pro omnibus animabus Purgatorij, generaliter offerantur, & celebrentur, & quod eadem ſic oblata ad aliquem fructum ex opere operato infallibiliter illis proſint; quibus poſitis, ab Aduerſariis ipſis quærimus, quomodo Purgatorij animæ ex tot ſacrificiorum multitudine non facillimè liberentur? & augetur difficultas in principiis P. Suarez, quia conditiones requiſitæ ex parte eius, pro quo offertur ſuffragium, vt infallibilem habeat effectum, duæ potiſſimum ſunt. Prima, vt culpa, ratione cuius, pœnam meretur, iam ei ſit remiſſa. Secunda, vt ſit in ſtatu gratiæ, quæ conditio non eſt eadem cum præcedenti; nam poteſt aliquis habere reatum pœnæ ex culpis remiſſis, & non eſſe in ſtatu gratiæ: Sicut è contrario poteſt eſſe in ſtatu gratiæ, & non habere remiſſam omnem culpam venialem; ſolum ait P. Suarez, in animabus Purgatorij ſemper ſunt inſeparabiliter conjunctæ hæ duæ conditiones, quia conſtat eſſe in ſtatu gratiæ, & cum illa habere ſemper omnem culpam remiſſam; nam licet contingat iuſtum mori, nondum remiſſis omnibus culpis venialibus, tamen in ipſomet inſtanti ſeparationis animæ à corpore, omnis culpa venialis ei remittitur, & ideo ſtatim manet capax cuiuſcumque ſuffragij quantum ad remiſſionem pœnæ. Cum ergo ex nullo capite impediri poſſit effectus ſacrificij pro defunctis oblati; vnde oritur vt Purgatorium non quotidie euacuetur?

XIV. *Difficultas maior in principiis Aduerſariorũ.*

XV. *Reſponſio P. Vaſquez non probatur.*

Non inueni adhuc hanc controuerſiam apud quempiam agitatam; nam apud P. Vaſquez, qui reſpondet dubitationi propoſitæ à P. Suarez, qui ante ipſum ſcripſit de ſacrificio, hæc tantùm habentur verba diſput. 231. cap. 6. Non ſequitur tot ſacrificiis, quæ quotidie offeruntur omnes animæ Purgatorij facile liberari, eo quod hæc oblatio ita generalis non adeo efficax ſit, vt tàm citò ea ſolum animæ Purgatorij liberentur. Hæc ille. Sed verè non videtur ſublata difficultas, quia quod oblatio ſit generalis, non tollit quominus animabus omnibus particularibus aliquid fructus proueniat ex opere operato, & infallibiliter; id enim docet hæc communis ſententia ex generali videlicet cuiuſcumque ſacrificij applicatione omnibus in Chriſto quieſcentibus aliqualem pœnæ remiſſionem conferri. Statuatur ergo gradus minimus remiſſionis, qui infallibiliter ſic conferatur, & de his procedit difficultas, quia cum quotidie vnicuique tot huiuſmodi graduum æqualium vni certo fiat remiſſio, videtur ſequi, vt facile vnuſquiſque liberari poſſit. Eſto igitur oblatio generalis non ſit ita efficax, hoc eſt non tot gradus remiſſionis efficiat, ſicut oblatio ſpecialis; cum tamen quælibet generalis aliquid infallibiliter efficiat; hinc fit, vt ex multitudine oblationum generalium, plurium, & plurium conſurgere in multis facile poſſit tota remiſſio pœnæ. Accedit quod idem argumentum confici poteſt de oblationibus ſpecialibus; neque enim videtur facile concedendum, omnes Miſſas, quæ ſpeciali applicatione celebrantur pro cuiuſ-

cumque hominis diuitis anima ita esse ex illa præcisa applicatione efficaces, vt facili negotio illa liberetur; repugnant enim huic existimationi probatissimæ visiones Sanctorum, & ipsa Ecclesiæ consuetudo, quæ Anniuersaria in perpetuum Sacra celebrat, etiam pro defunctis illis, pro quibus quam plurimæ in die obitus Missæ celebratæ sunt specialiter, vt ferè in Summorum Pontificum, & Regum morte contingit.

XVI. *Quæstio an in Purgatorio fiat remissio culparum venialiũ.*

Propter hoc postremum potissimum argumentum existimo decisionem huius controuersiæ magna ex parte pendere ex illa alia. Vtrum Purgatorium constitutum sit satisfaciendum tantum pro pœna, an ad remissionem etiam successiuam culparum venialium, nam quod cum eiusmodi peccatis aliqui sæpè de hac vita migrent, tanquam extrà controuersiam supponimus cum S. Thoma in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 2 vbi refert aliquos dixisse omnia venialia in ipsa morte per gratiam finalem remitti, quod meritò S. Doctor impugnat. Controuersia tantum est inter Doctores, vtrum huiusmodi venialium remissio fiat in Purgatorio successione temporis, quo purgatur anima, quocumque tandem modo illa fiat, an fiat statim, & simul in primo instanti separationis animæ à corpore. Hoc secundum tuetur P. Suarez disp. 11. Sect. 4.

XVII. *In Purgatorio fit remissio aliquorum peccatorum.*

Sed mihi probatur magis prima Sententia, quæ sumitur à S. Thoma in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 2. & Bonauentura art. 2. quæst. 1. cuius titulus est: An in Purgatorio purgetur etiam culpa aliqua, vel solum pœna. Moueor potissimum ex locis Sacræ Scripturæ, & Patrum testimoniis apertissimis, accedente etiam authoritate Veterum Theologorum, & quia res est grauis, operæ pretium duximus præcipua loca & testimonia examinare.

XVIII. *Probatur primo ex Historia Machabæorum.*

Primum testimonium sit ex Historia Diuina lib. 2. Machab. cap. 12. à ver. 39. vsque ad finem capitis: Et sequenti die venit cum suis Iudas, vt corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paternis; inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis Idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos. Omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse; atque ita ad preces conuersi rogauerunt, vt id, quod factum erat delictum obliuioni traderetur. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes, quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt, & facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum, sacrificium, benè, & religiosè de resurrectione cogitans, & quia considerabat, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam; sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Ex hac Historia, quam non piguit exscribere, illud colligo, homines cum peccatis venialibus quoad culpam nondum dimissis decedentes, non obtinere necessario statim, & in primo instanti, illorum remissionem, sed posse aliquo tempore, donec deleantur manere cum illis in Purgatorio. Hoc totum Sacra hæc Historia præsupponit; & quidem quod milites illi interfecti, in peccato aliquo decesserint, infertur ex deprehensis donariis Idolorum sub eorum tunicis, accedente animaduersione sapientissimi, & religiosissimi Ducis; quod verò tale peccatum mortale non fuerit, Scriptura ipsa indicat, dum dicit eos, pro quorum peccatis iussit orari Iudas, cum pietate dormitionem accepisse, vnde existimatur peccatum illorum

fuisse veniale, eo quod ignorarent legis prohibitionem, & non acceperint ex donariis illis in honorem Idolorum, sed solum ditescendi cupiditate, quæ venialis esse pot st; quod vero huiusmodi peccatum non fuerit necessario dimissum in primo instanti, hoc planè probat præsens Historia vniuersa; ad quid enim iuges preces, & sacrificia, vt illo peccato milites defuncti soluerentur; si nullum peccatum tractu temporis successiuo Purgatorij solui potest, sed necessario in ipso separationis animæ à corpore primo instanti soluitur? Quod autem hoc loco nomine peccatorum non debeant intelligi maculæ, vt verba sonant, sed tantum reatus pœnæ ex illis relictæ, hoc probandum ab Aduersariis est: nos enim, vt ex dicendis patebit non cogimur à propria, & primaria huius vocis significatione discedere.

Secundum testimonium sumitur ex nouo Testamento Matth. 12. vbi dicit Dominus, esse quoddam peccatum, quod non remittitur, neque in hoc sæculo, neque in futuro; Hinc enim colligunt SS. Patres, Augustinus, Gregorius, Beda, Bernardus, & Controuersistæ communiter, quædam peccata remitti per Suffragia Ecclesiæ in Purgatorio. Quod verò de remissione non solum pœnæ, sed culpæ loquatur Dominus est communis Patrum expositio; vnde objicienti Caluino, malè nos allegare hunc locum pro remissione pœnæ Purgatorij, quia Dominus loquitur de remissione culpæ, quæ non fit in Purgatorio. Respondet Bellarminus, in Purgatorio remitti etiam culpas, neque de sola culpa Dominum loqui, qui sensus verborum Domini est. Peccatum in Spiritum Sanctum non remittitur in hoc sæculo, neque in futuro, neque quantum ad culpam, neque quantum ad pœnam, cum alia peccata, vel remittuntur in hoc sæculo quoad culpam, & in alio interdum quoad pœnam, vt mortalia, vel, *& hic, & ibi quoad culpam, & quoad pœnam vt venialia.* Sic Bellarminus, qui antea dixerat, in futuro, hoc est in Purgatorio maius spatium esse diluendi peccata.

XIX. *Probatur secundo ex verbis Domini.*

Tertium testimonium ex Apostolo 1. Corinth. cap. 3. cuius verba hæc sunt: *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat, vnusquisque autem videat quomodo superædificat; fundamentum enim aliud, nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus: Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarat, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit; si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet, si cuius opus arserit detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Hanc Apostoli metaphoram explicat egregiè Bellarminus lib. 2. de Purg. cap. 5. vbi ait, Apostolum in hac sententia, vti similitudine duorum Architectorum, quorum vnus super fundamentum lapideum, & solidum erigit domum ex pretiosa materia, & quæ ignem non timet, qualis sunt aurum, & argentum, lapides pretiosi, vt Iaspis, Porphyreticus, Parius lapis. Nam ex auro, & argento fiunt laminæ, & columnæ, vt de Templo Salomonis legimus, ex lapide Pario, & Porphyretico, etiam integri parietes erigi possunt. Alter vero super simile fundamentum idest lapideum, & solidum erigit domum more pauperum rusticorum, ex asseribus, & stipitibus, eamque tegit fœno, & stipulis. Hac posita similitudine, fingamus vtrique domui adhiberi ignem, videbimus priorem nihil penitus lædi; & si Architectus intus fortasse sit,

XX. *Probatur tertio ex verbis Apostoli.*

ſimiliter nihil pati. At poſteriorem domum videbimus continuò ignem concipere, & breui tempore totam conſumi; & ſi Architectus intus ſit, & velit ſaluus egredi, videbimus eum exire non poſſe, niſi per ignem, in quo tranſitu non quidem morietur, ſed tamen barba, & capilli non egredientur incolumes, niſi fortaſſe fiat miraculum trium puerorum, qui in fornace Babylonica non comburebantur Hæc eſt ſimilitudo ait Bellarminus, qua B. Paulus vtitur, cum ait: *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

XXI. *Peccata venialia lignum, fœnum, ſtipula.* Omiſſis autem reliquis partibus huius Metaphoræ, ad noſtrum propoſitum ſatis eſt obſeruare, quid per ligna, fœnum, & ſtipulas intelligatur ab Apoſtolo, & quid per ignem, de quo dicitur: *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Eſt autem conſtans omnium ferè Doctorum ſententia, per ligna, fœnum, ſtipulas, intelligi culpas veniales, per hunc verò ignem, intelligi Purgatorium. Fuit quidem ex Patribus vnus, aut alter, qui nomine ligni, fœni, ſtipulæ, peccata mortalia intellexit; at hoc defendi non poteſt, ait Bellarminus. Primo quia peccata mortalia potius comparentur ferro, & plumbo. Secundo quia ſequeretur veram eſſe hæreſim Origenis, quod omnes ſaluarentur, quia Apoſtolus dicit, ſaluus erit quaſi per ignem; nam illud *Per*, ſignificat tranſitum, non manſionem, non enim dicit Apoſtolus ſaluus erit, ſic tamen quaſi in igne, ſed quaſi per ignem, ideſt ad ſimilitudinem eius, qui euadit mortem tranſiens per ignem, vbi obſeruandum eſt particulam quaſi, ſignificare ſimilitudinem non ignis, perinde ac ſi ille ignis non ſit verus, ſed tranſeuntis per ignem, ita vt ſit ſenſus, ad ſalutem perueniet, qui ædificauit fœnum, ſed ad eum modum perueniet, quo perueniet ad aliquem locum is, qui tranſit per ignem, ſicut dicitur Ioan. 1 *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre,* ideſt vidimus eum glorioſum ad eum modum, quo decet glorioſum eſſe Filium Patris vnigenitum. Itaque pro nomine ligni, fœni, ſtipulæ, intelligit Apoſtolus culpas in futuro Sæculo, hoc eſt in Purgatorio remiſſibiles, cuiuſmodi ſunt veniales.

XXII. *Peccata in Purgatorio ſolubilia.* Expendit id grauiter S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 39. vbi ait, penſandum ſollicitè eſt, quia illum per ignem dixit ſaluari, non qui ſuper hoc, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, ideſt peccata maiora, & idcirco duriora, atque tunc iam inſolubilia, ſed lignum, fœnum, ſtipulam ideſt peccata minuta, atque leuiſſima, quæ ignis facile conſumit.

Obſerua S. Gregorium opponere peccata maiora peccatis minutis, & illa ait, eſſe igne inſolubilia, hæc verò ſolubilia, quod non poteſt intelligi de peccatis quoad pœnam tantùm, nam etiam peccata maiora, ſi dimiſſa ſunt quoad culpam, ſolubilia ſunt igne Purgatorio, & re ipſa ſoluuntur quoad reatum pœnæ; eſt ergo ſermo de peccatis ſimpliciter, hoc eſt de culpis, ex quibus minutæ tantùm Purgatorio igne ſoluuntur.

XXIII. *Probatur quarto ex Patribus.* Quartum teſtimonium ſumo ex Patribus, quorum paucos afferam in præſenti. Gregorius Nyſſænus in Oratione pro mortuis. Non poterit, inquit, à corpore egreſſus Diuinitatis particeps fieri, niſi *maculas animo immixtas,* Purgatorius ignis abſtulerit.

Origenes Homil. 6. in Exodum. Qui ſaluus fit, inquit, per ignem ſaluus fit, vt ſi quid forte de ſpecie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & reſoluat, vt efficiantur omnes aurum purum.

Oecumenius in 1. Cor. 3. Saluabitur, & ipse quoque non tamen citrà dolorem, vt par est, eum, qui transit per ignem, *& à contractis leuioribus maculis expiatur.*

Beda in Psal. 39. Quidam committunt quædam peccata venialia grauiora, & leuiora, & ideo necesse est, vt hi tales in Ira corripiantur, idest in Purgatorio igne: nunc interim ante diem Iudicij ponantur, vt quæ in eis *immunda* sunt, per illum exurantur, & sic tandem idonei esse cum his, qui in dextera coronandi sunt, inueniantur.

S. Anselmus 1. Cor. 3. Nam de quibusdam leuibus culpis esse ante corporum resurrectionem, Purgatorius ignis credendus est.

Neque contra hanc Patrum doctrinam est S. Chrysostomus Homil. 2. de Lazaro, vbi dicitur. Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere. Neque S. Ambrosius lib. de Bono Mortis cap. 2. vbi ait: Qui hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit, nimirum in Patria Beatorum. Nam ambo loquuntur de remissione mortalium, vt ostendit Bellarminus contra Brentium, non verò de remissione, atque adeo aliquali pœnitentia venialium: nam verè illa acceptatio pœnæ à Deo inflictæ, cum ex charitate procedat, dici potest virtualis quædam pœnitentia, & licet non sit propriè meritoria, quia non meretur gloriæ, vel gratiæ augumentum, tamen est remissoria peccati, vt ex S. Thoma in 4. dist. 21. quæst. 1.

Quintum testimonium sumitur ex vsu Ecclesiæ, quæ orat, & offert pro defunctis, vt à culpis venialibus soluantur, cumque in huiusmodi oblationibus pro vna, eademque anima diu multumque immoretur, vt constat in Sacris Anniuersariis, significat satis illam culparum remissionem, non fieri simultaneè, sed successiuè. Porro Ecclesiam orare pro remissione culparum, patet ex Dionysio cap. vlt. Ecclesiast. Hierarchiæ. Et ex ipsa nostra Liturgia, in qua dicimus. Remissionem cunctorum tribue peccatorum: Absolue ab omni vinculo delictorum; A peccatis omnibus exue: Indulgentiam pariter, & requiem capiant: Vt si quæ eis maculæ de terrenis contagiis adhæserunt, remissionis tuæ misericordia deleantur: Per huius virtutem Sacramenti à peccatis omnibus expientur: A peccatis omnibus exuatur, sine quibus à culpa nemo liber extitit: Da propitius veniam peccatorum, vt à cunctis reatibus absoluantur: Vt quidquid conuersatione contraxerunt humana, clementer indulgeas. XXIV. *Probatur quinto ex vsu Ecclesiæ.*

Hæc, & his planè verbis orat pro defunctis Ecclesia, quæ ad pœnas tantum referre, & nullo modo ad culpas ipsas, violentum planè est, & à legibus omnibus interpretandæ Scripturæ alienum.

Scio Scholasticos aliquos in 4. dist. 21. quæst. 1. docuisse peccatum veniale dici remitti in Purgatorio, quia totaliter ibi punitur, mortale autem non dici remitti post hanc vitam, quia non punitur vnquam ibi totaliter, nisi enim in hoc Mundo mutetur reatus pœnæ æternæ, in reatum pœnæ temporalis; & sic incipiat hic remissio, non poterit ibi purgari. Verùm hæc explicatio falso nititur fundamento, quod scilicet peccatum relinquat solum in homine, postquam actus transiit, reatum pœnæ cum certum sit relinquere in homine etiam maculam, aut aliquid simile, per quod dicatur homo formaliter peccator, & dignus pœna. Adde cum Bellarmino, quod hoc modo re vera peccata venialia non possent dici remitti in XXV. *Quid est peccatum remitti, aut non remitti.*

Purgatorio; non enim remittitur, quod totaliter punitur; remiſſio enim ſonat condonationem. Præterea Patres Eccleſiæ docent, peccata grauia, non dimitti in Purgatorio, ſed leuia. Ex quo arguit S. Thomas loco citato. Aut hoc intelligitur quoad culpam, aut quoad pœnam. Si quoad pœnam contra eſt, quia grauium pœna verè dimittitur in Purgatorio, ſi quoad culpam, ergo aliquæ culpæ remittuntur in Purgatorio.

XXVI. *S. Thomas pro remiſſione venialium in Purgatorio.*

XXVII. *Reſponſio ad difficultatem.*

Hac poſita de venialibus culpis doctrina, vt ſtatim reſpondeamus difficultati, diſtinguimus duplicem Claſſem animarum degentium in Purgatorio. Alteram earum, quæ ſuarum culparum Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem obtinuerunt in vita, & de his dicimus facili negotio, Sacrificiorum multitudine liberari. Alteram Claſſem ponimus earum, quæ cum multis culpis non condonatis migrarunt ex viuis, & de his non dubitamus aſſerere earum per ignem tranſitum, neque ita facilem, neque ita breuem futurum. Etenim, vt ait Emiſſenus Homil. 5. de Epiph. *per fluuium igneum per vada feruentibus globis horrenda tranſibunt;* neque multum proderit Sacrificiorum multitudo ſiu per generalem, ſiue per ſpecialem applicationem offerantur, quia fructus remiſſionis pœnæ proueniens ex opere operato à Sacrificiis non eſt magis infallibilis, quàm effectus Sacramentorum; effectus autem Sacramentorum ſunt infallibiles, & efficaces in illis dumtaxat, qui non habent obicem: at verò qui culpas veniales habent, obicem profectò habent; eſt enim hoc generaliter requiſitum ex parte eius, pro quo cuiuſuis generis ſuffragium offertur, vt culpa, ratione cuius pœnam meretur, iam ei ſit remiſſa; neque enim fieri poteſt, vt remittatur pœna ante remiſſam culpam, quia quandiu culpa manet, intrinſecè manet homo dignus pœna, ergo quandiu culpæ non ſunt deletæ, nunquam Sacrificia quoad hunc effectum remiſſionis pœnæ poſſunt totam ſuam efficacitatem habere. Quomodo autem, & qua ſucceſſione huiuſmodi dimiſſio venialium in Purgatorio fiat per actum dilectionis, & patientiæ, hoc alterius eſt loci, & contra modum potius huius remiſſionis, quàm contra rem ipſam, objectiones procedunt Aduerſariorum.

XXVIII. *Animæ Purgatorij poſſunt habere obicem*

Interim, quod tutiſſimum eſt, ſatagamus, vt per congruam pœnitentiam, omnium culparum remiſſionem, ante obitum obtineamus, iuxta id, quod monuit Chriſtus Dominus Matth. 5. & Luc. 12. *Eſto* conſentiens Aduerſario tuo *cito dum es cum eo in via, ne forte tradat te Aduerſarius Iudici, & Iudex tortori, & mittaris in carcerem; amen dico tibi, non exibis inde donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Obſerua quid ſit Aduerſarius hic, quid Carcer, & quid quadrans.

XXIX *Lex Dei eſt Aduerſarius.*

Aduerſarius, ait S. Auguſtinus Serm. 1. de Verbis Domini, eſt Dei lex, & Dei ſermo, qui ſemper aduerſatur peccanti, & dicit: *Noli*, forſitan delectat te inebriari, ait Auguſtinus, at Sermo Dei dicit tibi: *Noli*; delectat te ſpectare, & nugari, ille dicit tibi. *Noli*. In quibuſcumque peccatis volueris facere voluntatem tuam, dicit tibi: *Noli*. Aduerſarius eſt voluntati tuæ, donec fiat Author ſalutis tuæ. Quod

XXX. *Carcer eſt Purgatorium, & quadrans eſt peccatum minimum.*

vero nomine Carceris intelligatur Purgatorium, & nomine Quadrantis quod eſt minima moneta, veniale peccatum, docet ex antiquis Patribus Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 7. contra aliquos, qui cum S. Auguſtino putant hic agi de ſolutione, quæ fit in Inferno, vnde dicunt illud: *donec reddas* non ſignificare certum tempus, ſed æternitatem; ſicut cum dicitur Matth. 1. Non cognouit eam *donec pareret filium ſuum*. Et Pſalm. 109. Sede à dextris meis, *donec ponam* inimicos tuos

ſcabellum

ſcabellum pedum tuorum; non enim licet colligere,ergo poſt quam Maria peperit, cognouit eam Ioſeph. Et poſt quam poſuerit inimicos ſub pedibus, non ſedebit à dextris.

Verum hæc exempla non ſatisfaciunt, ait Bellarminus. Nam cum dicitur non cognoſcebat eam donec pareret, non licet quidem inferre, ergo poſtea cognouit eam, ſed inferre licet, ergo illa aliquando paritura erat. Similiter cum dicitur: Sede a dextris meis, donec ponam, rectè infertur, ergo aliquando ponentur omnes inimici Chriſti ſub pedibus eius, alioqui illud donec, ineptè diceretur. Ita ergo cum dicitur, non exibis, donec ſoluas vltimum quadrantem, inferimus rectè, ergo aliquando ſoluet vltimum quadrantem, & conſequenter exibit inde. Non enim videtur hoc rectè intelligi poſſe, niſi aliquando ſit futurus finis ſolutionis. Atque hoc modo videntur intellexiſſe hunc locum antiqui Patres.

Sanctus Bernardus de Obitu Huberti: illud ſcitote, quia poſt hanc vitam in Purgatorij locis centupliciter quæ fuerint hic neglecta redduntur vſque ad nouiſſimum quadrantem.

S. Hieronymus in cap. 5. Matthæi; hoc eſt, quod dicit non egredieris de Carcere, donec etiam minuta peccata perſoluas.

S. Ambroſius in hunc locum Luc. 12. tamdiu exercetur noxius pœnis,vt commiſſi ſupplicia erroris expendat.

Origenes in Epiſt. ad Rom. Quamuis, inquit, promittatur exeundum eſſe quandoque de Carcere, tamen deſignatur non inde exiri poſſe, niſi reddat quiſque nouiſſimum quadrantem.

Ex quibus tandem omnibus conſtat quamobrem, non omnes animæ defunctorum facilè à Purgatorio liberentur. Quamuis (quod erat nobis in præſenti quæſtione probandum) omnes ius aliquod habeant, vt Sacrificium quodlibet pro ſe omnibus offeratur.

QVÆSTIO OCTAVA.

An Fidelium Animæ dum ſunt in Cœlis aliquod ius retineant ad fructus huius Montis.

I. *Proponitur controuerſia.*
II. *Noſtra Sententia affirmatiua.*
III. *Sacrificium pro Martyribus.*
IV. *Sacrificium pro Infantibus baptizatis.*
V. *Colligitur primum fundamentum noſtræ Sententiæ.*
VI. *Alterum fundamentum.*
VII. *Beati ſunt membra eiuſdem Chriſti familiæ.*

L. *Offert semper Ecclesia, quæ est in Cœlo.*
LI. *Offert semper Ecclesia, quæ est in Purgatorio.*
LII. *Offert semper Ecclesia, quæ est in Terris.*
LIII. *Trisagium trimembris Ecclesiæ.*



X nostris principiis illud etiam videtur sequi, fidelium animas non solum quamdiu in Purgatorio degunt, verum etiam dum iam sunt in Cœlis, retinere ius offerentis respectu cuiuscumque Sacrificij; si enim semel illis victima huius Sacrificij relicta est, cum primo cœperunt esse de corpore, & familia Christi, nulla videtur esse ratio cur non possint semper frui priuilegio, & suo vti Iure offerentis. I. *Proponitur Controuersia.*

In contrarium videtur esse, quod victima huius Sacrificij relicta quidem à Christo est omnibus filiis familiæ suæ; verum non pro omni statu, sed tantùm pro statu indigentiæ; quare mirandum non est, si in hac vita, & in locis Purgatorij quicumque ad hanc familiam pertinent, sint offerentes, in Beatitudine verò non item.

Est ergo à nobis primo loco probandum victimam huius Sacrificij non solum relictam à Christo suis fidelibus esse pro statu præsentis vitæ, neque solum pro statu Purgatorij, sed etiam pro statu Beatitudinis, atque adeo pro omni statu. Probamus autem ex eodem fonte, ex quo hausimus argumenta pro Animabus in statu Purgatorij, & primo quia hoc Sacrificium ex Institutione Christi non solum pro defunctis in Purgatorio degentibus ritè offertur, sed etiam pro iisdem iam in Cœlo cum Christo regnantibus. II. *Nostra sententia affirmatiua.*

Testimonium primum sit ex S. Cypriano lib. 3. Epist. 6. vbi, vt obseruat Bellarminus lib. 2. de Miss. cap. 8. petit annotari, & ad se scribi diem mortis Martyrum singulorum, vt possit nominatim in die Anniuersario passionis eorum, *pro eis Sacrificium offerre.* Verè apud S. Cyprianum in hac citata Epistola, non est hoc verbum *pro eis,* solum enim dicit *dies* eorum quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Sed satis mihi est ad rectum loquendi modum, quod hanc Epistolæ sententiam prædictis illis verbis ad sensum retulerit Bellarminus. Neque mirum est hunc sapientissimum Doctorem in citandis fideliter Patrum testimoniis accuratissimum, id hoc loco fecisse, tum quia illius intentum erat ostendere, in Sacrificio ritè fieri commemorationes Sanctorum, quod est expressum in verbis Cypriani; tum quia hic etiam loquendi modus est alibi expressus apud eundem S. Martyrem, nam lib. 4. Epist. 5. circa medium, cum quorundam Martyrum mentionem fecisset, hæc addit: *Sacrificia pro eis semper, vt meministis offerimus.* III. *Sacrificium pro Martyribus.*

Secundum testimonium est S. Ioan. Chrysostomi Homil. 21. in Acta, in Moral. exposit. post medium, vbi cum locutus fuisset de Sacro-Sancto Missæ Sacrificio. Quid tibi videtur, inquit, quod pro Martyribus offertur, quod inuocantur in illa hora? licet Martyres sint etiam *pro Martyribus offertur.* Vides bis repetitum, *pro Martyribus offertur,* quamuis autem ex toto illius Homiliæ contextu non satis constet, in quem sensum Chrysostomus dixerit, hoc Sacrificium pro Martyribus offerri; Nobis tamen hoc loco satis est, quod hoc dixerit, nam sensum indagabimus infrà.

IV. *Sacrificium pro Infantibus baptizatis.* Tertium testimonium ex S. Thoma in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 1. quæstione 1. ad 2. pro pueris, inquit, baptizatis Missarum solemnia celebrantur, non quia eis iuuetur quantum ad remissionem alicuius culpæ, vel quantum ad augmentum gloriæ, sed propter alias rationes. Vides Sanctum Doctorem admittere, Sacrificium offerri *pro paruulis baptizatis*, quos constat esse Beatos. Quidquid sit de rationibus, inter quas illa etiam affertur a S. Doctore, vt nimirum ostendatur, illos ad vnitatem corporis mystici pertinere.

Quartum testimonium ex consensu omnium Theologorum, qui proponentes præsentem quæstionem sub his terminis: *An Sacrificium offerri possit pro Beatis*, toti sunt in explicando modo, quo verum est dicere: Sacrificium *pro illis offerri*: In quo planè præsupponunt sententiam Catholicam, quam non video nisi ab Hæreticis oppugnatam, *Sacrificium scilicet Missæ rectè celebrari pro Sanctis.*

V. *Colligitur primum fundamentum.* Porrò ex his testimoniis argumentum conficimus hoc modo Hoc Sacrificium offertur pro Christi fidelibus, etiam dum sunt in statu Beatitudinis, ergo illius victima relicta illis fuit pro omni statu, etiam Beatitudinis. Antecedens est expressum in allatis testimoniis. Consequentia probatur, quia non aliunde à posteriori colligimus, hoc Sacrificium relictum esse Ecclesiæ etiam pro statu, quo est in Purgatorio, nisi quia ex Apostolorum traditione pro fidelibus, etiam dum sunt in eo statu ritè offertur; ergo si ritè offertur pro iisdem dum sunt in statu Beatitudinis, rectè colligimus pro illo quoque statu, atque adeo pro omni statu relictum à Christo suæ Ecclesiæ fuisse, ergo in omni statu habent propriissimam rationem offerentis iuxtà ea, quæ in Superioribus explicauimus.

VI. *Alterum fundamentum.* Sed probemus hoc idem à priori. Fideles in quocumque sint statu, semper sunt de corpore vnius, eiusdemque Christi familiæ, tanquam vera illius membra; ergo in quocumque sint statu semper habent ius offerentis, atque adeo participare possunt fructus Montis erecti pro vniuersa familia iuxtà capacitatem status cuiuscumque.

Consequentia videtur certa, cur enim, qui de eodem corpore familiæ sunt, priuentur communi bono, qua parte, aut indigent, aut capaces sunt?

VII. *Beati sunt membra eiusdem Christi familia.* Antecedens indubitatum est ex Diuinis Scripturis, in quibus Ecclesia describitur tanquam vnus Populus, vna Respublica, vnum Corpus, quod perpendens S. Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 9 circa medium, locutus nominatim de Beatis Martyribus, subdit generatim: neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est Regnum Christi, alioquin nec ad Altare Dei fieret eorum memoria in communicatione Corporis Christi, nec aliquid prodesset ad eius in periculis Baptismum currere, ne sine illo finiatur hæc vita, nec ad reconciliationem, si fortè per pœnitentiam, malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est; cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti, membra eius sunt? Sic Augustinus. Et nota vim argumenti, quo probat fidelium animas per mortem nullo modo separari ab vno, eodemque corpore familiæ Christi. Quia scilicet alioquin nobiscum idem Altare non participarent: hoc enim præsupponit, esse adhuc de eodem corpore familiæ, immò vt hoc ius acquirant, & teneant, satagunt, vt cum decedunt è viuis, tanquam filij huius familiæ decedant, ideo si foris inueniantur, per Ianuam Baptismi intrare contendunt, antequam finiatur Vita; & si fortè contingat, vt aut per excommunicationem, aut per

hæresim è familia ejiciantur, solliciti sunt, vt ante obitum vnitati restituantur; quare hoc ait Augustinus? quia si decedunt dum sunt de familia, tanquam membra familiæ decedunt nunquam ab illa separandi. Hic est sensus verborum Augustini.

Sed dices, Sacramenta sunt relicta à Christo familiæ suæ, nec tamen pro omni statu, vt patet; ergo neque hoc Sacrificium relictum vllo modo est eidem familiæ pro statu Beatitudinis. Hanc consequentiam, & paritatem Sacramenti, & Sacrificij auidè arripiunt Hæretici. Ex illa enim conantur probare eos, qui ratione status capaces non sunt Sacramentorum, neque esse Sacrificij. VIII. *Objectio à paritate Sacramentorum.*

Respondeo negando consequentiam, & paritatem. Disparitas autem est, quia Sacramenta non prosunt nisi sumenti, & suscipienti, & quia animæ non possunt esse sumentes, & suscipientes, nisi in statu vnionis cum corpore; ideo Sacramenta non sunt relicta Ecclesiæ pro statu separationis à corpore; at verò Sacrificium prodest etiam nihil sumentibus, modò pro illis etiam offeratur, ex quo principio optimè intulit Bellarminus contra Lutherum, manducationem Eucharistiæ, quæ fit à Sacerdote, vt est Sacramenti susceptio, soli Sacerdoti prodesse, vt autem est Sacrificij consummatio prodesse illis omnibus, pro quibus oblatum est Sacrificium, constat autem inter eos, pro quibus Sacrificium hoc offerri potest, esse animas etiam in statu separationis à corpore, alioquin non posset offerri pro animabus Purgatorij, quod affirmare hæreticum est. IX. *Sacrificium relictum est familia pro omni statu, non sic Sacramenta.*

Non potest igitur nostrum fundamentum aliter oppugnari nisi ostendendo fidelium animas pro statu Beatitudinis incapaces omnino esse cuiuscumque effectus huius Sacrificij, quæ videtur communis recentiorum via, qui pro solis mortuis in Purgatorio existentibus Missæ Sacrificium offerri posse contendunt, quia omnes alij mortui sunt in statu æternæ, vel Beatitudinis, vel damnationis. X. *An Beati sint capaces fructus Sacrificij.*

Verum Beatorum animas æquè incapaces esse omnis fructus huius Sacrificij, ac animæ damnatorum, quamuis ob diuersam rationem, valde alienum arbitror à communi Ecclesiæ sensu; primo quia Sapientissimi Patres, quorum testimonium attulimus non dubitarunt absolutè pronunciare, Sacrificium hoc pro Beatis etiam offerri. quod sanè ineptè diceretur, si nullus omnino fructus illis obueniret.

Secundo quia Ecclesia tota in sacra Liturgia apertè hoc præsupponit. Quid enim est, offerimus hanc oblationem vt illis *proficiat ad* honorem? quid est proficere alicui, nisi illi prodesse, & fructum aliquem illi facere? Huc etiam facit, quod sæpè Ecclesia in Orationibus de Sanctis: Sumpsimus Domine sancta Mysteria, quæ sicut *Sanctis tuis prosunt ad gloriam*, ita nobis quæsumus proficiant ad medelam. XI. *Testimonium Ecclesiæ de hac capacitate.*

Non debemus ergo abhorrere ab hoc dicendi modo quasi Sanctis iniurioso, quod scilicet Sacrificium Ecclesiæ *proficiat, & prosit*, etiam illis iam cum Christo regnantibus, nam quod Augustinus dicit Serm. 17. de Verbis Apostoli, injuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre; intelligitur, vt rectè notat Bellarminus, de illis, qui Martyri precantur remissionem peccatorum, vel gloriam essentialem, quasi illa careret, Cæterum negari non potest aliquem fructum percipere ab hoc Sacrificio omnes, de quibus verum est dicere, quod illis proficiat, & prosit.

Satius proinde, & vtilius agemus si admissis, ea qua decet reuerentia, hisce propositionibus quàm sapientissimè ab Ecclesia vsurpatis, conabimur explicare, qui-

nam huius ſacrificij ſint fructus, cuius Beati poſſint eſſe capaces.

XII. *Diuiſio Sacrificij.* Id vt oſtendamus recolenda eſt celebris illa diuiſio quadruplicis ſacrificij, Sacrificium enim noſtrum quamuis vnum, & ſimplex, continet ſacrificiorum omnium differentias, tanquam illorum omnium conſummatio, & perfectio, vt ſumitur ex Trident. Seſſ. 22. cap. 1. Itaque vnum, & idem, eſt ſimul ſacrificium honorarium, ſacrificium Propitiatorium, ſacrificium Euchariſticum, & ſacrificium Impetratorium. Videamus ergo ſecundum quam differentiam ex his quatuor enumeratis, ſacrificium hoc Sanctis etiam proficuum eſſe poſſit.

XIII. *An ex ſacrificio vt honorarium eſt, aliquis fructus percipiatur à Beatis.* Et primo ex hoc ſacrificio quatenus holocauſtum quoddam eſt, ſub qua ratione Latreuticum, & honorarium etiam nominatur, videtur nullum fructum Sanctis contingere; ratio eſt quia quamuis ſacrificium ſub quacumque ratione ſumatur, offerri non poſſit niſi ſoli Deo, vnde definitur ſummus Latriæ cultus, & oblatio facta ſoli Deo: Tamen hoc, quod Deo offertur, ordinari etiam poteſt ad aliquid, aliis obtinendum; quare licet nulla Creatura poſſit eſſe, *Cui* ſacrificium offeratur, poteſt tamen eſſe, *pro quo*, idem ſacrificium Deo tanquam ſoli *Cui* offertur; ſic quod in Scriptura dicitur, ſacrificium pro peccato, quod etiam Propitiatorium appellatur præter ſummum Dei cultum, habet pro fine peccatorum remiſſionem, vnde *pro* peccatoribus offertur; ſimiliter ſacrificium, quod communi vocabulo impetratorium nominatur, licet offerretur ſoli Deo, ordinabatur tamen ad beneficia impetranda, vnde *Pro* indigentibus offerebatur. At verò finis ſacrificij, quod holocauſtum dicebatur eſt ſolus Dei honor, & reuerentia Diuinæ Maieſtatis, ad quod ſignificandum, & proteſtandum tota victima cremabatur, vt reſoluta in vaporem tota ſurſum aſcenderet. Ex quo videtur ſequi, quod dicebamus, nimirum ex hoc ſacrificio, quatenus honorarium eſt, & quædam publica, & ſolemnis proteſtatio Summæ Maieſtatis, nullum Sanctis fructum obuenire.

XIV. *Fructus Beatis ex ſacrificio honorario.* Verum enim vero S. Ioan. Chryſoſtomus Homil. illa 21. in Acta Apoſt. indicat fructum quendam honoris, Beatis Martyribus in ſacro Canone nominatis prouenientem ex hoc ſacrificio, quatenus honorarium eſt, non quod ſacrificium aliqua ex parte Sanctis in honorem offeratur, quod nobis per ſummam calumniam affingunt Hæretici, ſed quia hoc ipſo quod ſacrificium eſt publicus Latriæ cultus, & ſoli Deo in profeſſionem Diuinæ Maieſtatis, & creatæ inferioritatis totum offertur; hoc ipſo, inquam, hoc planè ſequitur, vt Sancti, qui in tanta Actione vocantur, aut nominantur, per hoc ipſum, quod tunc nominantur, priuilegio quodam honoris præcipui condecorentur, ad eum ferè modum, quo honorificum valde eſt, Regiæ Aulæ Magnatibus, dum Rex ſuo ſedet Solio, & publicè à circumfuſo populo colitur, locum aliquem apud ipſum habere; Quare

XV. *Martyres Canonis Principes Solij.* Beati Martyres, qui ſtato, ac legitimo ordine in ſacro Canone nominantur, videntur eſſe Principes Solij, qui Chriſto Summo Pontifici aſtant, dum Populi Angelorum, vt loquitur Auguſtinus inclinatis ceruicibus Diuino Altari ſupplices affunduntur. Sed audiamus Chryſoſtomum in Homil. cit. propè finem. Quid putas, inquit, pro Martyribus offerri, quod vocantur in illa hora? licet Martyres ſint, etiam pro Martyribus magnus honor nominari Domino præſente, dum mors illa perficitur, & horrendum ſacrificium, & ineffabilia myſteria. Nam quaſi ſedente Rege, &c.

Secundo loco videndum est, An ex hoc sacrificio, quatenus Propitiatorium est pro peccatis nostris, fructum etiam aliquem Beati percipiant. Et sanè cum ex vna parte habeamus, quod huius oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit, vt definit Trident. Sess. 22. cap. 2. Et ex altera sciamus ex Christi Domini verbis Luc. 15. quod gaudium erit coràm Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente; videtur extra controuersiam positum huiusinodi gaudij fructum per Propitiatorium sacrificium à Sanctis vberrimè percipi. Dico vberrimè per hoc sacrificium, quia vt in superioribus probauimus, propitiatio pro peccatis Mundi est effectus primarius, & proprius huius sacrificij; immò hoc sacrificium, est fons omnis remissionis peccatorum; nam vt docuimus cum sancto Thoma in cap. 6. Ioan. lect. 6. quidquid est effectus Dominicæ Passionis, totum est effectus huius sacrificij: Constat autem primarium effectum Dominicæ Passionis fuisse remissionem peccatorum, hinc dixit S. Augustinus quæst. 57. in Leuit. agens de hoc sacrificio incruento Christianæ Religionis in multis sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, vnum hoc nostrum sacrificium significatur, *In quo vera fit remissio peccatorum*, nimirum, vt idem ait Serm. 11. de Sanctis in hoc sacrificio *Pro peccatoribus Christi sanguis effunditur*. Quare si (quod monet Trident. capite illo 2.) cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad hoc sacrificium accedamus non solum nos misericordiam consequemur, & gratiam inueniemus in auxilio oportuno, sed summo gaudio Sanctos omnes afficiemus, & illos nominatim, qui expresè ibi vocantur, & nominantur. XVI. *Fructus Beatis ex sacrificio Propitiatorio.*

Sed quamuis hæc verè dicta sint, adhuc tamen non videmur rem ipsam attigisse, quia in rigore loquendo, offerre pro alio, est quodammodo pro illo soluere, vnde præsupponit aliquod debitum in eo, pro quo fit oblatio, sic propriissimè offerimus pro animabus, quæ sunt in Purgatorio, quia illis applicamus sacrificium satisfactorium per modum solutionis. Quamobrem cum Beati nullum habeant debitum culpæ, & nullum reatum pœnæ, non videtur cum illis habere locum sacrificium satisfactorium. XVII. *In quo sensu datur sacrificium satisfactorium pro Beatis.*

Propter hæc, ad tertiam sacrificij speciem descendendo, ostendam duo. Primum, in Beatis esse debitum quoddam maius omni debito, & quod exoluere planè nec ipsi sufficiunt. Alterum, sacrificium hoc esse præcipuo nomine institutum ad huius generis debitum exoluendum; vnde manifestum erit quàm verè, & propriè sacrificium hoc offerri pro Sanctis pòssit, ac debeat. Dixi in Beatis comprehensoribus esse debitum aliquod maius quocumque alio, quod antea dum essent Viatores contraxerunt; nam quæ sunt propria Viatorum debita, peccata sunt, quæ propterea dicuntur debita nostra. Hæc autem persoluta omnino sunt, & eorum nomina planè deleta. At verò ex hac ipsa tàm ingentis debiti dimissione, & præsentis insuper proëmij collatione, consurgit superioris cuiusdam generis debitum vsque adeo magnum, vt nulla omnino solutione exhauriri possit; tale quippe debitum est, ait Chrysost. Homil. 23. in cap. 13. ad Rom. vt reddatur, & semper debeatur; immò (quod est notandum) solutione ipsa fit maius, & crescit, quod secus accidit in debito Iustitiæ, etiam ad Deum, nam illud sine dubio impletur solutione, vt locum iam non habeat Iustitiæ exhibitio; XVIII. *Debitum Beatorum.* XIX. *Solutione fit maius.*

at verò per gratiarum actionem nunquam potest homo exhaurire debitum, quod ad Deum habet ob Diuinorum beneficiorum collationem, quod benè notauit in simili P. Suarez Tom. 1. de Relig. lib. 1. in fine, quia per ipsam debiti solutionem nouum beneficium homini confertur, quia ipsa solutio, sicut nouum virtutis est opus, ita nouum Dei donum, beneficiumque est, immò conatus ipse, & desiderium huic ingenti debito faciendi satis, debitum ipsum auget, & cumulat; quare frustra laboramus tantum debitum exhaurire. Hinc si Deus Sanctorum cuilibet, cui dictum fuerit: *Intra in gaudium Domini tui*, hoc etiam addiderit: *Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Si, inquam, & hoc addiderit, perinde fuerit, ac dicere, nunquam exibis inde, nam gratias agendo solues semper, nunquam persolues.

XX. *Sacrificium institutum pro soluendo etiam hoc debito.*

Indicauimus naturam huius debiti, quam Sancti in Cœlo omnium optimè norunt. Videamus nunc, quod secundo loco propositum erat; An ad hoc maximè debitum soluendum institutum singulariter fuerit hoc sacrificium. Probabimus autem duo. Primum hoc sacrificium ex sua Institutione, ad hoc valere. Secundum, vix aliud in tota Ecclesia esse, à quo huius debiti solutio peti possit. Et quidem quod sacrificium ex sua Institutione ad hoc valeat, habemus tum ex veteri, tum ex nouo Testamento. Ex veteri Leuit. 3. vbi habetur sacrificium *Pacificum* institutum primo loco ad agendas gratias pro beneficio accepto, quod propterea à Iosepho lib. 3. Antiq. cap. 10. idest *Hostia gratiarum actionis*, & ab aliis vt notat Ribera lib. 4. de Sacrif. cap. 4. *Sacrificium retributionum, seu compensationum* appellatum est. Hoc autem probat sacrificium nostrum esse sacrificium retributionis, & compensationis, quia illud sacrificium ad retribuendum Domino institutum, fuit Typus, & figura huius nostri, vt enim vniuersaliter docuit, ac definiuit Trident. Sess. 22. cap. 1. *Hæc oblatio illa est, quæ per varias sacrificiorum naturæ, & legis tempore, similitudines figurabatur.* Et statim quasi reddens pro causa, quod hic intendimus, nimirum hanc retribuendi vim, contineri in hoc nostro sacrificio, eo quod hoc sit de natura rei figuratæ, vt quidquid est valoris, & pretij in figura, eminentiori quadam ratione comprehendatur à figurato, subdit: *vtpote quæ bona omnia per illa significata velut illorum omnium consummatio, & perfectio complectitur.*

Secundo ex nouo Testamento. 1. Timoth. 2. vbi Apostolus iubet fieri *Gratiarum Actiones*, quod S. Ambrosius lib. 6. de Sacram. cap. vlt. Augustinus Epist. 59. ad Paulinum, & ex his Bellarminus lib. 2. de Miss. cap. 8. intelligit de nostro sacrificio Eucharistico, quod est gratiarum actionis, vt alibi fusius.

XXI. *An id singulariter sit in hoc sacrificio.*

Ostendamus nunc hanc vim retributoriam Domino singularem esse in hoc nostro sacrificio; id primo loco probandum est ex Propheta, qui in rebus ad Christi Pontificatum, & sacrificium Ecclesiæ pertinentibus fuit mirificè illustratus. Is in Psal. 115. *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Insinuat primo loco Propheta magnam circumstantiam Diuinorum beneficiorum; nam non ait, pro omnibus, quæ tribuit mihi, inquit Augustinus, sed pro omnibus quæ retribuit mihi. Quæ igitur præcesserant hominis, vt omnium donorum Dei, non attributio, sed retributio vocari possit? Quæ præcesserant hominis, nisi peccata? Retribuit ergo Deus bona pro malis cui homines retribuunt mala pro bonis; hæc enim retribuerunt, qui dixerunt Matth. 21.

XXII. *Retributio Dei, & hominis.*

Hic

Hic est hæres, venite occidamus eum, sed quærit ille quid retribuat Domino? Hoc nimirum est grati animi, ait S. Ioan. Chrysost. *Obire*, & pro iis, quæ accepit, beneficiis quærere benefactori aliquam referre gratiam. Obiuit igitur S. Propheta, circumiuit, & circum lustrauit terram, & anxiè, soliciteque quæsiuit, si quid esset, quod retribueret, & quasi par pari referret; sed non inuenit, ait Augustinus ex eis, quæ ipse Dominus retribuit. *Calicem*, inquit, *salutaris accipiam*. Hunc locum communiter Patres exponunt de Calice patientiæ, & Passionis, iuxtà illud Matth. 20. *potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum*, quam expositionem ait Bellarminus confirmat consuetudo Ecclesiæ, quæ hunc psalmum in Martyrum solemnitatibus cantare solita est, sed quamuis hæc expositio admitti possit, nullo tamen modo rejici debet illa alia, qua nomine Calicis salutaris intelligitur sacrificium Eucharisticum Sanguinis Domini, quod est sacrificium retributionum, & compensationum.

XXIII. *Grati animi est Obire.*

XXIV. *Quid nomine Calicis salutaris.*

Primo, quia si priorem expositionem confirmat Ecclesiæ consuetudo, psalmum hunc in Martyrum solemnitatibus decantantis, multò magis posteriorem confirmat eiusdem Ecclesiæ consuetudo, quæ in sacra Liturgia hunc locum expressè intelligit, & exponit de Calice Sanguinis Eucharistici; vbi aduertere licet, bis huius Calicis salutaris mentionem fieri in sacra Liturgia, semel ante consecrationem, cum dicimus: *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris*, iterum verò post Corporis sumptionem, cum dicimus: *Calicem salutaris accipiam*; & quidem vtrobique per Calicem salutaris intelligere se Calicem sacrificij ostendit ad sensum Ecclesia; nam in priori loco, illum offert in odorem suauitatis, in posteriori; illum ipsum oblatum, & consecratum ad consummationem sacrificij accipit, quare id ipsum; quod facit Ecclesia dum illa recitat verba, est eorundem verborum illustrissimus Commentarius.

XXV. *Factum Ecclesiæ pro Commentario.*

Accedit quod S. Ioan. Chrysostomus inter omnes Patres maximè litteralis, expressè docet sensum historicum huius loci esse de sacrificio. Nos autem, ait ipse, historiam sequentes, dicimus eum, hic dicere libamina, & sacrificia, & hymnos gratiarum actionis, erant enim antiquitus diuersa sacrificia. Hoc est, ergo quod dicit, non possum quidem, quod dignum est persoluere, soluo autem quod possum, offeram enim Deo sacrificia gratiarum actionis. Hæc Chrysostomus, de cuius mente dubitari non potest; nam paulo post exponens eiusdem psalmi versiculum: *Tibi sacrificabo hostiam laudis*. Vide, inquit, quomodo superius, & inferius, & vbique exsoluit eandem Deo retributionem superius dicens, *Calicem salutaris accipiam*, hîc, *Tibi sacrificabo hostiam laudis*. Itaque secundum Chrysostomum, Calix salutaris idem est, quod illa victima, seu hostia, quæ dicebatur, *hostia pacificorum*, quæ à Septuaginta dicitur hostia salutaris, & ab Hebræis victima retributionem.

XXVI. *Calix salutaris in sensu litterali est Eucharistia.*

Hanc etiam expositionem sequutus est Caietanus in suis Commentariis super Psalmos, ad Hebraïcam veritatem castigatos, nam Hebraïcè *pro Calicem salutaris accipiam, habetur Calicem salûtum leuabo*: ecce quid reddam, ait Caietanus sacrificium gratiarum actionis, hoc enim describit à leuatione Calicis salûtum, hoc est pro salutibus habitis, quia enim libamina in huiusmodi sacrificiis pro gratiarum actione interueniebant, ideo à Calice descripsit. Hæc ille.

Declarauit ergo Sanctus Propheta ad retribuendum Deo pro omnibus, quæ

XXVII. *Sacrificium vnicum retributionum & compensationū.* retribuerat sibi, nihil se, aut præstantius, aut aptius, immò nihil nisi illud sacrificium inuenisse, quod iure optimo dicebatur sacrificium retributionum, & compensationum. At sacrificium illud, quid nam erat nisi quædam forma; seu potius vmbra futuri? Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, ait S. Leo Serm. 8. de Passione, omnes differentias Hostiarum, vna Corporis, & Sanguinis sui implet oblatio; & sicut vnum est pro omni victima sacrificium, ita nunc vnum de omni gente fit Regnum; atque ad hoc quidem Regnum Ecclesiæ, eiusque vnicum sacrificium respexit sine dubio in hoc psalmo Sanctus Propheta. Nam sub nomine votorum, seu victimarum votiuarum, quæ immolabantur in Atrio Sacerdotum intra Ciuitatem Hierusalem, extrà quam non licebat sacrificare. Concludit, Vota mea, hoc est votiuas oblationes, & sacrificia Domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui Hierusalem.

XXVIII. *Vis retribuendi ex opere operato est in solo sacrificio.* Est igitur manifestum ex Propheta vim retribuendi Domino præstantissimo modo esse in Ecclesiæ sacrificio. Immo si loquamur de virtute retribuendi ex opere operato, illa vnicè, & singulariter est in hoc sacrificio. Nam Sacramenta habent quidem vim sanctificandi homines ex opere operato, sed non retribuendi Deo pro ipsa hominum sanctificatione. Orationes, & laudes quatenus quædam sunt gratiarum actiones, habent vim aliquam retribuendi Deo, sed illam habent dumtaxat ex opere operantis. At certò, & infallibiliter, atque adeo ex Institutione, & promissione, vnicè hoc habet sacrificium Ecclesiæ, quod immolatur in persona Christi, & quod idem omnino est cum sacrificio Cœnæ, quod in gratiarum actionem, & laudem oblatum pariter fuit, & institutum.

XXIX. *Fructus Beatis ex sacrificio Eucharistico.* His præcognitis apertè probamus sacrificium hoc, vt Eucharisticum est, seu, vt est Mons quidam retributionum, & compensationum pro omnibus, quæ retribuit Deus, ferre posse fructum vberrimum Beatis, atque adeo offerri pro illis posse, atque debere; nam in tantum offerri pro illis non potest hoc sacrificium vt propitiatorium est, pro culpis, & satisfactorium pro pœnis, in quantum illius generis debitum non est amplius in Beatis. Si enim huiusmodi debitum, vel leuissimum in illis esset, vtique etiam, vt propitiatorium pro illis offerretur, quemadmodum de facto offertur pro Sanctis animabus Purgatorij; at debitum retribuendi Deo pro omnibus, quæ retribuit eis, sicubi maximum est, in Beatis profectò est; ergo cum, & ipsi sint de familia pro qua tota, Mons hic retributionum, & compensationum erectus est, retinent integrum ius ad eius generis fructus, atque in publicis Ministris huius Montis insurgit obligatio illos reddendi, & veluti distribuendi iuxtà leges Institutionis, & erectionis in sacro Canone satis declaratas.

XXX. *Fructus Beatis ex sacrificio impetratorio.* Superest postremo loco, vt inquiramus, an ex hoc sacrificio, etiam quatenus impetratorium est, suus fructus possit Beatis prouenire. Et primo extrà controuersiam videtur posse hoc sacrificium offerri Deo ad impetrandum Beatis gloriam, & honorem illis extrinsecum, in quo vt notat P. Suarez cum Innocentio, non tàm pro Beatis, quàm pro nobis, nostrisque proximis oramus, & offerimus; petimus enim vt magis, ac magis à fidelibus glorificentur in terris, quod nostra est vtilitas, & commoditas, quamuis in Sanctorum gloriam redundet, sicut in Oratione Dominica petimus, *sanctificetur nomen tuum*, & possumus sacrificium

offerre ad hoc ipsum impetrandum, nec tamen propterea propriè dicemur offerre sacrificium pro Deo, sed pro nobis, vt glorificemus Deum. Sed quidquid sit, an propriè dici possit sacrificium, offerri Deo, & etiam pro Deo, si ad impetrandam tantùm Diuini nominis sanctificationem offeratur, in quo non facilè inuenies absurditatem. Quod hoc loco in controuersiam vocatur, illud est, an possit directè hoc sacrificium offerri pro Beatis ad impetrandam aliquam gloriam illis intrinsecam, non quidem essentialem sunt enim in termino, sed quæ consistat in illuminationibus, & gaudiis accidentalibus. Negat P. Suarez disp. 78. Sect. 3. sed nullum pro sua sententia affert fundamentum. Nos ad partem affirmantem propendemus, ad quam videtur inclinasse Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 18. vbi ad dubium. An Beatis prosint suffragia, duplicem refert responsionem Innocentij tertij; primam, non petere nos gloriam Sanctis, vt illi in gloria crescant, sed vt apud nos gloria eorum crescat. Secundam, non videri absurdum, si petamus Beatis augumentum gloriæ alicuius accidentalis. Quod autem Innocentius in secunda responsione loquatur de gloria accidentali Sanctis intrinseca, patet, quia de extrinseca locutus iam erat in prima. Vnde Bellarminus quasi huic sententiæ inhærens explicat statim Augustinum, dicentem iniuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre, de illis, qui Martyri precantur gloriam essentialem, quasi illa careret. XXXI.

An offerri possit pro impetranda gloria accidentali Beatis intrinseca.

Fundamentm autem nostrum est huiusmodi. Ecclesia triumphans in Cœlo offerre potest hoc sacrificium ad impetrandos fructus, quorum capax est Ecclesia Militans, ergo potest pariter Ecclesia Militans hoc idem sacrificium offerre ad illos fructus impetrandos, quorum capax est Ecclesia Triumphans; sed Ecclesia Triumphans capax est augumenti alicuius gloriæ accidentalis, ergo potest Ecclesia Militans sacrificium offerre ad impetrandam Ecclesiæ Triumphanti huiusmodi gloriam accidentalem. Minorem subsumptam de illa capacitate supponimus cum Aduersariis. Quare P. Suarez loco citato illam etiam præsupponens, hæc vicissitudo, inquit, gloriæ accidentalis semper creditur oriri ex his, quæ in Ecclesia Militante fiunt, ideoque solum vsque ad diem Iudicij esse duraturam, vel certè si aliunde etiam oriri potest, habet in singulis Beatis suam certam legem stabilem, & independentem ab Orationibus nostris, & ideo ad nos non pertinet pro eis orare, quantum ad augumentum huius gloriæ. Hæc ille. XXXII.

Ratio pro sententia affirmante.

Probemns igitur Antecedens de oblatione Ecclesiæ Triumphantis facta pro Militante, ex quo deinde ad consequentiam descendemus. XXXIII.

Ecclesia triumphans offert pro militante.

Illud autem facile erit nobis probare ex alibi disputatis, sed satis sit hoc loco monere, Dogma Catholicum esse, Ecclesiam Triumphantem offerre Deo preces, & supplicationes Ecclesiæ Militantis, iuxtà illud Tob. 12. Ego obtuli *Orationem tuam Domino*, quod quamuis in veteri Testamento expressum habeamus de Angelis tantùm, eo quod Sancti, qui ante Christi Aduentum moriebantur, non intrabant in Cœlum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinariè preces supplicantium, tamen vt rectè Bellarminus lib. 1. de Sanct. Beat. cap. 18. multò magis intelligi idem nunc debet de spiritibus hominum Beatorum; nam in primis nihil eis deest eorum, quæ Angeli habent quantum ad hoc munus pertinet, cum sint præditi intelligentia, & voluntate, & adsint semper Deo, & nos vehementer diligant, ac demum sint æquales Angelis, vt dicitur

Luc. 20. Deinde aliquid habent præ Angelis, quod sint membra corporis Ecclesiæ, nobis magis coniuncta, quam sint Angeli, & experti sunt miserias, & pericula nostra quæ Angeli non sunt experti. Itaque dubitandum non est, quin Beati offerant Deo Orationes, & preces Ecclesiæ Militantis; quod si ipsius Orationes, & preces Deo pro ipsa offerunt, multò magis offerunt ipsius oblationes, & sacrificia, tum quia, & ipsa sunt in genere Orationis nobilissimo tum quia Orationum nostrarum oblatio, magnam accipit vim ab vnione cum sacrificiis; quare omnes

XXXIV. *Efficacitas precum Ecclesiæ ab Altari.* Orationes Ecclesiæ præsertim publicæ, ascendunt ab Altari, vt patet Apoc.8. Neque mysterio vacat, ignem, quo Thymiamata in Altari aureo incendebantur deferri consueuisse ex Altari holocausti, quod erat vnicum Altare omnium sacrificiorum, quo intelligeremus, odoramenta quæ sunt orationes Sanctorum, vt dicitur Apoc. 5. totam suam efficacitatem, & totum ignem sumere à sacrificiis.

XXXV. *Ecclesia Militans offert pro Triumphante.* Iam verò probamus consequentiam quod scilicet vicissim Ecclesia Militans offerre potest eadem sacrificia pro Ecclesia Triumphante ad illius gloriæ augumentum impetrandum, cuius illa ad diem vsque Iudicij capax est Probamus autem à paritate rationis, quia potissima ratio, cur dicimus Ecclesiam Triumphantem offerre sacrificia pro Militante, nititur communioni Ecclesiæ Triumphantis cum Militante, tanquam membri cum membro sub vno Capite Christo vnico omnis Ecclesiæ Sacerdote, vt enim dicitur Ephes. 4 *Christus est Caput super omnem Ecclesiam:* at communio ista exigit, & facit vt membra inuicem, & mutuo sibi prosint, siue iuxtà necessitatem, siue iuxtà capacitatem; hæc enim est natura membrorum sub vno Capite viuentium, vt Apost. docet Rom. 12. & 1. Cor. 12. ergo eadem ratio, quæ probat Ecclesiam Trimphantem offerre posse ad impetrandum Ecclesiæ Militanti omnis generis bona, quorum saltem habet capacitatem, probat etiam Ecclesiam Militantem offerre vicissim posse ad impetrandum Ecclesiæ Triumphanti illius generis bonum, cuius incrementi supponitur capax.

XXXVI. *An animæ Purgatorij orent pro nobis.* Sed contra hanc consequentiam dices. Ecclesia quæ est in Purgatorio comparatur cum Ecclesia Militante tanquam membrum cum membro eiusdem corporis Mystici, & tamen ex eo, quod Ecclesia Militans oret, & offerat pro Ecclesia, quæ est in Purgatorio, non licet inferre; ergo Ecclesia, quæ est in Purgatorio orat, & offert pro Ecclesia Militante; nam vt docet Caietanus in 2. 2. quæst. 83. art. 11. Animæ existentes in Purgatorio excluduntur ab orando, atque adeo offerendo pro nobis quia non sunt totaliter nobis superiores, sed ratione pœnarum inferiores, & egentes nostris Orationibus. Quæ ratio multo magis probat non posse nos offerre pro Sanctis.

XXXVII. *Ecclesia Purgatorij orat & offert pro Ecclesia Militante.* Respondeo negando Ecclesiam, quæ est in Purgatorio non posse orare, & offerre pro nobis, vt enim docet Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 15. Si animæ illæ non orant pro nobis, vel causa est quia non vident Deum, vel quia sunt in maximis tormentis, vel quia sunt nobis inferiores. Et quidem dici non potest primum quasi carentia visionis Diuinæ in causa sit cur pro nobis non orent, quia tempore veteris Testamenti orabant Sancti defuncti pro viuis, cum tamen nec illi viderent Deum, sic legimus 2. Machab. 15. Oniam, & Hieremiam iam dudum defunctos, visos fuisse orare pro populo Iudæorum viuentium.

Non secundum, quod impediantur à magnitudine tormentorum, tum quia Diues in Inferno cum esset in maioribus tormentis, quàm sint animæ in Purgatorio,

orabat tamen pro fratribus suis, dicens: *Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei, &c.* Luc. 16. tum quia Martyres in hoc Mundo in tormentis constituti orabant pro se, & aliis, vt patet de S. Stephano Act. 7. tum denique, quia dolor animabus non perturbat vllo modo iudicium rationis, nec impedit affectum bonum voluntatis, ista enim nobis accedunt ratione corporalium organorum, quibus illæ carent.

Non etiam tertium, quod videantur nobis esse inferiores, ratione pœnarum; nam si orare pro aliquo, superioritatem aliquam requirit, habent animæ Purgatorij præ nobis superioritatem gratiæ, & charitatis, in qua confirmatæ sunt, quæ superioritates maximè iuuant Orationem, quæ ex charitate procedit; cæterum necessarium non est, ait Bellarminus, vt qui orat pro aliquo sit illo superior, cum nos in hoc Mundo ritè oremus pro Summis Pontificibus, & pro illis, quos non dubitamus, nobis esse sanctiores, sicut orabant Christiani olim pro Apostolo Paulo, qui eorum Orationes petebat Rom. 15. Adde, quod quicumque, in quocumque statu sacrificium offert, non offert illud in persona propria, sed in persona Capitis Christi: Quare non est in ea oblatione habenda ratio propriæ inferioritatis cuiuscumque, sed satis vnicuique est, si sit membrum Christi, vnde patet ad dictum Caietani.

Dices iterum Ecclesia, quæ est in Purgatorio, & Ecclesia, quæ est in Cœlo comparantur inter se tanquam verissima membra eiusdem corporis sub Capite Christo, & tamen neque Ecclesia, quæ est in Purgatorio offert pro illa, quæ est in Cœlo, neque Ecclesia, quæ est in Cœlo offert pro ea, quæ est in Purgatorio. Infirma igitur est illa consequentia dicta à communione membrorum inter se. Antecedens quoad primam partem est certum, quoad secundam probatur præsertim de Ecclesia, quæ est in Cœlo respectu eius, quæ est in Purgatorio, de qua potest esse maior controuersia; probatur autem ex S. Thoma in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. ad 6. vbi cum objecisset sibi; si Ecclesia, quæ est in Cœlo oraret pro ea, quæ est in Purgatorio, facile Purgatorium euacuaret. Respondit his verbis. Suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis quædam satisfactiones viuentium, vice mortuorum, & secundum hoc mortuos à pœna absoluunt, quia non soluerunt, sed Sancti, qui sunt in Patria non sunt in statu satisfaciendi, & ideo non est simile de eorum Orationibus, & de suffragiis Ecclesiæ. Sentit igitur S. Thomas, Orationes Beatorum, eo quod non sunt satisfactoriæ non prodesse defunctis in Purgatorio, atque adeo ad illos non ordinari. XXXVIII. *An Beati orent pro animabus Purgatorij.*

Respondeo negando antecedens quoad secundam illam partem, si enim vel tota, vel certè potissima ratio, cur Orationes Ecclesiæ Militantis prosunt defunctis, est quia defuncti sunt membra huius corporis colligata nobiscum, & cum Deo in eadem Fide, Spe, & Charitate, vt ex Petro Cluniacensi superius vidimus, illud etiam apertè sequitur, Orationes Ecclesiæ Triumphantis pari ratione prodesse Ecclesiæ, quæ est in Purgatorio, cum eodem modo sint membra. Quam rationem videtur etiam præsupponere S. Thomas in 4. dist. 45. art. 3. vbi de damnatis ait nullo modo suffragiis iuuari, quia, inquit, sunt extra vinculum Charitatis, quo membra Ecclesiæ vniuntur, vt opera vnius alium iuuare possint.

Verum hic distinguenda sunt duo, quorum alterum pertinet ad rem ipsam, alterum ad modum. Quod pertinet ad rem, Ecclesiam scilicet Purgatorij iuuari ab XXXIX. *Ecclesia quæ est*

in Cœlo orat pro ea, quæ est in Purgatorio.

Ecclesia, quæ est in Cœlo, hoc est planè certum apud Theologos cum sancto Thoma in 4. dist. 45 quæst. 2. art. 3. & vt ait Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 15. nulli dubium esse debet, præsertim quod Ecclesia tota videtur id præsupponere, dum in quadam Oratione supplicat Deo, vt animas defunctorum ad perpetuæ Beatitudinis consortium peruenire concedat, *Beata Maria intercedente, & omnibus Sanctis*, & S. Augustinus lib. de cura pro mort cap. 4 ad hoc dicit prodesse mortuis Sepulturam in Basilicis Beatorum Martyrum, vt qui recordatur mortui, simul recordetur Martyris, & eius precibus mortui animam commendet, quod etiam fortasse fuit Votum Constantini, de quo scribit Eusebius Cæsariensis in eius Vita lib. 4. consequutum scilicet illum fuisse quod optauerat, vt sepeliretur in Basilica Apostolorum, & iam frui communione Orationum, & Mystici Sacrificij.

XL.
An animæ Purgatorij iuuari possint per modum impetrationis.

At quam certum est Beatos prodesse defunctis existentibus in Purgatorio, tam incertus videtur modus, quo hic effectus præstetur. Durandus in 4. dist. 21. quæst. 1. num. 6. duplicem modum huius effectus generatim agnoscit, vnus est per modum impetrationis, alius est per modum solutionis, sic, inquit, aliquis potest apud Iudicem alium liberare à debito pœnæ, vel rogando, vel satisfaciendo, & quidem primus modus, si possibilis est, habet planè locum in Beatis, quia quamuis ipsi non sint in statu satisfaciendi, sunt tamen in statu impetrandi. Quod autem sit possibilis, patet ex natura Orationis, quæ ex hoc peculiari capite, quod est petitio, habet propriam, & peculiarem aptitudinem ad impetrandum quidlibet, nam petitio natura sua ad hoc ordinatur, vt animum alterius inducat ad dandum id, quod petitur, non quia emitur, non quia soluitur, nec quia aliquis illud meretur, sed solum quia petitur, & rogatur, quatenus consentaneum est bonitati, & liberalitati eius, qui rogatur moueri ad dandum, solum quia rogatur. Quomodo aptitudo ad impetrandum propria est Orationis inter omnia virtutum opera, vt benè explicat P. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 23. Quamuis ergo Orationes Beatorum non sint satisfactiuæ, possunt tamen hunc effectum impetrare, quia petitiones simpliciter sunt. Accedit quod in promissione adjuncta Orationi, nulla restrictio, aut limitatio facta habetur super hac re, dicitur enim generaliter, & absolutè: *quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; quare sicut Oratio impetrat liberaliter a Deo animabus Purgatorij elargitionem alicuius gaudij, seu spiritualis consolationis, ita eodem modo immediatè impetrare poterit remissionem pœnæ temporalis; qui videtur de facto esse sensus Ecclesiæ, quæ licet sæpè offerat Deo condignam satisfactionem pro pœnis debitis in Purgatorio non rarò tamen Deum orat vt per suam piissimam misericordiam illas animas liberet à debitis pœnis, nulla oblata æquiualenti satisfactione, quod indicare videtur, intentum ipsius esse gratuitam interdum pœnarum remissionem postulare. Denique cum certum sit Beatos orando prodesse animabus Purgatorij ad pœnæ remissionem, quicumque negant præstari id ab eis vllo modo posse per æquiualentem solutionem, tenentur asserere. id fieri per immediatam impetrationem, neque enim alius modus excogitari potest, qui sit ab his duobus distinctus; nam meritum de congruo communiter sub priori modo impetrationis comprehenditur.

XLI.
Orationis efficientia, vt est petitio, est impetratio.

XLII.
Admitti possunt suffragia per solam impetrationem.

XLIII.
Præferuntur

Sed demus, pœnas Purgatorij non remitti nisi per hunc secundum modum so-

lutionis, & satisfactionis, quod videtur conformius ad doctrinam S. Thomæ allati in argumento, & S. Bonauenturæ dist. 45. art. 1. quæst. 1. vniuersaliter dicentis, quod quamuis per suffragia remittatur pœna, nihil manet impunitum, quia punitur vel in ipso, qui peccauit, vel in aliis pro ipso. Adhuc tamen plures supersunt viæ, quas indicat P. Suarez disput. 48. de Suffragiis, quibus Beatorum Oratio, & oblatio vtilis esse possit Ecclesiæ existenti in Purgatorio ad pœnarum remissionem. *Prima* est, quia possunt Beati orare, & offerre pro illis animabus, vt satisfactiones viuorum pro eis acceptentur, quod maximè locum haberet in sententia eorum, qui docent huiusmodi acceptationem non esse infallibilem ex lege.

suffragia per solutionem.

XLIV. *Quomodo Beati possunt iuuare per modum solutionis per viuentes.*

Secunda. Quia si viuentium suffragia debito modo oblata habent effectum infallibilem, possunt postulare, vt Deus præbeat viuentibus auxilia ad satisfaciendum debito modo, vt sic efficaciter suum finem consequantur. Qui modus iuuandi mortuos per viuentes est valde consonus Diuinæ prouidentiæ, & communi Beatorum Charitati, quia non solum fit beneficium, & misericordia eis, pro quibus solutio fit, sed etiam eis, qui ad illam exhibendam excitantur, nam & ipsi proficiunt, & alios iuuant.

Indicat P. Suarez alium modum in soluendo etiam ex propriis, quem putat habere locum in Beatis; nam quamuis ipsi non sint in statu satisfaciendi de nouo, si tamen in hac vita reliquerunt aliquas superabundantes satisfactiones proprias, possunt obtinere à Deo, vt his, vel illis animabus Purgatorij ad remissionem pœnæ applicentur. Cum enim talis satisfactio fuerit propria alicuius Sancti, qui in hac vita poterat eam applicari cui vellet, nec fuerit remunerata sed seruata in thesauro Ecclesiæ, non videtur amisisse hoc ius, ac potestatem per mortem, aut Beatitudinis statum.

XLV. *Quando possunt soluere etiam ex propriis.*

Quod si vnus Sanctus superabundantes satisfactiones proprias non reliquerit, poterit impetrare ab alio vt suas relictas satisfactiones applicet; neque enim est inconueniens, inquit P. Suarez, quod Sancti inter se aliquid inuicem petant. Quibus positis manifestum fit pluribus viis Ecclesiam Triumphantem prodesse posse Ecclesiæ degenti in Purgatorio, & re ipsa ostendere quod ait Apostolus 1, Cor. 12. *pro inuicem membra esse sollicita.*

Sed qua tandem ratione ostendi poterit omnia membra Ecclesiæ, siue quæ est in Cœlo, siue quæ est in Terris, siue quæ est infra terram, omnia pro se inuicem hoc sanctum Sacrificium offerre?

XLVI. *An omnia mēbra Ecclesiæ offerant pro se inuicem.*

Respondeo facillimum esse hoc demonstrare si admittamus omnia Ecclesiæ membra de facto hoc sacrificium offerre, nam quod si illud offerunt, pro se inuicem offerant. hoc probat necessario charitas membrorum; & quidem de charitate eius partis Ecclesiæ, quæ est in Cœlo dubitari non potest, nam quod ait S. Hieronymus apud S. Thomam in 4. dist. 45. si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro aliis quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post Coronas, victorias, & triumphos, vnde dicendum est concludit S Thomas, quod ex hoc ipso, quod vident Verbum, & in Verbo omnia, quæ eos decent, nostras Orationes, & necessitates cognoscunt, *& vrgente charitate, qua feruent* pro nobis orant, & impetrant. De charitate vero alterius partis Ecclesiæ, quæ est in Purgatorio, neque licebit cuipiam dubitare, quia dum animæ illæ sunt in eo statu, quamuis Deum non videant, sunt in gratia, & charitate Dei,

XLVII. *Si offerunt pro se inuicem offerunt.*

& proximi confirmatæ, quæ res est certa de fide contra Lutherum, vt ostendit P. Suarez disp. 47. de Suffragiis. Dubium dumtaxat restaret de ea Ecclesiæ parte, quæ adhuc in terris est, in qua sine dubio refrigescit charitas multorum. Verum singulorum defectum supplet Ecclesia, quæ propterea publicos instituit Ministros, qui vt docet Tridentinum Seff. 22. cap. 6 pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, atque adeo pro omnibus eius membris in quocumque sint statu sacrificium offerunt.

XLVIII. *Absolutè omnia offerunt.* Itaque si omnia membra offerunt, pro se inuicem offerunt. Quod autem omnia offerant, probatur quia dupliciter considerari possunt membra actu offerentia. Primò quatenus totum Corpus Ecclesiæ, siue quæ in Cœlo, siue quæ in Terra, siue quæ infra terram est, Christum principalem Sacerdotem actu offerentem includit, & sub hac ratione rectè totum corpus denominari potest actu offerens, tum quia id præstat per Caput, quod est principale membrum suum, tum quia hoc ipso quod illius Capitis corpus est, censetur consensu quodam interpretatiuo velle, vt omnium membrorum suorum nomine sacrificium illud a Capite offeratur, & in hoc quidem sensu, non solum animæ separatæ omnes, sed etiam omnes, & singuli viuentes etiam nec cogitantes offerunt; nam hoc ipso, quòd aliquis est de corpore familiæ, censetur virtualiter velle de omnibus fructibus oblationis, aliquid percipere.

XLIX. *Etiam oblatione proxima & actuali.* Verum quia hæc denominatio offerentis non tam actualis dici potest, quam habitualis, & ad summum interpretatiua, atque adeo nimis extrinseca, remota, & generalis. Ideo addimus secundum modum offerendi, quo aliquis, qui cæteroquin, eo quod sit membrum familiæ per exhibitionem victimæ habet verum ius offerentis, per actum proprium intellectus, & voluntatis, interiori ad Deum subjectione, deuotione, & affectu; quod Christus principaliter, & quod Sacerdos ministerialiter offert in Altari, & ipse in quocumque sit statu, & loco offert. Et de hoc genere oblationis, quæ actualis est, posset dubitari, an omnia membra Ecclesiæ illam semper habeant, sed quod assiduè hoc agat Ecclesia, quæ est in Cœlo, dum non solum Orationes, sed oblationes viuentium offert Deo, in consortio Angelorum iam supra ostendimus; & sanè nulla ratio permittit, vt quod assiduè Christus agit in Cœlo tanquam Sacerdos, idipsum Beati hominum spiritus ibidem, non agant tanquam Ecclesia.

L. *Offert semper Ecclesia quæ est in Cœlo.*


LI. *Offert semper Ecclesia, quæ est in Purgatorio.* Quod verò assiduè hoc idem agat Ecclesia, quæ est in Purgatorio certissimum mihi est, nam ipsa optimè nouit terram hanc, sub qua degit esse iam totam Altare huius Sancti sacrificij iuxta illud Malach. 1. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini tuo oblatio munda.* Nouit præterea se esse membrum Ecclesiæ, quæ est in terris, nouit non amisisse per obitum ius offerentis, nouit nihil præstantius Deo ad ipsius honorem, nihil ad actionem gratiarum gratius, nihil ad propitiationem efficacius, nihil ad impetrandum valentius offerri posse; quid igitur impedire potest, quo minus interiori deuotionis, & charitatis affectu actu offerat?

LII. *Offert semper Ecclesia quæ est in Terris.* Sola restat Ecclesia, quæ est in terris, quæ ratione vnionis cum corpore animam aggrauante, non potest semper, & incessanter quoad omnia, & singula eius membra per actum intellectus & voluntatis offerre, sed Diuina prouidentia aptè disposuit vt nihilominus sacrificium hoc iuge sit super terram, & nulla prætereat hora diei, in qua alicubi per publicum Ecclesiæ Ministrum non offeratur, vt facile sit

fidelibus

fidelibus ex huius vitæ necessitate aliud agentibus, illud ipsum quod agunt, in vnione huius iugis oblationis agere, atque hoc modo semper offerre.

Quæ cum ita sint, ex Cœlo, Terraque, vnico facto Templo gloriæ eius Trisagium illud Seraphicum triplici veluti Choro, dum hoc Sacrificium offertur decantemus. Incipiat Ecclesia, quæ est in Cœlo, respondeat ab extremo terræ Ecclesia, quæ est in Purgatorio, & nos medij inter vtramque supplici clamore occinamus. Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sed quoniam Seraphini, vt notat Procopius non semel tantùm, sed etiam vt ait ille infinitis vicibus Trisagium hoc iterabant, quia totum, & assiduum eorum Officium, & negotium, hoc tantum est, laudare Dei sanctitatem, & nos quoque assiduè verbo, & vita idem repetamus cum nostro Concilio in cap. 6. Isaiæ, & beatis fratribus nostris conclamemus: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Sanctus in Creatione, Sanctus in Redemptione, Sanctus in Sanctificatione nostra. Sanctus in Cœlo, Sanctus in Terra, Sanctus in Gehenna. Sanctus in Gloria, Sanctus in Gratia, Sanctus in Iustitia. Sanctus glorificans Angelos, Sanctus iustificans Homines, Sanctus puniens Dæmones. Sanctus ante Sæcula, Sanctus in Sæculis, Sanctus in Æternum, & vltra. Sanctus in Seraphim, Sanctus in Cherubin, Sanctus in Thronis. Sanctus in Vtero, Sanctus in Præsepio, Sanctus in Patibulo. Sanctus in Miraculis, Sanctus in Doctrinis, Sanctus in exemplis. Sanctus in labore, Sanctus in Cruce, Sanctus in Resurrectione. Sanctus in Christianis, Sanctus in Iudæis, Sanctus in Gentibus. Sanctus in Fidelibus, Sanctus in Infidelibus, Sanctus in electis, & reprobis. Sanctus in Consolatione, Sanctus in Desolatione, Sanctus in Iubilatione. Sanctus in Potentia, Sanctus in Sapientia, Sanctus in Prouidentia. Sanctus in Charitate, Sanctus in Misericordia, Sanctus in vindicta. Sanctus in generatione, Sanctus in filiatione, Sanctus in spiratione. Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus. Amen. Amen. Amen. LIII. *Trisagium trimembris Ecclesia.*



QVÆSTIO VLTIMA.

Vnde acquisitum est ius Ecclesiæ ad fructus huius Montis.

I. *B. Virgo contulit Ecclesiæ vniuersæ ius offerentis.*
II. *B. Virgo habuit fidem distinctam nostri Sacrificij, etiam ante Incarnationem.*
III. *Consensus B. Virginis ad formationem Victimæ nostri Sacrificij.*
IV. *B. Virgo Victimam pro nobis posuit.*
V. *Cur requisitus B. Virginis consensus ad Victimæ formationem.*



INTER præclara, & eximia beneficia, quibus Beatissima Virgo totam præuenit Ecclesiam, præcipuum sanè locum obtinet, quod nobis contulit *Ius offerentis*. Vocauimus quæstione secunda Ius offerentis, Ius illud, quod aliquis habet ad fructus oblationis, & sacrificij; propterea quod victimam in illo oblatam, ipse ex propriis offerendam exhibuerit. Tale ius I. *B. Virgo contulit Ecclesia vniuersa ius offerentis.*

omnino voluit Deus, vt ad primum illud ſacrificium Agni Paſchalis, inſtitutum in nocte redemptionis, & liberationis Populi Iſraël de Ægypto, Exod. 12. obtineret vnuſquiſque de multitudine filiorum Iſraël, vt per illud frui vnuſquiſque poſſet beneficio illius liberationis.

Neque illi abſimile eſt ius, quod vnuſquiſque de Chriſti familia habet ad fructus non ſacrificij inſtituti à Chriſto in nocte ipſa Anniuerſaria illius primæ Inſtitutionis legalis poſt quindecim ferè Sæcula; immò propterea ait ſanctus Chryſoſtomus Homil.83. in Matth. in illa nocte anniuerſaria inſtituit Chriſtus, ***vt bonam ſpem inde immitteret, atque foueret, nam ſi figura à tanta ſeruitute liberauit, multo magis veritas.***

Verum, negotium faceſſit, quod hoc, quidquid eſt Iuris, fundatur in Agno ex propriis bonis re ipſa exhibito; vnde autem nos oſtendimus vnumquemque noſtrum in quolibet ſacrificio ex noſtris, vt aiunt ſubſtantiis Agnum ponere? Non leuis eſt hæc difficultas, ſed vt conſtat ex diſputatis quæſtione ſecunda communis eſt omnibus Iſraëlitis, quorum ſingulos voluit Deus eſſe offerentes in ſacrificio Agni Paſchalis iuxtà illud: ***tollat vnuſquiſque Agnum:*** diximus autem iure optimo, vnumquemque ex Iſraelitis Agnum tuliſſe, quia pro vnoquoque Patresfamilias illum tulerunt, quod perinde fuit, ac ſi pro ſe ſinguli de ſuo grege illum tuliſſent.

At quiſnam fuit, qui in quotidiano Eccleſiæ ſacrificio victimam grandem tulit pro cuncta familia? Non quæro Sacerdotem, qui victimam immolat; nam is alius eſſe non poteſt niſi Verbum opifex, quod factum eſt Pontifex, vt loquitur ſanctus Cyrillus, & nos probauimus lib. 2. ſed *Offerentem* quæro, illum videlicet, qui ſibi, & nobis victimam ipſam ex propriis bonis defert, & offert per Sacerdotem. Hic ſi probauerimus ſolam Virginem Beatiſſimam Magnam illam Matrem familias id præſtitiſſe, oſtenderimus profectò quod in præſenti quæſtione propoſitum nobis erat, Eccleſiam vniuerſam per Virginem Beatiſſimam peramplum ius ad vniuerſos fructus obtinuiſſe. Vt autem tota probatio probè intelligatur, præmittimus tria. Primum eſt Beatam Virginem, antequam Dei fieret Mater, cognitum, perſpectumque habuiſſe ſtatum futurum Eccleſiæ, quantum ſpectat ad victimam Sacroſancti huius ſacrificij duraturi in ipſa vſque ad finem Mundi. Alterum eſt in petitione liberi conſenſus facta ab Angelo ad Verbi Incarnationem, incluſam fuiſſe petitionem conſenſus ad formationem victimæ iugiter immolandæ in prædicto Eccleſiæ ſacrificio. Tertium denique conſenſum B. Virginis ad Incarnationem, conſenſum quendam fuiſſe ad formationem victimæ ſacrificij noſtri, & quandam veluti Agni exhibitionem ad finem iugis oblationis cunctæ familiæ.

II. *B. Virgo habuit fidem diſtinctã noſtri ſacrificij etiam ante Incarnationem.*

Et primo, vt oſtendamus B. Virginem cognitum habuiſſe ſacrificium futurum in Eccleſia, eiuſque victimam, non erit nobis opus confugere ad magnifica illa Patrum pronunciata de ſcientia Virginis in hac vita, etiam ante Incarnationem, quando, vt ait Hieronymus, ſiue Sophronius Serm. de Aſſumptione: conuerſabatur cum Senatoribus Cœli intra Curiam Paradiſi. Satis nobis hoc loco eſt, illi non denegare, quod planè concedimus antiquis Patribus veteris Teſtamenti, nimirum habuiſſe illos expreſſam fidem Sacroſancti futuri Eccleſiæ ſacrificij, quam proteſtabâtur maximè in oblatione ſuorum ſacrificiorum. nam, vniuerſa, & ſingula illa ſacrificia, magna quædam vmbra, & figura fuerunt vnici, ac ſingularis

ſacrificij, quod in Eccleſia celebratur, vt ſumitur ex Apoſt. ad Hebr. 10.

Et ſanè ſi B. Virgo ex Diuinis Scripturis non aliam notitiam habuiſſet, niſi ſacrificij Agni celebrati primum in nocte redemptionis de Ægypto, abunde ſatis cognouiſſet de ſacrificio noſtro incruento, quod eſt ſacrificium proprium Chriſtianæ Religionis. Quod enim fusè oſtendimus lib. 1. quæſt. 6. & multo expreſſius quæſtione 7. ſacrificium Agni Paſchalis immediatè, & principaliter figurauit ſacrificium Eccleſiæ, minus verò principaliter, & mediatè tantum, ſacrificium Crucis. Quare ſi B. Virgo cognitam habuit figuram Agni Paſchalis cum omnibus circumſtantiis ſuæ Inſtitutionis, & celebrationis, quas deſcripſimus loco citato, quod negare, vt minimum dicam, ineptiſſimum eſſet; ſi inquam, figuram illam perfectè cognouit, vtique ſuum figuratum, quantum ad noſtrum intentum eſt ſatis, intellexit.

Hoc primum aſſertum planè confirmat quod ſcripſit Gerſon Cancellarius Pariſienſis, vir doctus, & pius ſuper Magnificat 3. part. tract. 9. Maria, inquit, ſicut præ cæteris in vita cognouit, credidit, & intellexit figuras legis, & naturæ, Chriſti Sacerdotium præſignantes, ſic in illis, aut per illas manducauit fruitiuè benedictum fructum ventris ſui, & ſpiritualiter eius Sacramentum, vnde exultauit ſpiritus eius in Deo ſalutari ſuo. Maria dum legebat Dauid Patrem ſuum dicentem de filio ſuo: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, ex tunc intelligebat, & manducabat ſpiritualiter hoc Sacramentum benedictum. Maria pſallens illud Dauidicum; memoriam fecit mirabilium ſuorum eſcam dedit timentibus ſe, credebat, & intelligebat hanc eſcam Sacramentaliter figurari, & in figura comedebat eam. Maria dum ſtans, & orans in Templo aſpiciebat, credebat, & intelligebat omnes oblationes, victimas, & holocauſta, ſacrificia inſuper matutina, & veſpertina, implebatur bonis huius benedicti Sacramenti *etiam ante conceptum* benedicti fructus ventris ſui. Maria ſicut intellexit filium ſuum fuiſſe Agnum, qui occiſus fuit ab origine Mundi, ſic recolens ſacrificium Abel, & eius Martyrium, fruebatur Chriſti Agno, qui fuit figuraliter occiſus in eo. Maria dum celebrabatur phaſe, ſiue Paſcha Iudæorum, celebrabat etiam ipſius anima cum exultatione Paſcha noſtrum quod immolatus eſt Chriſtus, quem epulabatur in Azimis ſinceritatis, & veritatis.

Perſpicuum ergo eſt, quod primo loco proponebamus Beatam Virginem, antequam Dei fieret Mater, perſpectum habuiſſe ſtatum Eccleſiæ, quantum attinet ad oblationem huius ſacrificij, quod eſt vnicum, & ſingulare ſacrificium populi, quem fecit Dominus.

Altera nunc propoſitio eſt probanda, in petitione videlicet facta ab Angelo liberi conſenſus ad Incarnationem, incluſam fuiſſe petitionem conſenſus ad formationem victimæ iugiter immolandæ in Eccleſiæ ſacrificio, atque adeo (quæ erat tertia propoſitio) conſenſum B. Virginis ad Incarnationem fuiſſe conſenſum ad formationem victimæ huius ſacrificij. Probamus autem vtramque propoſitionem: cum enim præcipuus finis Incarnationis eſſet, vt Mundus haberet ſuum Sacerdotem, & victimam, non ſolum in ſacrificium Redemptionis, quod ſemel peragendum erat, ſed etiam in ſacrificium veræ Religionis, quod erat frequentandum vſque ad conſummationem Sæculi, vtique in petitione liberi conſenſus ad Incarnationem incluſa erat petitio conſenſus ad vtriuſque ſacrificij victimæ formatio-

III. *Conſenſus B. V. ad formationem victimæ noſtri ſacrificij.*

nem; cùmque vt ex dictis constat B. Virgo, antequam suum præbuit consensum, haberet fidem Filij Dei incarnandi in Sacerdotem, & victimam vtriusque sacrificij, consequens est, vt in ipsissimo consensu ad Incarnationem inclusus consensus fuerit ad victimæ vtriusque sacrificij formationem. Quibus positis illud manifestè sequitur B. Virginem, tanquam magnam Matrem familias pro nobis omnibus, ac singulis victimam quotidiani Ecclesiæ sacrificij exhibuisse, atque adeo totum ius quod fideles in quocumque statu habent, ad vberes fructus huius sacrificij acceptum illi referri debere.

Hæc planè sententia est omnium Patrum, quorum testimonia pauca hîc indicabimus, plura, & vberius in propria materia explicaturi. Sanctus Epiphanius de

IV. *B. Virgo victimam pro nobis posuit.*

Laudibus Virginis: *Ipsa dedit nobis cœlestem panem in remissionem peccatorum.* B. Petrus Damiani Serm. 2. de Natiuitate: *Per Mariam Vitæ poculum exhibetur.* Sanctus Augustinus in Psal. 98. *Et ipsa carnem nobis manducandam ad salutem dedit.* Richardus à sancto Laurentio lib. 11. *Panis hic, & panis Virginis, quia totus fuit suus, de quo ipsa ait: comedite panem meum. Et quoniam non possumus eum habere nisi ab ea, & per eam, tota deuotione, mentisque desiderio dicendum est ei, sicut dicimus Deo Patri, Mater nostra, quæ es in Cœlis, panem nostrum super substantialem, vel quotidianum da nobis hodie.*

V. *Cur requisitus B. Virginis consensus ad victimæ formationem.*

Atque hîc suboritur dubitatio, cum potuisset Christus concipi, & nasci victima vtriusque sacrificij, & quidem de Beata Virgine, sed eius consensu non requisito, sicut etiam de Adam dormiente Euam formauit, cur ipsius liberum consensum habere voluit? & illam tanquam vniuersalem offerentem, quæ scilicet de propriis bonis rem immolandam afferret postulauit?

Respondebo quod in simili ait Cardinalis Toletus in cap. 1. Luc. Annot. c x i i. id nimirum conuenientissimè esse factum, vt nos omnes obligaret B. Virgini strictissimo vinculo Charitatis, magno quippe affectu est à nobis prosequenda ea, cuius arbitrio totum sacrificij nostri negotium, atque adeo totum negotium salutis est commendatum; non enim aliter voluit Deus victima, & Hostia fieri pro nobis quam B. Virgine liberè consentiente, immò munus offerentis, tum pro se, tum pro omnibus Ecclesiæ filiis exercente, vt nimirum hoc modo quidquid acquisiuimus iuris ad fructus sacrificij totum illi verissimè, ac propriissimè acceptum referamus; neque solum quidquid lucramur viuentes, sed quidquid Suffragiorum ex opere operato percipimus iam defuncti, & quidquid accidentalis gloriæ Beatis iam regnantibus in Cœlo prouenit vsque ad consummationem Mundi ex quotidianis oblationibus huius sacrificij, id totum beneficium esse Mariæ agnoscamus; quandoquidem omnis Ecclesia, siue quæ in Cœlo, siue quæ in Terra, siue quæ in Purgatorio est, eatenus participat fructus huius sacrificij, quatenus ipsa pro omni statu ius contulit ad omnes fructus, exhibendo nimirum pro omnibus, ex Beatissimis suis visceribus, & totum ex se ipsa factum Agnum cœlestem.

FINIS LIBRI QVINTI.

DE APOSTOLATV BEATI NATHANAELIS,

OPVSCVLVM POSTHVMVM R. P. FABRITII PIGNATELLII NEAPOLITANI SOCIETATIS IESV.

Oſtenditur B. NATHANAEL idem eſſe cum B. Bartholomæo.

Ac proinde à Duodenario Apoſtolorum numero non excludi.



PARISIIS,
Apud FRANCISCVM MVGVET, viâ Citharæ, ad inſigne adorationis Regum.
M. DC. LX.



PROBATVR APOSTOLATVS BEATI NATHAELIS.

Ex eo, quod fuit vnus ex præcipuis filiis B. Mariæ Virgini, Natis.

Super illis Propheticis verbis. *Psalm. 44.*

Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram.



OCENT mira consensione Interpretes, omnes, nomine filiorum hoc loco intelligi Apostolos, probantque euidenter ex hoc ipso, quod additur. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Egent ne hæc interpretatione? *Ego quidem minime existimo,* ait Chrysostomus, *quemadmodum nec quod Sol sit lucidus, quæ autem dicta sunt eo clariora? Vniuersum enim terrarum orbem persuaserunt Apostoli, & omnibus principibus fuerunt magis propriè principes, Regibus potentiores. Reges enim dum viuunt dominatum obtinent, iis autem mortuis, intercidit dominatus, & Regum quidem leges ratæ sunt, & validæ citra eorum fines. Iussa autem Piscatorum per vniuersum orbem terræ extensa sunt. Imperator Romanorum Persis non posset ferre leges, nec Persarum Rex posset ferre leges Romanis. Hi autem Palæstini, & Persis, & Romanis, & Thracibus, & Scythis, & Indis, & Mauris, & vniuerso denique orbi terrarum leges dederunt, nec solum dum ij viuerent, firma & rata fuerunt, sed iis etiam mortuis confirmata sunt, & qui eas leges acceperunt mallent animam millies profundere, quàm ab illis desciscere.* Hæc Chrysostomus. Est au-

In Psal. 44.

Apostoli Principes totius Mundi.

tem ita Apostolorum proprium, esse constitutos Principes super omnem terram, vt quod obseruauit Iansenius, propter hoc potissimum negent Patres psalmum hunc exponendum de Salomone, quia nullo modo congruere illi potest, quod filij eius constituendi sunt Principes super vniuersam terram. Itaque si ostenderimus Beatum Nathanaelem, vnum ex hisce filiis fuisse, de quibus in hoc psalmo habetur sermo. Ostendemus vnum quoque fuisse ex Apostolis. Verum vt hoc solide euincamus oportet explicare, Cui, & quando Apostoli tanquam filij sunt nati. Igitur quæstio prima erit de Matre Apostolorum, nisi enim agnoscamus Matrem, non poterimus certò filios declarare. Dixi potius Matrem, quam Patrem, quia verè Propheta, illis verbis, pro patribus tuis nati sunt tibi, non alloquitur Sponsum, sed Sponsam, vt docent Sancti Patres Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, & ex his omnibus Bellarminus, qui addit non repugnare huic sententiæ textum Hebraïcum, si puncta remoueantur, vel mutentur, vt periti facilè intelligunt quod propterea addidit Bellarminus, quia Iansenius existimauit Prophetam sermonem dirigere ad Sponsum ea ratione ductus, quod in Hebræo illa pronomina tuis, & tibi, sint generis masculini, *sed communis*, inquit Bellarminus, *Patrum sententia præferenda est* Quare cum hoc loco sit sermo de filiis Matris, quæstionem instituimus de Matre Apostolorum, & contendimus probare, non aliam eam fuisse præter Beatissimam Virginem Mariam, neque aliam in sensu litterali significari.

CAPVT PRIMVM.

Vtrum pro Sponsa in hoc Psalmo intelligatur ad litteram B. V. Maria.

I. *An pro sponsa in Psalm. 44. veniat litteraliter B. V. Maria.*

CERTVM est primò (vt Patrum loquendi modum teneamus, qui omnino tenendus est) in hoc Psalmo, non de alia Sponsa ad litteram agi, quàm de Ecclesia, sub nomine Reginæ; ad eum planè modum, quo in Cantico Canticorum, de eadem agitur Ecclesia sub alio nomine. Quare rectè dixit S. Thomas, eandem prorsus materiam esse Psalmi huius, & libri, qui dicitur Canticum Canticorum, immo Salomonem in Cantico Canticorum imitatum fuisse Parentem suum Dauidem, qui Psal 44. simile Drama, & Epithalamium Sponsi, & Sponsæ, hoc est Christi & Ecclesiæ conscripsit. Sicut autem Patres, & Doctores Græci, & Latini, quia & veteres Hebræi, & Talmudistæ ad litteram intellexere Canticum Canticorum de Christo, & Ecclesia. Vnde temerarium esset, ait Cornelius, alium Sponsum, aliamque Sponsam in eo fingere. Ita Patres omnes ait Bellarminus vnanimi consensu docent, Psalmum hunc, cui etiam titulus est, Canticum pro Dilecto, continere ad litteram laudes Christi, & Sponsæ eius Ecclesiæ, vt sit quasi spirituale Epithalamium; quare æque temerarium esset, asserere nomine Sponsæ, & Reginæ aliquid extrà Ecclesiam, & quidem in sensu litterali significari. Ne autem æquiuocatio fiat in hoc verbo, tenenda est Interpretum Doctrina, in hisce Canticis, duplicem quasi esse sensum litteralem, vnum grammaticalem, quem ipsa demonstrat superficies litteræ, hoc est ipsa immediata verborum significatio,

significatio, alterum realem, quem continet profunditas ipsa rerum per verba metaphorica significatarum; qui duo sensus sibi inuicem subordinantur, mutuóque respiciunt, quemadmodum verborum sonus, & sensus, cortex, & nucleus, vmbra, & corpus, superficies, & medulla, corpus, & anima, vestis, & homo; vnde sicut in Cantico Canticorum. Sponsa grammaticè describitur, vt Virgo Pastoritia, sed realiter per illam intelligitur Ecclesia, & hic intellectus dicitur litteralis, ita in hoc Psalmo, Sponsa grammaticè describitur, vt Regina; & Principum Mater, & per illam realiter intelligitur eadem Ecclesia, qui sensus, non aliter est appellandus, quàm litteralis.

Certum est secundo, nonnulla esse litteraliter dicta de Ecclesia, ratione dumtaxat alicuius suæ partis principalis, & singularis. Non verò vt subit rationem totius. Exemplum afferam in re valde simili huic, de qua disputamus ex Euangelio Matth. vbi dicitur: *Simile erit Regnum Cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam Sponso, & Sponsæ.* Hic si quæramus, quid intelligitur nomine Sponsæ, respondent communiter intelligi Ecclesiam: si rursus quæramus, quid significatur per decem Virgines, aiunt pariter Ecclesiam significari. Sed quomodo fieri potest, vt vna eademque Ecclesia, & sit quæ obuiam exeat, & cui obuiam exeatur. Quomodo Ecclesia it obuiam Ecclesiæ? II. *Multa dicuntur litteraliter de Ecclesia ratione alicuius suæ Partis.*

Vides necessario dicendum esse nonnulla, quæ litteraliter dicuntur de Ecclesia, non intelligi de illa, nisi ratione alicuius particularis; & si id quod dicitur prærogatiuam habet excellentissimæ dignitatis, & muneris, non intelligi nisi ratione particularis præstantissimi. Ex quo illud consequens est, quidquid ratione talis particularis dicitur, illud litteraliter dici de Maria, quia membrum post Christum, omnium præstantissimum nullum est præter Mariam, de qua illud, & verissimè, & magnificentissimè dictum: *quidquid in Mundo est, aut supra, aut infra Mariam est, supra Mariam solus Deus est, infra Mariam, quidquid Deus non est.* Ad dignoscendum autem quando aliquid dicitur de Ecclesia ratione talis membri particularis; attendenda maximè est natura tituli, qui tribuitur: si enim titulus sit vniuersalitatis, & ita comparatiuus ad particularia, vt termini comparationis non sint extrà, sed intra eandem Ecclesiam, tunc talis titulus non potest Ecclesiæ congruere, nisi ratione sui membri principalissimi. Et ratio est quia, quod hoc modo dicitur de Ecclesia, non congruit illi per modum vnius, sed per modum plurium, ita vt facienda sit distributio personarum particularium, quæ comparantur. Constat autem titulum excellentiæ non conuenire nisi particularium præstantissimo. III. *Nomine Sponsa in Scriptura aliquando litteraliter vocatur B. Virgo.* IV. *Regula ad dignoscendum quando loquitur de Ecclesia in Scriptura.*

Ex quibus, quæ planè sunt certa infero, Reginæ titulum, quemadmodum & Matris principum constituendorum super vniuersam terram, non conuenire litteraliter Ecclesiæ nisi ratione Beatissimæ Virginis Mariæ; ratio est quia non potest illi congruere, vt vnum quoddam, & comparatum ad aliquid extra se, sed vt quid multiplex est cum comparatione partium quæ sunt in se. Ergo cum titulus ille conuenire debeat particularibus, & non inferioribus B. Mariæ, reliquum est, vt conueniat ipsi B. Mariæ; quod autem conuenire non possit inferioribus ratio illa est, quia inferiores omnes introducuntur, vel vt filij, vel vt pedissæque ipsius Reginæ. V. *Titulus Reginæ est conueniens Ecclesiæ ratione B. Virginis.*

Quando igitur Propheta Reginam alloquitur, & ait, *pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, Ecclesiam quidem alloquitur, sed Ecclesiam alloquitur, quia Mariam alloquitur, quæ est pars nobilissima, & præstantissima Ecclesiæ. Vnde habes cur

singularis Mariæ persona nomine Ecclesiæ communi significetur, quia nimirum ipsa vt Regina, & Mater Ecclesiæ, sicut illam eminentissimè continet, ita plenissimè repræsentet. Et quia ipsa sola totam repræsentat, ideò rectè dictum à Patribus fuit, sacrificium Redemptionis consummatum fuisse in Cruce coram Ecclesia præsente, & offerente, quemadmodum etiam coram eadem præsente, & pariter offerente fuit inchoatum in ipso instanti conceptionis. Quod in tantum est verum, in quantum Beata Virgo Maria, quæ sola adfuit inchoationi, & ferè sola consummationi, singulari modo repræsentabat totam Ecclesiam, & ipsa sola erat veluti tota Ecclesia; simili ferè sensu dixit Bernardus de tempore Passionis; *Sola*, inquit,
Lib. de Pass. c. 2. *per illud triste Sabbatum stetit in fide*, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola; id quod complures significari docent in Candela illa, quæ triduo maioris hebdomadæ, ex-
4. p. l. 15. c. 41. §. 1. tinctis reliquis, accensa reseruatur, qua ratione, inquit, S. Antoninus fidei lumen in Deipara occultum, quod omnibus postea patefactum, & omnes suo exemplo illuminauit.

VI. *Apostoli Patres Ecclesiæ.* Et sanè si filij nati, Apostoli sunt, vt docet S. Chrysostomus, Interpres omnium maximè litteralis, profectò Mater, cui nati sunt, non est Ecclesia extrà Mariam, quia in rigore, Apostoli, non tàm fuerunt filij quàm Patres, & Genitores Ecclesiæ. Qvare sanctus Hieronymus super hoc Psalmo; *fuerunt*, inquit, *ô Ecclesia Apostoli Patres tui, quia ipsi te genuerunt, nunc autem quia illi recesserunt à Mundo, habes pro his Episcopos filios, qui à te creati sunt; sunt enim, & hi Patres tui, quia ab ipsis regeris.* Idem planè docuit Augustinus. *Genuerunt te*, inquit, *Apostoli, ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi Patres.* Vides quemadmodum Apostoli dicuntur Patres, & Genitores Ecclesię: non fuerunt ergo propriè Apostoli filij illius nisi ratione singularis personæ, quæ quia Genitorum Ecclesiæ Mater fuit, est quoque propriissimè Mater totius Ecclesiæ.

Cant. 4. ver. 13. Illustrauit locum hunc Psalmi, locus ille Cantici Canticorum. *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Verba hæc diriguntur ad
c. 1. Sec. 1. Sponsam, præcessit enim. *Hortus conclusus, Soror mea Sponsa*, illa planè, quam alloquitur Dauid. *Nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram;* vt enim rectè docuit Alanus apud DelRio Canticum amoris, scilicet Epithalamium Salomonis, specialiter, & spiritualiter ad Ecclesiam referatur, tamen specialissimè, & spiritualissimè ad gloriosam Virginem reducitur, quod propterea iterum ex hoc Autore inculcaui, vt firmiter teneamus quidquid ad litteram dicitur de Ecclesia, id multo potiori Iure ad litteram de B. Maria verificari, & multa de Ecclesiâ non alia ratione ad litteram dici, nisi ratione Virginis Beatissimæ. Dicit ergo Sponsus, *Emissiones tuæ*, vt quid significant emissiones in sensu litterali? Si in sensum litteralem grammaticalem inquiras, Emissiones significant propagines plantarum, & arborum, puta surculos, quos radices vel rami progerminant, vt folia, flores, & fructus producant: hæc enim omnia quasi videntur emitti, ait Del Rio, ex magnæ Matris sinu. Explicat enim, quod dixerit. *Hortus conclusus.* Vnde Vatablus, & alij, pro *Emissiones tuæ*; legunt, *plantationes*, vel *plantæ tuæ*. Hic est sensus litteralis, grammaticalis, quem scilicet ipse verborum cortex præse fert. Si vero quæras sensum realem, emissiones significant diuersos membrorum Ecclesiæ, & filiorum ordines, sed primi emissionum nomen merentes sunt Apostoli, quorum nomen, ipsam, vt notat Philo, missionem significat. Vnde, pro emissiones

tuæ, legi ex Hebræo, & Græco posset, Apostoli nati tui. *Quia per emissiones,* ait Philo *quæ* ἀποστολαὶ *dicuntur Sanctissimi Apostoli intelliguntur, qui tanquam mala punica foris rubentes in laboribus, & ærumnis postremo, & sanguine Martyrij permultos hominum Christi fidei veluti grana pepererunt.*

Emissiones ergo, ait Guillelmus, *fructus sunt ex Maria emissi.* Prima autem emissio est Paradisus malorum punicorum, hoc est nobile Collegium Apostolorum, qui ad similitudinem Magistri sui fuso sanguine rubuerunt. Atque hinc iterum collige. Quia ratione Maria eo quod sit Mater Apostolorum, sit quoque Mater omnium fidelium, quia videlicet fideles omnes in illis tanquam in malis punicis grana continentur, nimirum Apostolicis maximè temporibus, *Multitudinis credentium erat Cor vnum, & anima vna.* Refrixit quidem crescente fidelium numero hæc vnio, vnde eius retinendæ causa institutæ sunt religiosæ familiæ, Apostolicis institutis, & obseruantiis communitæ, quarum B. Maria prædicatur peculiaris veluti fundatrix, & Mater, vt ostendit Hieronymus Platus de bono status Religiosi. VII. *Maria mater Fidelium.*

Atque hîc ad extremum libet afferre, quæ Gilbertus Abbas, qui continuauit Sermones S. Bernardi Serm. 35. scripsit de Religiosis viris vnanimiter vnius moris in domo habitantibus. *Benè indiscreta,* inquit, *facie huius sibi mali grana cohæret, numeri singularitate magis distant, quàm specie; discamus, & nos inuicem numero differre non animo. Non rixantur inuicem, non contra corticem murmurant, non tentant illum perrumpere, patienter se sinunt eius quasi aluo concludi, vt quodammodo dicere illud videantur: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. An non fratres in hoc ordine nostro, ac si in cortice punico Passionis Christi per imitationem color rutilat? Denique velut quædam huius mali grana sunt, qui sibi natiuum ducunt sub disciplinæ corio contineri; qui non tàm premi se censent, quàm protegi. Absit amor proprietatis, absit amor priuatæ potestatis, & huius te mali granum exhibes, discant alij nostro inuitati exemplo, quàm bonum sit, & quàm iucundum, habitare in quodam horto communionis, & sub munimine corticis. Charitas vniat, & cortex muniat.*

CAPVT II.

Quando & vbi Apostoli B. Mariæ tanquam filij sunt nati.

MIRABAR quid esset, quod Vnigenitus Dei Filius post secessum in desertum, vbi integros quadraginta dies, & noctes sine vllo cibo, vel potu ieiunauit; & eo potissimum consilio, vt oratione, & ieiunio ad instantem se prædicationem, pœnitentiæ, in nostrum exemplum prępararet, & ieiunio carnem macerans satisfaceret pro Adæ pomum vetitum comedentis, omniumque eius filiorum gula, & deliciis. Mirabar, inquam, quod ipso in limine prædicationis pœnitentiæ vocatus ad Nuptiale Conuiuium, non solum accessit ipse, sed & cum discipulis pariter inuitatis accessit; *& die tertia Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus, & discipuli eius ad Nuptias.* Fuit hoc admirationi etiam inuitantibus; *& forte* ait S. Thomas, *pro-* I. *Apostoli quando & vbi in filios B. Virgini facti?*

pterea prius inuitata est Mater, quia, inquit, *ambigebant de Iesu, an inuitatus venturus esset ad nuptias* propter summam Religiositatem, quam videbant in eo, & quia non viderunt eum se immiscuisse Conuiuiis, & ideo puto, quod primo consuluerunt Matrem, an Iesus esset vocandus, & ideo signanter dixit Euangelista, primo Matrem adesse iam in nuptiis, & Iesum postmodum fuisse vocatum, & hoc est, quod sequitur, vocatus est Iesus.

Verùm ex personis ad eas nuptias vocatis, quarum licet plures essent, non memorantur ab Euangelista, nisi Iesus, Maria, & Discipuli. Intelligitur grande Mysterium, quod in iis Nuptiis intentum, & celebratum est. Ipsa nimirum Natiuitas primorum Principum, tanquam diuiniorum Nuptiarum fructus, quarum Sponsus est Christus, Sponsa est Maria, & filij primo nati sunt præcipui discipuli.

Ostendamus ergo duo. Primum in hisce Nuptiis Canæ Galilææ, Discipulos fuisse spiritualiter natos. Et verè Galilæos factos dignos videlicet, qui per summum honorem vt interpretatur Chrysostomus, Viri Galilæi ab Angelis salutarentur. *Act. 1.* Secundum Beatissimæ Virgini Mariæ, tanquam primariæ Christi Sponsæ, & Reginæ fuisse natos. Vt autem primum illud demonstremus, in iis videlicet nuptiis fuisse discipulos spiritualiter natos, oportet statuere, quid est spiritualiter nasci. Neque enim hic est sermo de filiis, qui aut *ex sanguinibus*, aut *ex voluntate carnis*, aut *ex voluntate viri*, sed de iis tantum, qui *ex Deo nati sunt.*

II. *Quid est spiritualiter nasci?* Ergo spiritualiter nasci, nihil aliud est, nisi credere vt oportet, Iesum esse Christum, hoc est credere illum, qui dictus est Iesus, esse Messiam promissum, Redemptorem, & Saluatorem Mundi. Hoc sæpius definiuit, & explicuit S. Ioannes, præcipuè Epist. prima cap. 5. *Omnis*, inquit, *qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est*, & in Euang. cap. 1. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri. His qui credunt in nomine eius*, seu vt Græcè legitur *credentibus in nomen eius*, seu *in eum*. Videamus ergo in toto sancto Euangelio, quo tempore, primum de Discipulis dicitur, *& crediderunt in eum.* Testetur hoc idem Ioannes, qui solus scripsit acta primi anni prædicationis Christi. Atque adeo primas natiuitates filiorum Dei. *Hoc*, inquit, *fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaea, & manifestauit gloriam suam; & crediderunt in eum discipuli eius.* Hæc fides sufficiens erat ad spiritualem, & Diuinam natiuitatem filiorum Dei. Quia non erat fides quæcumque, sed Charitate formata, id quod significauit Euangelista per præpositionem *In*. Et crediderunt in eum, illa enim præpositio, voluntatis affectum indicat teste Augustino, non enim dicitur *Ser. 61. de Verbis Domini.* credere in Deum, nisi qui simul fide per intellectum & charitate per voluntatem fertur in Deum; vnde est celebris illa distinctio inter credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, de qua idem Augustinus Sermone 61. de Verbis Domini.

Verùm quia hic est Sermo de natiuitate primorum filiorum, ac Principum noui Testamenti, quæ natiuitas fit per Baptismum. Age examinemus tantisper An Discipuli fuerunt per id tempus, per Baptismi Sacramentum regenerati. Ac primò si loquamur de possibili, nihil videtur obstitisse quo minus primi discipuli statim post primum illud miraculum baptizarentur, neque ex parte Sacramenti Baptismi, neque ex parte Ministri illius; & quidem non ex parte Sacra-

menti, quia Baptiſmi Sacramentum institutum iam fuerat à Christo quando vocatus fuit ad nuptias cum diſcipulis ſuis, nam iuxtà communem Theologorum, ac Patrum ſententiam, quam amplectitur Catechiſmus Concilij Tridentini, & Magiſter cum S. Thoma in 4. diſt. 3. & ſequitur Bellarminus in ſuis Controuerſiis tom. 2. lib. 1. cap. 5. Baptiſmus Christi institutus eſt quando Dominus ipſe in Iordane à Ioanne baptizatus eſt, quod vt docet S. Epiphanius hæreſi 51. factum eſt duos planè menſes ante nuptias. Tunc primum ſtatuit Christus, ait Bellarminus, vt Aqua eſſet materia Baptiſmi, & vt forma eſſet inuocatio trium Diuinarum perſonarum, determinauit enim aquas ad Baptiſmi materiam, cum eas tactu mundiſſimæ carnis ſuæ conſecrare, & illuſtrare dignatus eſt; dando videlicet illis vim ſanctificandi, vt patet ex Tertulliano, Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Nazianzeno, Beda apud Bellarminum, & ſimul determinauit formam, cum in eius Baptiſmate tota Trinitas ſenſibiliter apparuit, Christo enim Baptizato aperti ſunt Cœli, & vox Patris intonuit, & Spiritus apparuit in ſpecie Columbæ, & Filius ipſe Dei in carne aſſumpta præſens erat vbi etiam teſte Hilario Can. 2. in Matth. declaratus eſt effectus Baptiſmi à Christo instituti, nimirum quod baptizatis aperitur Cœlum, & à Patre in filios adoptantur; & Spiritu Sancto replentur, quæ omnia ſuis verbis declarauit poſteà Christus Nicodemo, & alio tempore ſuis Diſcipulis. Itaque ex parte Sacramenti non obſtabat quin diſcipuli baptizarentur, neque ex parte Miniſtri.

III. *Institutio Baptiſmi quando fuit?* — *Matth 3.* — *Ioan. 3.*

Quamuis enim Christus per ſe ipſe non baptizaret communiter, & vulgo, ſed diſcipuli eius. Ipſe, & non ipſe ait Auguſtinus, ipſe poteſtate, illi miniſterio, ſeruitutem ad baptizandum illi admouebant, poteſtas baptizandi in Christo permanebat. Quamuis, inquam, Christus poteſtate tantum baptizaret, non miniſterio, tamen, vt idem docet Auguſtinus Epiſt. 100. *Neque miniſterio baptizandi defuit, vt haberet baptizatos ſeruos, per quos cæteros baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis miniſterio, quando eis lauit pedes*, itaque ſentit Auguſtinus Apoſtolos à Christo ipſo fuiſſe baptizatos, & Christum ipſum Autorem Baptiſmi fuiſſe illis eiuſdem Miniſtrum, quæ etiam ſententia fuit Euodij Sancti Petri in Cathedra Antiochena Succeſſoris, is enim Epiſtola, quæ inſcribitur ϕῶς idest lumen, aſſerit Christum ſuis manibus præcipuos quoſdam Apoſtolos baptizaſſe. Itaque loquendo de poſſibili, neque ex parte Sacramenti, neque ex parte Miniſtri impedimentum eſſe poterat Diſcipulorum Baptiſmo. De facto autem quid ſit dicendum non erit meo iudicio difficile definire, ſi obſeruemus tempus, quo diſcipuli cœperunt alios baptizare, nam vt docet S. Auguſtinus, Apoſtoli Baptiſmo Christi fuerunt baptizati, antequam ipſi eodem alios baptizarent, quamuis enim definitum iam ſit poſt tempora Auguſtini à Concilio Florentino, in caſu neceſſitatis licere non baptizato, & infideli, alios baptizare, modo adſint materia, forma, & intentio debita. Et potuiſſet Christus hoc miniſterium Diſcipulis adhuc non baptizatis demandare; voluit tamen, vt ſicut nunc ius baptizandi ex officio ordinario conuenit ſolis Sacerdotibus noui Teſtamenti, & in illorum abſentia, aut iuſſu etiam Diaconis, ita ſoli eius diſcipuli, & non niſi renati ex aqua, & Spiritu Sancto primos Eccleſiæ filios generarent. Videamus ergo quo tempore cœperunt Christi Diſcipuli alios baptizare Baptiſmo Christi. Si enim Sacramentum hoc miniſtrare cœperunt paulo poſt Nuptias

Ioan. 4. — *Tract. 5. in Io.* — IV. *Christus baptizauit aliquos Diſcipulos.* — V. *Apoſtoli quando fuerunt baptizati?* — VI. *Apoſtoli quando cœperunt baptizare alios.*

Canæ Galilææ. validum sanè argumentum habemus asserendi, in ipsis Nuptiis, vel quod perinde est, proximè illas, & dependenter à fide, qua in illis crediderunt in Christum, Sacramentum idem à Christo ipsos suscepisse. Vt autem omnis amoueatur suspicio violentæ interpretationis; affero verba ipsa Monotessaren, siue Chronotaxis annorum, & gestorum Christi, quam post quadraginta ferè annorum studium Sacræ Scripturæ præfixit Cornelius Commentariis suis Euangeliorum. Sic ergo describit primum Martium, sub cuius finem cœpit Christus publicè prædicare. Die, inquit, 56. à Baptismo, scilicet die prima Martij Iudæi legatos miserunt ad Ioannem, rogantes, an ipse esset Messias. Postero die, quæ fuit secunda Martij, Ioannes videns Christum venientem ad se, ait: Ecce Agnus Dei, Idem fecit, dixitque postridie, puta die tertia Martij. Hoc audito Andreas vnus ex Discipulis Ioannis, fratrem suum Simonem postridie ad Iesum adduxit, postridie item, puta die quarta Martij, Iesus vocauit Philippum, qui Nathanaelem adduxit. Tertia exinde die à vocatione Petri, & Andreæ, scilicet die quinta Martij, Christus vocatus est ad Nuptias in Cana Galilææ. Mox descendit Capharnaum. Ex Capharnao ascendit Hierosolymam, vbi prædicans, & plura miracula patrans, multos ad credendum in se pellexit. Hæc omnia contigerunt in Martio eiusdem anni. Cœpit ergo Christus Anno ætatis trigesimo primo sub Pascha; hoc est sub 25. illius Martij, per se prædicare, & per Apostolos sub initium Aprilis in Iudæa baptizare. Hæc Cornelius, ex quibus statuere licet, Apostolos cœpisse alios baptizare vno ferè tantum mense post celebratas Nuptias in Cana. Hæ enim celebratæ sunt sub initium Martij. Apostoli verò baptizare cœperunt sub initium Aprilis, sed vt cognoscamus quanto tempore prius, quàm ipsi alios baptizarent, fuerant ipsi à Christo baptizati, perpendenda sunt verba Euangelistæ. *Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat,* per suos scilicet discipulos, vt explicat idem Euangelista cap. 4 Quo refertur, illud *post hæc?* Omnes Interpretes fatentur referri ad Colloquium habitum cum Nicodemo, illud enim immediatè præcesserat. Sed quænam fuit materia eius Colloquij, & vbi nam illud contigit? Materia profectò fuit de Sacramento Baptismi. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei* Locus vbi Colloquium habitum est iuxta communiorem, & veriorem sententiam fuit Metropolis ipsa Iudææ, hoc est Hierusalem, cuius ciuis erat Nicodemus, ex qua Metropoli venit in reliquam Iudææ Regionem, quam appellat Euangelista Iudæam terram.

VII. *Andreas quando adduxit Simonem ad Iesum isque quando vocauit Philippum, & ad nuptias Canæ Galilææ vocatus fuit?*

Ioan. 3.

Tolet. Maldo.

VIII. *Christus vbi baptizauit discipulos.*

Iam verò tum ex loco, tum ex materia colloquij infertur Discipulos fuisse certè baptizatos in ipsa Galilæa, antequam Hierosolymam cum Christo ascenderent. Et quidem rationes, quæ persuaserunt ne Discipuli baptizare alios inciperent in Ciuitate Metropoli per eos præcipuè septem dies, quibus Paschæ festiuitas celebrabatur, persuadere etiam potuerunt, ne & ipsi eo tempore, & loco baptizarentur; cum verò materia colloquij cum Nicodemo tàm expressa fuerit de hoc Sacramento, nulla ratio permittit, vt dicamus Christum prius de illo colloquutum cum externis, quàm cum discipulis suis; quod si iam suos discipulos, quidquid ad hoc Sacramentum pertinebat edocuerat; quid poterat prohibere, quo minus & ipsi peterent, vt traderetur, & Christus petentibus traderet. Itaque omnino tenendum videtur Christum suis discipulis tradidisse cum adhuc in Galilæa esset, antequam

Hierosolymam ad Pascha celebrandum ascenderet. Baptizauit ergo discipulos, vel in ipsa Cana Galilææ, vbi fecit primum miraculum, vel in vrbe Capharnao vbi paucis illis diebus mansit, donec tempus Paschæ propinquaret. *Post hæc*, ait Euangelista, hoc est post celebratas nuptias in Cana, *descendit Capharnaum ipse & Mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus, & propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.* In his tribus tantum locis commemoratur Christus, fuisse post institutum Sacramentum Baptismi, antequam discipuli eius illud ipsum aliis ministrarent: nimirum Canæ, Capharnaum, & Hierosolymis. Cum ergo hoc non factum sit Hierosolymis, superest vt factum sit vel Canæ, vel Capharnaum. Sed quod factum in vrbe Capharnao sit, nullum prorsus indicium habemus, quia nec miraculum, paucis illis diebus legitur ibi fecisse, nec quidquam docuisse, sed tantum mansisse. Restat ergo vt hoc Sacramentum susceptum à discipulis sit in ipso oppido Cana, vbi, vt ait Euangelista, crediderunt in eum discipuli eius. Et sanè posita institutione iam facta Sacramenti huius, & posita discipulorum fide in Christum includente votum Baptismi, qui semper fuit Ianua omnium Sacramentorum, & posito quod ad paucos dies, illum erant aliis ministraturi. Non video quomodo longius dilata illius susceptio à discipulis sit. Scio Baptismum Christi non fuisse necessarium necessitate medij, aut præcepti ante Christi mortem; immò neque cœpisse esse necessarium ante diem Pentecostes, quando completis iam omnibus Mysteriis Redemptionis per Ascensionem, facta est solemnis promulgatio nouæ legis, & quidem in vrbe Regia Hierosolymorum, præsentibus omnibus hominibus ex omni Natione, quæ sub Cœlo est, vt ait Lucas à Summo præcone Euangelij, qui erat Apostolus Petrus in ea scilicet concione, in qua comprehensa sunt præcipua capita totius doctrinæ Euangelicæ; quamuis, inquam Baptismus Christi non cœperit esse necessarius ante huiusmodi solemnem promulgationem, quia promulgatio est de essentia legis, vt docet S. Thomas 2. p. quæst. 90. art. 4. Tamen negari non potest legem Euangelicam, & Baptismum Christi conditum fuisse, & profuisse etiam ante Christi mortem, quare Baptismus collatus ante Christi mortem, omnes illos effectus habebat, quos habet nunc, quos enumerat Nazianzenus Oratione in Sanctum lauacrum, & Chrysostomus homil. 1. ad Neophytos. Vt facere animam pulchram, Deo dilectam splendentem, eam obsignare Regio sigillo, facere hæredem Dei, aperire Regnum Cœlorum. Quis autem credat Discipulos Christi, hos effectus edoctos à Christo, aut non exarsisse in amorem tanti Sacramenti, aut exardescentes non petiuisse, aut petentes repulsos, vel dilatos fuisse, præsertim quod discipuli acquisierant ius ad Baptismum, quia per hoc, quod Christum receperant, potestatem acceperant filios Dei fieri, dicente Euangelista: *quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quæ est potestas, & facultas suscipiendi Baptismum, & per eum renascendi, vt enim docet Toletus in cap. 1. Ioan. Per fidem propriè homo non fit, nec renascitur filius Dei, sed per Baptismum saltem voto susceptum, qui dat gratiam filiorum; per fidem autem tantùm datur potestas renascendi per Baptismum, qui regenerat solos credentes in Christum. De qua vide fusius disputantem Toletum. Quæ omnia mihi persuadent verbum illud Euangelistæ, quo post enarrationem tanti miraculi dixit: *& crediderunt in eum discipuli*, verbum esse plenissimæ significationis, vt comprehendat

Ioan. 2.

omnem fidem, non solum internam, verum etiam externam, cuius primus actus consistit in professione, quæ fit per Baptismum; quare Catholici docent paruulos dum baptizantur, actu credere, quia vt docet S. Augustinus lib. 1. de pecc merit. & remiss. cap. 27. infantibus, ipsum baptizari, est credere, quia nimirum ista actio est fidei professio. Idem S. Doctor Ep st. 23. vbi quærit quomodo susceptores in Baptismo resp. ndent paruu os credere. Quia, inquit, Sacramentum fidei, fides est. Nihil est autem aliud credere, quàm fidem habere, ac per hoc cum respondetur paruulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere, propter fidei Sacramentum, & conuertere se ad Deum propter conuersionis Sacramentum. quia, & ipsa responsio ad conuersionem pertinet Sacramenti. Et sanè hoc loco illud *crediderunt in eum discipuli eius*, quidpiam amplius significare videtur. quam actum fidei merum internum in Christum, quia ante miraculum in illum crediderant, propterea enim vocati fuerunt ad Nuptias, quia habebantur, & erant discipuli Christi. Iam enim partim testimonio Ioannis partim ipsius Christi vocatione aliqua ipsi adhærere incœperant, ipsum audierant, & ei fidem habuerant, quare ait Euangelista: *Vocatus est autem Iesus, & Discipuli eius ad Nuptias*, quasi hoc nomine illi inuitati, & vocati, quia discipuli eius erant, non titulo aliquo cognationis, aut consanguinitatis, quod significat adhuc magis Euangelista, distinguens fratres, hoc est cognatos secundum carnem, à discipulis. *Post hæc*, inquit, *descendit Capharnaum ipse & Mater eius, & fratres eius, & discipuli eius.*

IX. *Susceptio Baptismi est fidei professio.*

Addo si Discipulorum Baptismus non in ipso oppido Cana, sed in vrbe Capharnao paucis illis, proximisque diebus post Nuptias celebratus est, nihil contra nostrum intentum sequi, quia fuisset effectus, & professio illius eiusdem fidei, qua post miraculum crediderunt in eum, tum quia neque in vrbe Capharnao hoc fuisset sine Maria Matre eius; quæ certè non sine magno consilio descendit cum discipulis. *Post hæc descendit Capharnaum ipse, & Mater eius, & discipuli eius.*

CAPVT III.

Qua ratione Apostoli fuerunt primi filij Beatæ Mariæ.

I. *Apostoli qui primi filij B. V. fuerint.*

QVOD primi Ecclesiæ filij, in Nuptiis Canæ sint nati satis superque probatum existimamus testimonio Euangelistæ, qui ait: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli eius.* Quod verò huiusmodi filij B. Mariæ, tanquam Reginæ Sponsæ sint nati hoc postulat locus propheticus, vt explicemus, quod præstabimus facile si ex eodem Euangelista cognoscamus, qua ratione B. Maria procuratrix fuerit illius fidei, qua Discipuli crediderunt, & per quam spiritualis, ac Diuina illorum regeneratio, & natiuitas perfecta est, & quidem procurauit fidem, primum procurando miraculum procurauit autem miraculum dupliciter, vt obseruat S. Thomas. Primo defectum vini indicando, & preces suas interponendo; *dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent;* deinde Ministros disponendo, & instruendo, ne forte sua inobedientia, aliquid, quod miraculum impediret, committerent:

II. *B. Virgo procuratrix miraculi in Cana, dupliciter.*

nouerat enim ipsa Deum in miraculis, & operibus suæ potentiæ faciendis aliquid, quod humano repugnat iudicio admiscere solitum esse, vt benè obseruauit Toletus, sic Deus vt aquas sanas faceret, salem iussit infundi: vt ferrum etiam ex aquis extraheret, lignum aquis injici iussit. Vt aquas dulces redderet, lignum præcepit immitti; quia igitur simile quid injungendum erat, ipsa iussa anteuertens diligenter nuptiales ministros instruit, edocetque. *Quodcumque dixerit vobis facite*; quodcumque etiam graue, etiamsi vobis inutile visum fuerit, facere ne recusetis; & sanè quantum apud Ministros valuerit consilium, & instructio Virginis Beatissimæ, satis ostendit perfecta, & exacta illorum obedientia, quæ maxime eluxit in tribus. Primo quia cum Christus dixisset tantùm: *implete hydrias aqua*, ipsi dicto Christi perfectè obedientes, *hydrias sex*, non vtcumque, sed vsque ad summum aqua impleuerunt, *& impleuerunt eas vsque ad summum*, quod Christus expressè non iusserat. Secundo quia cum antequam Aquam, Vinum factam scirent, iuberentur haurire, & illam tanquam vinum præfecto mensæ pro consuetudine ministrare. *Haurite nunc, & ferte Architriclino*, nihil hæsitarunt; sed quod vno verbi compendio omnia comprehendit Euangelista, *& tulerunt*. Tertio cum scirent iam Ministri coram Architriclino Vinum esse factum, vt docet Euangelista; *vt gustauit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam*; cum scirent iam vinum esse factum, id quod iussi haurire, tùm ex colore, tum ex odore cognoscere potuerunt, Architriclino etiam miranti, & vnde hoc Vinum esset nescienti, rem non reuelant, quod non alia de causa eos existimo fecisse, ait Toletus, nisi quia à Christo tantùm, haurite, & ferte Architriclino, audierant, verbumque Christi prætergredi non sunt ausi; vsque adeo sollicita miraculi procuratrix illos instituerat, instruxerat, & disposuerat: *quodcumque dixerit vobis facite*; sic illa cooperante, & cuncta ad primum discipulorum partum dirigente. *Initium signorum fecit Iesus, & manifestauit gloriam suam; ex quo tandem factum est, vt nati sint primi filij, & crediderunt in eum discipuli eius.*

4. Reg. 2.
4. Reg. 6.
Exod. 15.

III. *Cur B. Virgo à Christo vocetur mulier?*

Atque hinc altior quædam ratio apparet. Cur Christus hoc primùm loco Beatam Virginem, non Matrem suam, sed mulierem appellauit; immò quod est valde notabile; cur nusquam nisi hoc nomine, mulier, vocauit. Legimus quidem in Historia Euangelica, Mariam Matrem Iesum vocatam, idque octies post partum, vt Metaphrastes aduertit, sed ab Euangelistis ita vocatam legimus à Christo autem non nisi, *Mulier*. Mysterium sine dubio fuit, quia hoc nomen, *Mulier*, quamuis commune sit vniuerso sexui, tamen per quandam excellentiam tribuitur in Scriptura primæ mulieri, quæ Sponsa vnica primi hominis fuit, & vnica Mater vniuersalis omnium viuentium, ad eum planè modum, quo hoc nomen, *Homo*, quamuis commune sit omnibus filiis Adæ, antonomasticè tamen conuenit primo homini, & communi omnium Patri. Mysterium inquam fuit Matrem suam appellare *Mulierem* eo modo, quo se vocat *filium hominis*, videlicet cum articulo, vt sicut se vult ostendere secundum Adam, ita etiam eam ostendat alteram Euam, hoc est Matrem viuentium. Sicut ergo Christus, qui fuit secundus Adam, atque ideo nouus Generis humani Pater, quamdiu spiritualis regenerationis opus durauit, durauit autem ab initio suæ prædicationis vsque ad Crucem, appellabat se vocabulo relatiuo ad primum Adam, idque quo significantius fieret, cum duplici arti-

culo, vt est expressum in Græco: *Ille filius illius hominis*; ita Virginem, quæ fuit altera Eua, & noua Generis humani Mater, non alio voluit vocabulo appellare, nisi relatiuo ad primam Mulierem, vt sic ostenderet *duo, & duo.* Tetigit hanc explicationem Ribera, qui in cap. 2. Ioannis docet vero simillimum sibi fieri Dominum solitum esse Matrem suam appellare *Mulierem*, eo modo, quo se vocat filium hominis, videlicet cum articulo, vt sicut se vult ostendere secundum Adam, ita etiam eam ostendat alteram Euam, hoc est Matrem viuentium, idest eam mulierem, quæ damna illius primæ resarciret, hæc Ribera. Quibus verbis videtur, & illud insinuare, quod sicut Christus vocabat se Hominem cum articulo, ita & B. Mariam, Mulierem cum articulo etiam appellauit. O illa Mulier, verè in Græco textu articulus nec est, nec esse potest, cum Græci in vocatiuo articulum non apponant. Cæterùm sicut Dei Verbum caro iam factum, quando de se, quasi de tertia persona loquebatur, apponebat articulum ad significandum illum promissum futuri Sæculi Patrem, ita antequam caro fieret, cum de Virgine, in tertia item persona locutum est, Mulierem cum articulo nominauit, ad præsignandam illam futuri Sæculi Matrem. Quare Hebraïcæ linguæ periti, teste Canisio, obseruarunt.
l. 1. c. 2.
c. 3.
Verba illa Geneseos: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, non simpliciter, sed cum articulo peculiari de Muliere pronuntiari. *Inimicitias ponam inter te, & illam Mulierem*; illam vtique promissam vt futuri Sæculi Matrem, ideo non dico, pono, sed ponam. Audi Cyprianum. *Ponam inimicitias, non certè pono dicit ne ad Euam pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura.* Et verè quod sequitur verbum, inter semen tuum, & semen Mulieris significationem planè determinat. Quod enim aliud semen, solius Mulieris est, nisi
Hæres. 50.
c. 7.
solus Christus, ait Epiphanius, quod vtique semen vbi concepit verè electorum omnium aceruum concepit, quia vt ait S. Ambrosius in illud Cant. *Venter tuus sicut aceruus tritici.* De vno grano tritici aceruus est factus, hoc est multitudo ele-
Matth. 13.
Tom. 3. serm 6. art. 2. c. 2.
ctorum per triticum significata. Triticum autem congregate in horreum meum. Vnde non immeritò dixit S. Bernardinus Senensis, quod *ex tunc tanquam verissima Mater filios electos omnes in suis visceribus baiulauit.*

Quia ergo Virgo Beatissima aderat Nuptiis Canæ Galilææ gerens iam vterum electorum, & procuratione primi miraculi, primos filios mox enixura, hinc factum est, vt secundus Adam, eo nomine illam compellauerit, quam suam sponsam, &
Gen. 3.
sociam nominauit iam olim primus: *Mulier, quam dedisti mihi sociam.* Sed longè diuerso modo primus ille Adam confessus est sociam. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi, sic excessus sui vitium*, ait S. Gregorius *in Autorem latenter intersit, quasi diceret: tu occasionem delinquendi præbuisti, qui mulierem dedisti.* At secundus Adam videns quemadmodum *discipuli eius crediderunt in eum*, verè in tanto negotio agnouit sociam, vt dicere posset Patri: Mulier, quam dedisti mihi sociam, ad salutem credentium, ipsa signum postulauit, ipsa precibus accelerauit, ipsa Ministros instruxit, ipsa discipulos præparauit. Et verè tu Pater occasionem saluandi tribuisti, qui Mulierem dedisti. Quid ad hæc blasphemus ille furcifer Brentius, qui ausus est Mariæ crimini maximo vertere, quod filio dixerit: *Vinum non habent*, Maria, inquit ipse, ambit hîc honorem Messiæ & cupit esse quasi socia administrandi eius Officij, quod Christo diuinitus mandatum erat. Hoccine virus euomis infame monstrum? Sed iubeo te illud

reſorbere. Sociam omnino voluit, qui ſponſam voluit, ſuam ſibi Euam fecit viuentium Matrem, qui pro nobis fieri dignatus eſt Adam credentium Pater. Intuere Brenti. *intuere*, inquit Scriptura, *in omnia opera Altiſſimi, Duo, & Duo, & vnum contra vnum*. Duo ſunt opera Altiſſimi, opus Naturæ, & opus Gratiæ. Agnoſce in vtroque opere duo, & duo, & fatere quod docet cum Eccleſia Bernardus, quod ſicut Adam, & Eua vno pomo ſimul vendiderunt Mundum, ita Chriſtus, & Maria quaſi vno corde ſimul redemerunt Mundum, ſed ſuper hoc argumento agemus fortaſſe ex profeſſo aliàs. Interim quoniam ex eo quod Chriſtus, non *Mater*, dixit, ſed mulier. Brentiani plures dignitatem, & meritum B. Mariæ proſcindere ſunt conati, non omittam, & illud indicare, id nomen, & honoris fuiſſe maximi, & amoris; honoris, quia nomen Reginæ eſt, ſicut enim Chriſtus conſtitutus à Patre Rex, inter viros primatum tenens, viri nomine in Scriptura decoratur, ſic Maria inter Mulieres omnes Principatum obtinens, debuit ob ſupremam quandam excellentiam, abſoluto mulieris nomine, tanquam prima, & omnium Regina honorari; nec honoris tantùm fuit, ſed eximiæ dilectionis, & amoris, cum enim illa, & Mater Chriſti fuerit, & Sponſa. Mater, quia illa, *de qua natus eſt Ieſus*, vt ait Euangeliſta. Sponſa, quia illa, de qua *pro patribus nati ſunt filij*, vt ait Propheta. Cum, inquam vna, eademque duplicem illam gereret perſonam, & Matris, & Sponſæ, Chriſtus, qui illius pariter erat, & filius, & Sponſus, vt adhæreret Sponſæ, reliquit Matrem: Et cum potuiſſet dicere, Mater, maluit præ dilectione dicere Mulier; *propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt*, ait Apoſtolus.

Eccl. 33.

Apud Sider. c. 2.

Verum hic ad rem præſentem plenius intelligendam, operæ pretium erit examinare, de quo Sacramento agit hoc loco Apoſtolus, & in quo illius magnitudo poſita eſt.

Dicam rem improuiſam ſed tamen veram. Agit Apoſtolus de Nuptiis Chriſtianis, atque adeo præcipuo quodam nomine agit de Nuptiis Canæ Galilææ. Dixi præcipuo nomine, quia ſi quæramus, quæ nam fuerunt primæ nuptiæ Chriſtianorum, ſeu quale Matrimonium fuit primo nouæ legis Sacramentum, inuenimus non aliud niſi hoc celebratum in Cana Galilææ, *propterea*, enim ait Euſebius *ad nuptias illas Dominus venit, vt nimirum eas noua, & ſpirituali benedictione ſanctificaret, atque in Sacramentum nouæ legis inſtitueret*, quod ſignificant Patres, quando dicunt Chriſtum nuptiis benedixiſſe, ex quo, inquit, ſequitur illud Matrimonium fuiſſe primum Matrimonium nouæ legis Sacramentum. Quod autem Apoſtolus agat de ſolis Nuptiis pertinentibus ad nouum Teſtamentum, illa potiſſimum ratio perſuadet, quia extra matrimonia pertinentia ad nouum Teſtamentum, nullum eſt, ad quod referri propriè poſſit illud pronomen *Hoc*, cum dicitur *Sacramentum hoc magnum eſt*. Scio ab aliquibus Autoribus pronomen illud demonſtratiuum referri ad Coniugium Adami, & Euæ. Verum quod hoc loco Apoſtolus magnum Sacramentum, non ad Coniugium Adami, & Euæ, ſed ad ſolas nuptias Chriſtianorum referat, oſtendit Bellarminus lib. 1. cap. 2. quia verba, quæ Apoſtolus allegat ex Geneſi: *Relinquet homo Patrem, & Matrem*, non de illo ſingulari coniugio intelliguntur, non enim dixit Adam ego relinquam, ſed indefinitè relinquet homo, immo, ait Bellarminus, coniugio primorum parentum iſta

verba accommodari non possunt, non enim reliquit Adam Patrem, & Matrem, vt vxori adhæreret suæ, cum parentes nullos habuerit ipse primus omnium parens, & prætereа de futuris coniugiis loquitur, cum dicat: Relinquet, non igitur de suo loquitur, quod iam nouerat factum, significauit quidem Coniugium Adami, & Euæ, conjunctionem Christi, & Ecclesiæ, sed illam non significauit vt Sacramentum, sed tantum vt figura, & ideo defuit illi conjugio omissio gratiæ, quæ est de essentia Sacramenti, & licet Deus benedixerit Sponsis Genes. 1. Illa tamen benedictio, ait August. lib. 13. Conf. cap. 24. fuit merè corporalis, hoc est ad fœcunditatem corporum pertinens, & ideo ait, eadem benedictio data legitur Piscibus, & Auibus. Cum igitur conjugium primorum parentum non fuerit verè, & propriè Sacramentum, vt docent Theologi, qui vniuersaliter asserunt nullum fuisse institutum Sacramentum in Statu Innocentiæ, non potuit loqui Apostolus de illo, cum ait: *Sacramentum hoc magnum est.* Neque loquitur de præteritis ante nouum Testamentum. Non enim ait Apostolus, Sacramentum hoc magnum fuit, ait Bellarminus, sed est *in Christo, & Ecclesia.* Quare S. Augustinus in libro de bono Conjug. passim affirmat, Matrimonium non esse Sacramentum nisi in Ecclesia, & S. Thomas in 4. dist. 26. quæst. 2 art. 2. dicit, in solo Testamento nouo Matrimonium repræsentare conjunctionem Christi, & Ecclesiæ, quia in solo Testamento nouo Matrimonium est Sacramentum à Christo institutum.

Igitur agit Apostolus de Sacramento Matrimonij, quod solum inter Christianos est, & quia quoties de aliquo genere agitur, præcipuo nomine agitur de eo, quod est primum in illo genere, ideo præcipuo nomine agit de Matrimonio Canæ Galilææ, quod præter alias prærogatiuas fuit primum à Christo institutum in Sacramentum.

Sed in quo fuit magnum? Verè omne Matrimonium Christianum magnum est Apostoli testimonio, neque enim audiendi sunt Lutherus, & Caluinus, qui contendunt, ab Apostolo magnum Sacramentum vocari conjunctionem Christi cum Ecclesia, illo nixi argumento, quia Apostolus ait: *Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia;* vnde colligunt Sacramentum hoc loco non accipi pro signo rei Sacræ, sed pro ipsa re sacra, atque adeo Matrimonium hoc loco ne appellari quidem signum, siue Symbolum cuius prædicatum sit illud, Magnum, sed falluntur apertissimè ait Bellarminus lib. 2. cap. 2. nam habent contra se omnes veteres huius loci Interpretes, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum, qui docent Christum, & Ecclesiam esse terminum illius Sacramenti, seu mystici signi, ac proinde Sacramentum esse in conjugio, sed terminari, ac referri Sacramenti huius significationem ad Christum, & Ecclesiam. Neque argumentum Aduersariorum aliquid probat, ait Bellarminus. Illud enim *Ego autem dico*, significat, Ego interpretor hoc Sacramentum Matrimonij de Christo, & Ecclesia. Ideo absolutè dixit S. Thomas in cap. 5. ad Ephesios.

IV. *Quatuor Sacramenta dicuntur magna, & in quo sensu.*

Quatuor Sacramenta dici magna, Baptismum ratione effectus, quia delet culpam, & aperit Ianuam Paradisi, Confirmationem ratione Ministri, quia solum à Pontificibus, & non ab aliis confertur, Eucharistiam ratione continentiæ, quia totum Christum continet, & Matrimonium ratione significationis, quia significat conjunctionem Christi, & Ecclesiæ; quia ergo omne matrimonium Christianum sacræ rei, & quidem magnæ signum est, ideo de omni matrimonio Christiano

exponendus est Apostolus, cum dicit *Sacramentum hoc magnum est.* Cæterum negari non potest de Matrimonio Canæ Galilææ non solum affirmari posse Sacramentum hoc magnum est, verum etiam plusquam magnum est, eo fere sensu, quo Christus de Baptista dixit, *etiam dico vobis, & plusquam Propheta.* Sicut enim Baptista dictus est plusquam Propheta, vt docet S. Thomas, quia ad Prophetam satis est futura prædicere, Baptista autem non solum futura sed etiam præsentia ostendit. Ita Sacramentum Canæ Galilææ, plusquam magnum dici potest, quia ad magnitudinem Sacramenti Matrimonij satis est conjunctionem Christi, & Ecclesiæ vtcumque significare, conjugium autem Canæ Galilææ fuit Sacramentum. seu signum Christi, & Ecclesiæ ibi præsentium, & primos filios in aqua, & Spiritu Sancto progignentium, itavt signum, & res per ipsum significata coexisterent, & mirificè responderent. Quare cum dixit Euangelista & tertia *die Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilaæ.* Locutus est (quod Ioannes solet) more Prophetarum, qui subinde in sensu litterali simul complectuntur, & rem, quam verba historica propriè significant, & simul allegoriam, quam res illa repræsentat; & tunc, ait Cornelius, duplex est sensus litteralis, prior historicus, posterior quasi Propheticus, quod etiam locum habet in Parabolis, in quibus duplex etiam est sensus litteralis; primus ipsius Parabolæ, secundus rei per Parabolam significatæ. Quod si quæras, Vter sensus potior fuit Euangelistæ, dicendum est, longè potiorem illi fuisse sensum, quem appellauimus quasi Propheticum. Ideo tam diligenter notauit tempus, & tertia die. Quando autem notantur tempora, ait Gregorius, Mysteria indicantur, ideo siluit nomina Sponsi, & Sponsæ, contrà verò expressit Christum, & Ecclesiam, *& erat Mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus*, ideo denique exposuit fructum Nuptiarum, *& crediderunt in eum discipuli eius.*

Matth. 11.

In Isaiam.

V Sed rursum ex hoc loco quæris, si discipuli in arcanis hisce Nuptiis, inducuntur vt filij, an dici possit Mariam ita induci, vt Sponsam, & Matrem, vt sola ipsa nominari possit Ecclesia. Omninò hoc dici potest, quia Ecclesia in quantum omnium collectiuè Electorum Mater, Maria est. Illud enim est vnaquæque res, ait S. Thomas 1. p. quæst. 75. art. 4. quod operatur operationes illius rei, vnde illud est homo, quod operatur operationes hominis, seu explicat Caietanus, quod operatur quidquid operatur homo, alioquin, aut res sine propria operatione aut è contra propria operatio sine eo, cuius est inueniretur. Cum ergo Maria operetur operationes Matris Ecclesiæ, & quidquid operatur Mater Ecclesia, meritò Maria nominatur, & est Ecclesia. Quod autem ipsa operetur, quidquid vt Mater operatur Ecclesia demonstrari satis potest ex illo vniuersalissimo principio, quod nullus in ea filius generatur, nisi concurrente, & influenti, & cooperante Maria, hinc tam multipliciter, & vniuersaliter Mater appellatur, Mater agnitionis hoc est fidei, vt interpretatur S. Antoninus. Mater sanctæ Spei, vt illam salutat S. Augustinus. Mater pulchræ dilectionis, idest Mater charitatis, vt eam appellat Bernardus. Quibus Maria significatur influere in tres habitus Theologicos; Rursus dicitur absolutè Mater Gratiæ, quia scilicet non confertur gratia, neque gratum faciens, neque excitans, neque concomitans, nisi per ipsam; vnde in reuelationibus sanctæ Brigittæ dicitur Mater totius Iustitiæ, quæ est in Mundo, & S. Cyrillus homil 6. in Nestorium: per Mariam, inquit, fideles omnes ad sanctum Baptisma peruenerunt, & in toto orbe Terrarum constructæ sunt Ecclesiæ. Iure igitur optimo Maria

Maria etiam sola dicitur & est Ecclesia.

4 p. t. 15. c. 17.

Ser. 29. in Cantic.

l. 4. c. 130.

etiam sola dicitur, & est Ecclesia; quia in ipsa tanquam in Matre continente omnes fideles, tota virtualiter continetur Ecclesia.

CAPVT IV.

Vtrum Beatus Nathanael fuerit vnus ex Discipulis Iesu vocatis ad Nuptias Canæ Galilææ.

Super illis Verbis. *Ioan. 2.*

Vocatus est autem Iesus, & Discipuli eius ad Nuptias.

I. *An Nathanael vnus è discipulis vocatis ad Nuptias.* PLVRIMVM sanè refert ad Beati Nathanaelis Apostolatum comprobandum iam definire, fuisse illum ex Discipulis inuitatis ad Nuptias, si enim id euincamus, planè constabit ex dictis, eundem fuisse ex præcipuis filiis Beatæ Mariæ, atque adeo ex principibus illis, de quibus Propheta in Cœlestium illo Nuptiarum Epithalamio loquutus est illis verbis: *pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram.*

Et quidem nullum adhuc reperi Autorem, qui ausus fuerit Beatum Nathanaelem ab illo numero discipulorum excludere. Qui verò illum nominatim annumerent, inueni plurimos. Nec immerito, habemus enim de illo quatuor certa, quæ si rectè considerentur, magnam de hac re faciunt euidentiam.

II. *Nathanael fuit Christi discipulus.* Primo habemus certum illum fuisse discipulum Domini, quod constat ex Capite vltimo S. Ioannis, vbi dicitur. *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis*, & qui fuerint illi discipuli numerantur; *erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi*, & quod confirmat omnes nominatos fuisse discipulos additur, *& alij ex discipulis eius duo.*

Secundo certum est illum, à Christo vocatum fuisse ante Mysterium Nuptiarum Canæ Galilææ, tum quia Euangelista, qui seruat ordinem temporis, prius, hoc est Capite primo enarrat vocationem Nathanaelis, postea verò, hoc est capite secundo Nuptiarum historiam refert, tum quia sacri Interpretes, explicantes, quæ sit dies illa tertia, de qua dicitur: *Et die tertia, Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*, aiunt fuisse tertiam à die vocationis Nathanaelis, quia illud fuit tempus vltimo loco ab Euangelista descriptum, & quamuis in eius tridui supputatione controuersia sit inter illos, omnes tamen conueniunt includi in eo præuij temporis interuallo, Nathanaelis vocationem ab Euangelista prænarratam, ideo vniuersaliter explicauit S. Thomas: Et die, inquit, tertia, scilicet postquam prædicta de vocatione discipulorum fecerat.

Tertium, quod certum etiam habemus est Nathanaelem non vtcumque vocatum, sed eius vocationem insignibus prærogatiuis exornatam fuisse, ita vt inter primarios Christi discipulos eo tempore Christo adhærentes, numerandus omnino sit. De quo enim Discipulorum, tunc dixerat Christus: *Ecce verè Israëlita, in*

quo dolus non est? Qui discipulorum tunc confessionem fecerat tàm præclaram, *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël?* Cui denique discipulorum tàm magnificam Christus rependerat promissionem; *& dixit ei: Amen, amen, dico vobis, videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis?* Et dixit ei, hoc est Nathanaeli, vt narrat Ioannes. *c. 1.*

Quartum quod ex Euangelio etiam, & certum illud est, Nathanaelem non solum fuisse ex Galilæa, sed ex ipsa Cana vbi Nuptiæ celebratæ sunt. *Et Nathanael*, ait Euangelista cap. 21. *qui erat à Cana Galilææ.* Immò eo tempore, quo inuentus à Philippo fuit, & adductus ad Christum in ipsa sua Patria commorati præsupponunt tanquam indubitatum Interpretes ex toto Euangelicæ historiæ contextu. III. *Nathanaelis patria.*

Quæ cum ita sint, quàm tutum est affirmare Nathanaelem inter alios Discipulos Nuptiis illis interfuisse, tam penè temerarium videtur eum à primo illo inuitatorum numero excludere, cum præsertim Euangelista absolutè, & nulla restrictione, aut exceptione facta, dicat: *Vocatus est autem Iesus, & Discipuli eius ad Nuptias.*

Sed videamus communem Doctorum consensum, illorumque recitatis testimoniis rem totam confirmemus.

Dionysius Carthusianus, vir Sanctissimus, & Doctissimus in explicatione huius loci, vocatus est autem Iesus, & Discipuli eius ad Nuptias; *Discipuli*, inquit, *qui iam cœperant eius Magistério adhærere, tum propter alia, tum propter signa eius occulta, quemadmodum dictum est de Nathanaele, quod credidit Iesum esse Christum Filium Dei, quoniam arcana sui cordis, & gesta, ac verba sua, in absentia Christi patrata, ac dicta, ipse Christus manifestauit ipsi Nathanaeli.* Non habuit Carthusianus, quem ex discipulis certius nominaret, & in exemplum afferret.

Caietanus, Vir summi ingenij, nec minoris pietatis, vt testatur Bellarminus, expendens modum illum dicendi Euangelistæ. Vocatus est autem Iesus, & discipuli eius ad Nuptias. *Vt intelligamus*, inquit, *ratione ipsius Iesu (non ratione consanguinitatis) inuitatos etiam discipulos Iesu, scilicet, Andream, Petrum, Philippum, & Nathanaelem.* Et infrà. *Non dicit, & Apostoli eius: adhuc enim non elegerat Apostolos, sed quinque habebat discipulos, quantum ex Euangelio habetur.* Numerat ergo Caietanus inter discipulos vocatos ad Nuptias Nathanaelem.

Franciscus Titelmannus, Vir sanctus, & doctus, cuius omnia scripta etiam Philosophica miram pietatem spirant ait Bellarminus in sua Paraphrastica Elucidatione in Ioannem, cum enarrasset Vocationem, Andreæ, Petri, Philippi, & Nathanaelis quæ habentur Cap. 1. Sic exorditur caput secundum. *Horum itaque discipulorum societate comitatus Dominus Iesus, vocatus est ad Nuptias, simul, & ij, qui tum ipsum comitabantur ob gratiam ipsius eodem sunt vocati.*

Franciscus Lucas Brugensis, quem plurimi facit Cornelius à Lapide, explicans, qui discipuli vocati. & quare. *Andreas*, inquit, *eiusque socius Petrus, Philippus, & Nathanael, quos superioribus diebus sibi adsciuerat. Animaduertentes affines isti Iesu, Iesum neque iam facilè procedere absque discipulis, quibuscum in commune fere viueret, vt ipsi gratificentur, vocant, & discipulos eius.* Et rursus infrà. Post hæc descendit Capharnaum ipse, & discipuli eius. *Illi*, inquit, *qui*

Nuptiis interfuerant, quorum comitatum omnino cupiuit.

Claudius Guilliaudus, Autor probatissimus teste Posseuino, super illis verbis: Vocatus est Iesus, & discipuli eius. *Vocatus*, inquit, *Iesus, occasionem præstitit vocandi discipulos, quos modo collegerat, Andream scilicet, Petrum, Philippum, & Nathanaelem; sequuntur Dominum discipuli ad Nuptias illas Cælestes, in quibus totus ille agnus conuiuij rediuiuus apponitur.* Et rursus super illis verbis. Post hæc descendit Capharnaum ipse, & Mater eius, & discipuli eius *Sitibundi*, inquit, *eruditionis Christianæ comitantur Christum discipuli, Andreas, Petrus, Philippus, & Nathanael.*

Guilielmus Estius, Vir eruditus, & Sanctus, super hoc loco S. Ioannis; Vocatus est autem Iesus, & discipuli eius ad Nuptias. *Non duodecim*, inquit, *eius Apostoli, quia nondum fecerat sibi Apostolos, sed discipuli, quos iam habebat, vt Andreas, Simon, Philippus, Nathanael, & alter ille, qui vna cum Andrea sequutus est Iesum.*

Michaël de Palatio in eruditis Commentariis super Ioannem, exponens illud: & die tertia Nuptiæ factæ sunt. *Dies hic tertius*, inquit, *computatur à Vocatione Nathanaelis.* Et mox. *Discipulos Dominus quosdam ad se aggregarat ad finem huius anni trigesimi primi, videlicet Petrum, Philippum, Nathanaelem, Andream, & Ioannem Euangelistam.* Et infrà. *Vocati sunt autem discipuli eius ad nuptias, quos quinque tunc fuisse à Domino vocatos dudum tradebamus.*

Ioannes Arboreus Doctor Parisiensis egregius, explicans illud: Post hæc descendit Capharnaum ipse, & discipuli eius, *Andreas scilicet, Petrus, Philippus, Nathanael, & Ioannes Euangelista*, & statim declarans quomodo Euangelista vocat discipulos; *aut vocat*, inquit, *discipulos, non qui tunc erant, sed qui futuri erant. Nec dicit, Apostoli eius, quia nondum elegerat Apostolos.* Sentit ergo inter inuitatos eligendos in primos discipulos, & Apostolos fuisse Nathanaelem.

Fabritius Paulutius primus Episcopus Plebanus cap. 22. de miraculo in Nuptiis, super iisdem verbis: Vocatus est autem Iesus, & discipuli eius ad Nuptias. *Petrus*, inquit, *Andreas, Philippus, Nathanael, hos enim vocauerat, vel eum audierant, at cum de aliis non legamus, quales alij? aut cur non hi? & quomodo testificati essent à Baptismate Ioannis.* Tangit non leue fundamentum, cur nominati non possint excludi à numero Apostolorum.

Ioannes Ferus in suis piis, & eruditis enarrationibus super Ioannem, iuxtà Regulas Indicis, correctis. Loquens de miraculo, quod patratum fuit in Nuptiis Canæ Galilææ. *Quod Christus*, inquit, *supra Nathanaeli promisit, dicens: Maius his videbis, nunc incipit præstare.* Vidit ergo Nathanael initium signorum, quod fecit Iesus in Cana Galilææ.

Franciscus Toletus in cap. 2. Ioannis Annotatione tertia. *Verisimilius*, inquit, *est, Philippum, & Nathanaelem adfuisse, eosque discipulos Christi vocatos esse, nec tamen negauerim Andream, & Petrum.*

Ioannes Maldonatus super eodem loco. *Eodem*, inquit, *spectat, quod Christi etiam discipulos vocatos fuisse dicit, vt intelligamus quam plurimos eius miraculi fuisse testes.* At quos discipulos? Petrum, Andream, Philippum, Nathanaelem, vt constat ex Superiore capite, vers. 40. 42. 45.

Benedictus Pererius in cap. 2. Ioan. disput. 5. *Sed hoc loco quæri dignum est, qui*

qui fuerint illi discipuli Iesu, qui cum eo vocati sunt ad nuptias. Ego, inquit, *sentio fuisse in illis Nuptiis Petrum, & Andream, ne Principes Apostolorum videlicet abessent primo Christi miraculo, quo manifestata est gloria eius, & discipuli crediderunt in eum; quia etiam puto Ioannem, qui historiam hanc scripsit, illis nuptiis interfuisse, crediderim quoque nec defuisse Nathanaelem, nec sodalem eius Philippum.*

Sebastianus Barradas tom. 2. lib. 3. cap. 2. Quod ex dictis Ioan. cap. 1. colligi potest: *Discipuli hic appellantur, Petrus, Andreas, Philippus Nathanael, hos enim Christus vocauerat vocatione prima, propter quam iam discipuli appellantur.*

Vincentius Regius lib. 2. cap. 6. *Per discipulos intelligere Philippum, & Nathanaelem, crediderim, & Petrum, & Andream, & alterum Andreæ socium hic discipulos vocari.*

Ioannes de la Haye. Euang. dispos. cap. 21. *Non male dicitur Christus iam aliquos habuisse discipulos, & si non diu ante, inter quos probabile est fuisse Ioannem Iustum, Petrum, Andream, Philippum, Nathanaelem, & forte alios.*

Cornelius à Lapide. *Quæres, vnde, & qui fuere hi discipuli Iesu? Nam Iesus non dum collegerat Apostolos. Respondeo verisimile est discipulos hos fuisse Nathanaelem & Philippum, &c.*

Alphonsus Salmeron, tomo sexto de Miraculis Tract. 1. disputans de discipulis, cum quibus Christus discessit à Cana Galilææ. *Discipulos*, inquit, *vocat, qui eum sequebantur, & adhuc eos in Apostolos nondum elegerat, sed quatuor tantum habebat discipulos, quantum colligitur ex Euangelio, nempe, Andream, Petrum, & Philippum, &* NATHANAELEM.

CAPVT V.

Vtrum Beatus Nathanael, & Discipuli vocati ad Nuptias fuerint de numero duodecim.

Quos Dominus Iesus Apostolos nominauit.

QVANDOQVIDEM demonstrauimus B. NATHANAELEM Nuptiis Canæ Galilææ, tanquam Discipulum Domini interfuisse, plurimum refert ad rem præsentem inquirere, an qui discipulorum nomine ad eas Nuptias vocati fuerunt, de numero duodecim fuerint, quos Dominus ipse Apostolos nominauit. Qua in re illud præmittere oportet, tanquam obseruatu necessarium, Beatum Ioannem Euangelistam non aliter Apostolos in suo Euangelio nominare, quàm nomine Discipulorum, immò in toto suo Euangelio semel tantùm vocem Apostoli vsurpare, immò ne semel quidem ipsam vsurpare, sed potius à Christo vsurpatum referre post pedum lotionem in nocte Cœnæ. *Amen, Amen dico vobis, non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus maior illo, qui misit illum.* Vbi etiam nomen *Apostoli* non est positum ad significandam peculiarem illam dignitatem in Ecclesia, quæ fuit propria, & sola illorum duodecim, sed quatenus signi-

I. *Nathanael & Discipuli ad Nuptias vocati an fuerint è duodecim Apostolis.*

II. *In Discipuli eius apud S. Ioan. semper pro Apostolis vsurpatur & solu. c. 13.*

ficat legationem, & functionem communem aliis etiam discipulis. Est enim argumentum ductum ab Etymologia. Apostolus idem est, ac missus, & missus cum mandatis, & quasi legatus Principis, missus autem, seu legatus non est, nec censetur maior eo, qui mittit. Quoniam ergo Euangelista postea Apostolos non nisi discipulos nominat, & quos absolutè, & simpliciter Discipulos dicit, non nisi illos tertiæ, ac supremæ Classis intelligit, quos Apostolos nominamus, videtur illud sequi, quod cum dicitur. *Vocatus est autem, & Iesus, & Discipuli eius ad Nuptias*, sermo sit de duodecim, ac si dixisset: Vocatus est autem & Iesus, & Apostoli eius ad Nuptias.

Hinc oritur difficultas, quam tangit S. Thomas in cap. 2. Ioannis; quia quo tempore celebratæ sunt Nuptiæ in Cana Galilææ, non fuerat facta electio Discipulorum, hoc est Apostolorum, nam vt obseruat cum communi S. Thomas, primi, qui secundum Matthæum conuersi sunt ad Christum fuerunt Petrus, & Andreas, Ioannes, & Iacobus, sed hi vocati sunt à Christo post incarcerationem Ioannis, vt patet Matth. 4. Non videtur ergo, quod inuitati fuerint cum Christo ad nuptias, & post illas descenderint cum eo in Capharnaum, vt hic habetur, cum hoc fuerit ante Ioannis Incarnationem; si ergo in iis Nuptiis non fuerunt primi Discipuli, hoc est primi Apostoli, neque fuerunt secundi, aut tertij; nullus ergo ex Discipulis, hoc est ex Apostolis affuit, quomodo igitur Euangelista absolutè ait. *Vocatus est autem Iesus, & discipuli eius ad nuptias*, & rursus: *post hoc descendit Capharnaum ipse, & Mater eius, & fratres eius, & discipuli eius.*

In c. 2. Ioan.

Hoc argumentum videtur euincere duo, Alterum, Nuptiis Canæ neminem ex Apostolis interfuisse, alterum cum constet ex discipulis aliquos interfuisse, falsum esse id, quod assumebatur, Euangelistam pro eodem discipuli, & Apostoli nomen accipere.

Verum si ex illo principio Chronologico, quod Apostolorum electio facta fuit post Incarcerationem Ioannis Baptistæ, sequitur eos, qui ante illam electionem dicuntur discipuli non fuisse de numero duodecim, aperte etiam sequitur non solum Apostolos non interfuisse Nuptiis Canæ, sed neque descendisse cum Christo Capharnaum, neque Hierosolymam ad Pascha celebrandum ascendisse, neque alios in Iudæa baptizare; hæc enim omnia ante Baptistæ Incarcerationem facta sunt, vt in confesso est apud omnes.

Vt autem appareat quàm absurdè consequentia ista conceditur, affero loca ipsa Euangelistæ, in quibus commemorantur Discipuli ante Incarcerationem Ioannis. Sit ergo primus locus, quem præ manibus habemus. Ex capite secundo, vbi primo Discipulorum Christi, nomen auditur. *Vocatus est autem Iesus, & Discipuli eius ad Nuptias.* Secundus locus ex eodem Capite, narratis Nuptiis. *Post hoc descendit Capharnaum ipse, & Mater eius, & fratres eius & discipuli eius.* Tertius ex eodem ipso Capite narrato ascensu Hierosolymam, & ejectione vendentium de Templo. *Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: Zelus Domus tuæ comedit me.* Quartus ex eodem item Capite, narrato illo de excitatione Templi in tribus diebus; *ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat.* Quintus ex Capite tertio, narrato colloquio cum Nicodemo. *Post hæc venit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.*

Erat autem (pergit Euang lista) *erat autem, & Ioannes baptizans in Ænnon, iuxtà Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur; non dum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.* Ecce ante incarcerationem Ioannis Baptistæ, quinquies Discipuli commemorati. Ergo ad tuendum positum oportet sustinere in nulla ex quinque illis functionibus Apostolum quemquam interfuisse, quia primi, qui ad Apostolatum vocati, & adlecti sunt post incarcerationem Ioannis adlecti sunt. Hoc autem quàm sit falsum patet retrocedendo, & singulas enumeratas functiones recurrendo.

Et primo Christum cœpisse per suos Apostolos baptizare Baptismo suo, viuente, & durante adhuc Baptismate Ioannis, fatentur omnes Interpretes; immò S. Petrus, cum ageretur de Apostolo substituendo in locum Iudæ. Voluit eligi talem, qui vt cæteri Apostoli omnium Actorum Christi conscius esset. *Incipiens*, inquit, *à Baptismate Ioannis*, quis autem credat tàm præcipuam conditionem in Apostolo nouo requisitum, in nullo antiquorum Apostolorum inuentam fuisse, vt nimirum nullus Apostolus testis fuerit, incipiens à Baptismate Ioannis? Hoc argumentum planè iugulat contrariam sententiam. Secundo. Verba illa. *Cum ergo resurrexisset à mortuis recordati sunt Discipuli eius, quia hoc dicebat.* Indubitatum est apud Doctores intelligi de Apostolis, in quibus, vt ait Cyrillus lib. 1. cap. 34. *Tanquam in molliore cera Sermo Saluatoris impressus, conseruabatur.* Ideo S. Thomas explicans hunc ipsum locum: *Vnde*, inquit, *Apostoli hunc verum intellectum conceperunt, ostendit consequenter Euangelista cum subdit. Cum ergo surrexisset à mortuis recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ, & Sermoni, quem dixit Iesus.* Et inde est, inquit S. Thomas, quod in ipsa die Resurrectionis aperuit illis sensum. Et dixit ad eos, ait Lucas cap. 24. idest ad Apostolos congregatos. *Hæc sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis de me.*

III. Apostoli baptizabant du ante adhuc baptismate Ioannis.

De tertio, & quarto; & primo loco retrorsum etiam incedendo, nihil est quod addatur, quia iisdem omninò Discipuli, de quibus dictum est, quod recordati sunt post resurrectionem, quia hoc dicebat, iidem, inquam recordati sunt, quia scriptum est: Zelus Domus tuæ. Et quoniam qui ascenderunt cum Christo ex Capharnaum Hierosolymam, descenderunt cum eo ex Cana Galilææ in Capharnaum. Et qui descenderunt ex Cana in Capharnaum illi ipsi sunt, de quibus dicitur: *Vocatus est autem Iesus, & Discipuli eius ad Nuptias;* hinc à primo ad vltimum, seu potius ab vltimo ad primum, fit vt illi ipsi discipuli, qui cœperunt baptizare Baptismo Christi, & qui paulò ante interfuerunt signo ejectionis vendentium, & ementium de Templo, vocati sint cum Christo ad Nuptias Canæ Galilææ, sed illi fuerunt Apostoli, ergo qui Nuptiis interfuerunt, fuerunt Apostoli. Et sanè vix animo concipi potest qua ratione, intra paucos dies quot interfluxerunt à Nuptiis Canæ ad primum proximum Pascha, in quo facta est prima ejectio vendentium de Templo, variatæ sint vsque adeo personæ, vt qui in Nuptiis non erant, neque futuri erant Apostoli, in Templo iam essent, aut futuri essent Apostoli: neque ita mirandum est tàm breui temporis interuallo tàm notabilem personarum mutationem factam esse, quemadmodum est mirandum, & planè stupendum sanctum Euangelistam nullum tantæ mutationis indicium dedisse, sed semper quasi

seruata eadem personarum suppositione dixisse: *vocatus est Iesus, discipuli eius ad Nuptias; post hoc descendit ipse, & discipuli eius; recordati sunt discipuli eius; quanquam Iesus non baptizaret sed discipuli eius, &c.* Atque hinc validum argumentum sumo ad confirmandum, Discipulos eo modo nominatos, ante incarcerationem Ioannis fuisse Apostolos, quia nullo mutationis indicio facto pergit Euangelista eodem prorsus modo illos nominare post incarcerationem Ioannis, & post tempus electionis Apostolorum. Percurre totum textum Euangelistæ, & deprehende si potes vel leue aliquod tantæ mutationis indicium. Legisti capite tertio, quod Iesus in Iudæa baptizabat, hoc est discipuli eius. Statim legis cap. 4. vbi agitur de Samaritana. *Discipuli enim eius abierunt in Ciuitatem, vt cibos emerent.* Et mox: *Et continuò venerunt Discipuli eius, & mirabantur,* & sic deinceps ad finem vsque Euangelistæ historiæ. Verum est Capite sexto legi semel. *Ex hoc multi Discipulorum abierunt retrò.* Quod de turba Discipulorum, non autem de numero duodecim intelligendum est, sed idem Euangelista statim hoc ipsum significat, dum subdit: *Dixit ergo Iesus ad duodecim: numquid & vos vultis abire.* Adde. Neque ibi legi peculiarem illam notam, qua indiuiduos Christi Discipulos, hoc est Apostolos significare consueuit Euangelista. Neque enim dicitur: *multi discipulorum eius*, sed *multi discipulorum*, quod non temerè ab Euangelista factum existimandum est. Nam quoties absolutè discipulos eius dixit; non nisi de numero duodecim significauit. Et sanè ratio postulat, & leges historiæ omninò hoc exigunt, vt pars Euangelicæ Historiæ tàm nobilis, qualis est, qui fuerunt de numero duodecim, qui tàm sæpè inducuntur, aliquo nomine discernantur, & signo aliquo distinguantur à reliquis. Quæro iam, quo nomine significatur Collegium Apostolicum, familia Christi in tota Historia Euangelica? Profectò non aliud nomen quo significari possit inuenies. Nisi hoc absolutè prolatum. *Discipuli eius.* Quare cum S. Euangelista eundem perpetuo modum seruet, siue ante, siue post incarcerationem Ioannis, dicendum est, aut nunquam per hanc phrasim. *Discipuli eius,* significari propriè Apostolos, aut semper.

Et quidem ita à præcipuis Ecclesiæ Doctoribus hanc Euangelistæ locutionem esse intellectam. Habeo primo ex Ambrosio, qui vocatos illos ad Nuptias absolutè appellat Apostolos. Neque alio fundamento vt manifestum est, nisi quia ab Euangelista dicuntur absolutè Discipuli eius. Videatur Serm. 14. de Epiphania, qui sic ferè incipit. *Descripsimus Beatos Apostolos vno viso miraculo, hoc est aqua in vinum à Saluatore conuersa in eum protinus credidisse. Ita enim ait Euangelista de Domino: Et manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli eius.*

Idem sensit, est eodem modo intellexit Augustinus, qui lib. 2. de consens. cap. 17. docet illos vocatos ad nuptias, dictos ab Euangelista esse Discipulos eius per quandam figuram anticipationis; loquitur Augustinus iuxtà sententiam eorum, qui docent electionem Apostolorum factam fuisse post mortem Ioannis Baptistæ, atque adeo multo post Nuptias Canæ Galilææ Porrò in tantum Euangelista inuitatos illos per figuram vocauit discipulos eius, in quantum per discipulos eius intelligebat Apostolos, quorum electio præsupponitur nondum facta fuisse. Itaque ait Augustinus loco citato, illo modo locutionis hoc dictum est, quo loquimur, cum dicimus Apostolum Paulum in Tarso Ciliciæ natum, neque enim tunc

iam erat Apoſtolus, ita diſcipulos Chriſti inuitatos ad nuptias cum audimus, non iam diſcipulos, ſed qui futuri erant diſcipuli intelligere debemus, iam enim vtique diſcipuli Chriſti erant, quando iſta narrata, atque conſcripta ſunt. Et ideo ſic de illis locutus eſt temporum præteritorum narratur. Hæc Auguſtinus, qui apertè loquitur de diſcipulis è numero duodecim, qui abſolutè dicti ſunt poſtea *diſcipuli eius:* Hæc fuit potiſſima cauſa cur Beatus Ioannes tanto poſt tempore ſcribendum ſuſceperit Euangelium, quia cum trium Euangeliſtarum libros vidiſſet, probauit quidem, fidem, & veritatem dictorum, ſed vidit deeſſe aliqua, & ea maxime, quæ primo prædicationis ſuæ tempore geſſerat Dominus. Nam tres Euangeliſtæ priores, ea narrant quæ Dominus geſſit, poſtquam Ioannes Baptiſta conjectus eſt in carcerem, ideſt, vt ait Ribera extremo anno prædicationis Chriſti: Vnde Matthæus cap. 4. poſt quam narrauit Domini Ieiunium, & tentationem, ſtatim ſubdit: *Cum autem audiſſet Ieſus, quod Ioannes traditus eſſet*, & Marcus cap. 1. ſimiliter fecit. *Poſtquam autem traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam*, & Lucas cap. 3. priuſquam incipiat aliquid referre de actibus Chriſti, narrat Ioannis vincula, & decollationem, & ideo rogatus Ioannes Apoſtolus vt adderet quæ duobus annis prioribus fecerat Dominus, ſcripſit Euangelium. Quod autem hoc addere voluerit, ait Ribera, facile Euangeliſta ipſe indicat, Capite enim ſecundo ait: *Hoc fecit ſignorum initium Ieſus*, & cap. 3. *Nondum enim Ioannes miſſus erat in carcerem*, quod ideo dicit, ait S. Thomas ſuper hoc loco, vt det intelligere quod ipſe incœpit narrationem de factis Chriſti ante alios Euangeliſtas. Alij nanque incœperunt narrare opera Chriſti ſolum à tempore incarcerationis Ioannis, & ideo quia omnia facta Chriſti ante Ioannis incarcerationem prætericrant, Ioannes, qui vltimo Euangelia ſcripſit, defectum hunc ſuppleuit, & hoc inſinuat cum dicit. Nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem, hæc S. Thomas. Non eſt ergo mirum S. Matthæum per recapitulationem tantum, enaraſſe vocationes non pertinentes ad vltimum annum Prædicationis Chriſti. Eſſet vero mirabile affirmare Vocationes primorum, & primariorum Diſcipulorum Chriſti non pertinenere ad primum annum prædicationis Chriſti. Quomodo enim Apoſtoli teſtes fuerunt, vt præſupponebat Petrus *in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus incipiens à Baptiſmate Ioannis, vſque in diem, qua aſſumptus eſt à nobis*. Nonne hæc ſunt verba Petri, præcipuè directa ad Coapoſtolos? Quomodo, & in quo ſenſu locutus eſt Chriſtus diſcipulis ſuis Ioannis 15. *Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Quid eſt illud: *Quia ab initio*; & quod eſt illud: Quia *mecum eſtis.* Hoc poſtremum intelligo ex verbis Marci cap. 3. *Et fecit vt eſſent duodecim cum illo.* Illud verò primum; quid videlicet ſignificet *ab initio*; omninò volo vt explicent Aduerſariis ſuis verbis. Manet ergo, quotquot Nuptiis tanquam diſcipuli Domini interfuere, eos Apoſtolos extitiſſe ſiue illorum perfecta vocatio tunc facta fuerit, ſiue poſtea poſt incarcerationem Ioannis.

In Prologom.

Act. 1.



CAPVT VI.

Vtrum Apostoli vocati fuerint ante celebratas Nuptias atque adeo ante incarcerationem Ioannis Baptistæ.

I. *An Apostoli non dum celebratis Nuptiis, eoque non incarcerato Ioanne Baptista vocati sint?*

EX hactenus obseruatis videtur sequi, Apostolos vocatos fuisse ante celebratas Nuptias, atque adeo ante incarcerationem Ioannis, & ratio fundamentalis est, quia vt ex Euangelica historia est manifestum, à Mysterio Nuptiarum Apostoli Christo inseparabiliter adhæserunt, sic vt non vlterius ad propria remearint, sed illum perpetuo, vt Magistrum discipuli sint sequuti. Quid enim clarius narrationis illo contextu, quo vt superiori capite memorauimus in omnibus Christi expeditionibus, functionibus, & itineribus, semper illi consociati dicuntur *Discipuli eius.* Si Christus vocatur ad Nuptias, vocantur Discipuli eius; si mox descendit Capharnaum, descendunt discipuli eius; si ascendit Hierosolymam, ascendunt discipuli eius, & sic perpetuò vsque ad finem.

Ergo ad argumentum oppositum capite præcedenti relatum de Vocationibus Petri, & Andreæ, tum etiam Iacobi, & Ioannis, quos Capite quarto eharrat S. Matthæus. Respondemus, eas ordine temporis factas fuisse ante celebratas Nuptias Canæ Galilææ. Quare Matthæus non seruat ordinem historiæ hic, vt benè opinatur S. Augustinus, qui libro 2. de Consens. cap. 17. *Fortè,* inquit, *Matthæus, quod prætermiserat recapitulauit*, quia non ait ipse, post hæc ambulans iuxta Mare Galilææ, vidit duos fratres, sed sine vlla consequentis temporis differentia, ambulans autem, inquit, iuxtà Mare Galilææ, vidit duos fratres, &c. Proinde fieri potest, vt postea narrauerit, non quod postea factum erat, sed quod prius prætermiserat. Hanc responsionem probat, & sequitur S. Thomas in cap. 2. Ioan. explicans illud. *Post hæc*; post Nuptias; *descendit Capharnaum ipse, & discipuli eius.* Neque mirandum est Matthæum, & eadem est ratio de Marco, & Luca, huiusmodi Vocationes non nisi per recapitulationem commemorasse, quia non pertinebant ad historiam vltimi anni prædicationis Christi, quam præcipuè contexendam susceperat. Aduersarios autem hoc loco appello omnes illos qui docuerunt, quæ narrat Matthæus de Vocatione Apostolorum facta reuera esse, postquam Ioannes Baptista traditus est, inter quos est Franciscus Toletus, explicit ergo ille quid significet. *Ab initio.* Verba Toleti paraphrastica super hoc loco hæc sunt. Non Spiritus Sanctus tantum, sed etiam vos testimonium perhibebitis de me quia ab initio meæ prædicationis, & manifestationis factæ Mundo mecum estis & mecum conuersati estis, & ex visu, tanquam oculati testes omnia quæ facta sunt, testari poteritis, vt omnia adsint testimonia Diuina, & humana, & mox magis explicans verbum illud Christi. *Ab initio.* Hac inquit. Motus ratione Act. 1. dixit Petrus. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à Baptismo Ioannis vsque in diem, qua assumptus est à nobis, testem Resurrectionis eius nobiscum fieri, vnum ex istis. His verbis declarat Petrus, verbum hoc Christi: *ab initio,* nempe à Ioannis Baptismo, quando se Mundo manifestare incœpit. Toletus ergo

Explicent vero Aduersarij.

his verbis asserit expresſè duo: primum eſt, illud, *ab initio*, intelligi de initio Prædicationis, & manifeſtationis, alterum, Initium hoc Prædicationis, & manifeſtationis intelligi à Baptiſmo Ioannis Baptiſtæ, idque ex declaratione S. Petri Act 1. Ex quibus contra ipſius ſententiam ſic argumentor. Apoſtoli fuerunt cum Chriſto tanquam teſtes præordinati, & tanquam diſcipuli eius, Ab initio Prædicationis,& manifeſtationis hoc eſt à Baptiſmate Ioannis, ergo fuerunt cum Chriſto tanquam tales, antequam Ioannes traditus eſſet. Antecedens eſt ex verbis Autoris, conſequentiam demonſtro. Quia Baptiſmus Ioannis non durauit vltra incarcerationem Ioannis, & planè cum vita illius extinctus eſt, vt docent communiter Interpretes cum S. Auguſtino, quia nimirum ſolo illius perſonali miniſterio nitebatur, vt ſicut Ioanni nullus ſucceſſit in munere præcurſoris, ita neque in miniſterio baptizandi illo Baptiſmo. Quare ſanctus Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 57. inter diſcrimina Baptiſmi Chriſti, & Ioannis, hoc etiam affert. *Baptizabat*, inquit, *Chriſtus per diſcipulos ſuos, Ioannes quoque ipſe, non per alios, ſed manibus ſuis*, quod colligit etiam P. Suarez ex ipſo Euangeliſta. *Erat autem & Ioannes Baptizans in Ænon iuxtà Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur, nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem;* vbi ponderanda eſt, ait Suar. illa particula, *Enim*, redditur enim cauſa, quod Ioannes baptizaret, quia nondum erat miſſus in carcerem, ex quo colligitur non per diſcipulos, ſed per ſe ipſum baptizaſſe; nam ſi per diſcipulos baptizaſſet, potuiſſet vtique Baptiſmus eius durare etiam ipſo conjecto in vincula. Hoc idem colligit ex illis verbis eiuſdem Ioannis, *qui miſit me baptizare, ille mihi dixit;* Soli ergo Ioanni, ait Suarez, datum eſt præceptum baptizandi, nec legimus datam eſſe ei poteſtatem communicandi munus illud cum aliis hominibus; ordinabatur enim ad Chriſti manifeſtationem. Vnde concludit Suarez, quod quanquam ille Baptiſmus eſſet tantum in aqua, tamen quatenus erat ceremonia quædam Sacra, vna ex circumſtantiis illius erat vt à Ioanne ſolo miniſtraretur, & ideo peculiari ratione dicebatur Baptiſmus Ioannis.

Ioan. 3. *Ioan. 1.*

Cum ergo Baptiſmus Ioannis durauerit tantum vſque ad incarcerationem Ioannis, conſequens ſit, vt qui fuerunt cum Chriſto à Baptiſmate Ioannis, fuerint cum illo ante incarcerationem Ioannis. Sed quanto tempore ante incarcerationem Ioannis? Nam Baptiſmus Ioannis, minimum durauit per annum vt oſtendit P. Suarez diſp. 26. in 3. partem. Quanto igitur ante finem eius Baptiſma, collegit Chriſtus diſcipulos ſuos, quibus dixit, *quia ab initio mecum eſtis?* S. Thomas in cap. 15. Ioan. explicans hoc initium, de quo loquutus eſt Chriſtus, *quia ab initio mecum eſtis*, ab initio, inquit, prædicationis & operationis miraculorum, vt poſſent teſtari de viſu, & auditu ſecundum illud Ioan. 1. Quod vidimus, & audiuimus. Ex quo etiam poteſt accipi, quod Chriſtus non fecit miracula in pueritia, ſed ſolum ex tunc, ex quo diſcipulos congregauit. Vnde ſic iterum argumentor & aduerſariam ſententiam vlterius vrgeo. Chriſtus ſuos habebat ſecum Apoſtolos ab initio operationis Miraculorum, ergo ſuos habebat ſecum Apoſtolos in Nuptiis Canæ Galilææ. Antecedens eſt manifeſtum ex ipſis Chriſti verbis à S. Thoma explicatis, & quidem merito, cum enim omnes accipiant hoc initium pro initio manifeſtationis, non potuit excludi operatio miraculorum, qua potiſſimum manifeſtari Chriſtus toti Mundo cœpit, habuit ergo ſecum Apoſtolos ab initio operationis miraculorum. Ergo quæ erat inde ducta conſequentia, habuit ſecum illos

in Nuptiis Canæ Galilææ. Sic enim ait Euangelista. *Hoc fecit inium signorum I sus in Cana Galilææ, & manifestauit Gloriam suam.* Ecce initium manifestationis, & operationis miraculorum.

Sed ex hoc fortasse Aduersarij contra nos insurgent, quia si vocatio Apostolorum facta fuit ante Nuptias Canæ Galilææ sequitur non fuisse factum initium miraculorum in Cana Galilææ, quia Discipuli congregati ad Christum fuerunt propter miracula. Ergo aliquod aliud miraculum ante Nuptias fecit Christus, propter quod fuerunt Apostoli congregati, id quod habet præcipuè locum in vocatione Petri quem Christus vocauit obstupescentem propter miraculum, quod fecerat in captura piscium vt fusè narratur à Luca cap. 5. Præcessit ergo operatio miraculorum conuocationem Apostolorum. Quod si vocatio Petri cum captura piscium præcessit Nuptias Canæ Galilææ, iam capturæ miraculum præcessit primum miraculum.

II. *An operatio miraculorum præcesserit vocationem Discipulorum?*

Hoc argumentum plures habet partes, quas oportet elucidare, ac primo falsum est, quod assumitur, operationem scilicet miraculorum priorem fuisse congregatione Discipulorum: quasi propter miracula fuerint discipuli congregati. Vt enim docet S. Thomas 3. par. quæst. 43. art. 3. ad 3. hoc ipsum ad laudem Discipulorum pertinet, quod Christum sequuti sunt cum nulla eum miracula facere vidissent, & affert autoritatem Gregorij, qui Homilia quinta in Euangelium Matthæi: audistis, inquit, quia ad vnius iussionis vocem Petrus, & Andreas relictis retibus secuti sunt Redemptorem. Nulla verò hunc facere adhuc miracula viderant. Et ratio huius ordinis videtur esse illa, quam tangit idem S. Doctor in corpore Articuli, quia scilicet miracula facta sunt à Christo, potissimum propter confirmationem doctrinæ eius, & ideo non debuit ante miracula facere, quàm docere discipulos inciperet, quam rationem indicauerat quoque Chrysostomus Homil. 22. in Ioannem illis verbis; *prius,* inquit, *debuerunt congregati discipuli, qui deuoti attenderent miraculis, quæ fieri incipiebant iisque in fide, quam conceperant confirmarentur;* & sanè ex Euangelio Ioannis hoc totum non obscurè colligitur; quia antequam Iesus initium signorum faceret in Cana Galilææ, habebatur vt publicus Magister, & Doctor, quod bene infert Caietanus, ex eo, quod Discipuli Ioannis, interroganti Christo, quid quæritis. Responderunt *Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magister,) vbi habitas?* Quasi dicerent ait S. Thomas, quærimus vt nos doceas, & ideo domum scire volumus, vt non perfunctoriè, & semel, sed frequentes ad te discendi studio accedamus. Eodem titulo appellauit in præclara illa sua confessione NATHANAEL. *Rabbi tu es Filius Dei.* Maneat ergo Christum prius Discipulos congregasse, quàm patrare miracula inciperet, atque adeo, quod narrat Matthæus cap. 4. & Marcus cap. 1. Christum scilicet ad littus Maris Galilææ vocasse ad se primò Petrum, & Andream, & mox Iacobum, & Ioannem factum esse non solum ante incarcerationem Ioannis, verum etiam ante primi miraculi patrationem.

Verum huic responsioni facessit negotium si vera est opinio vtriusque Cornelij, qui existimant sequelam Petri narratam à Luca viso miraculo in captura piscium, eandem omnino esse cum vocatione narrata à Matthæo, ex quo sequeretur factum miraculum ante primum miraculum. Fundamentum huius opinionis est, quia vterque Euangelista concludit discipulos eosdem relictis omnibus

omnibus secutos fuisse Christum. Si igitur, aiunt isti, distinctæ hæ sunt historiæ, cogemur dicere, discipulos, postquam dimiserunt sua, & sequuti sunt Christum recessisse ab eo, & ad sua reuertisse, & vt Cornelius loquitur, quasi apostatasse; non enim aliter bis dici potuisset illos relictis omnibus sequutos esse Christum.

Vt autem difficultatem hanc enodemus ostendenda sunt duo. Alterum id, quod Matthæus narrat de Vocatione Apostolorum distinctum omnino esse ab eo, quod Lucas describit. Alterum, quod Lucas describit gestum esse longè post vocationem narratam à Matthæo.

Ac primo quidem pro distinctione harum historiarum habeo Toletum ipsum, qui sequutus antiquissimos Patres, id vsque adeo esse, inquit manifestum, vt mirum sit recentiores ab ea veritate recessisse. Enumerat autem quinque signa, & argumenta distinctionis, primum quia apud Matthæum vocantur discipuli à Domino, & quidem bini; at apud Lucam nulla est Vocatio, vt notauit Augustinus, sed post miraculum piscium secuti dicuntur Christum. Secundum quia apud Matthæum vocantur Petrus, & Andreas simul; at apud Lucam Andreas non solum non vocatur, sed nec fit eius mentio, nec interfuit in hac piscatione. Lucas enim expresse sic dicit, *similiter Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant Socij Simonis,* si Andreas interfuisset, vtique cum tribus numeratus esset. Tertium quia apud Matthæum prius tempore vacantur, & sequuntur Christum Petrus, & Andreas; postea verò Iacobus, & Ioannes, & apud Lucam simul tempore sequuntur Christum, Simon, Iacobus, & Ioannes. Quartum quia apud Matthæum, Petrus & Andreas vocantur jactantes rete in Mare, & Iacobus, & Ioannes reficientes retia cum Patre suo; at apud Lucam retia jacere omnes desierant capturam desiderantes, eaque lauabant. Christus autem retia laxare iussit, nec ergo jaciebant, nec reficiebant retia quando Christum secuti sunt. Quintum quia apud Matthæum Christus dixit Simoni, & Andreæ: Venite post me, faciam vos piscatores hominum, & quidem ambulans iuxtà Mare hoc dixit; at apud Lucam dixit soli Petro; ex hoc eris homines capiens viuos ad vitam, & quidem non ambulans iuxtà Mare, sed in naui ipsa. Vides quàm aperta sint diuersitatis argumenta, & quam clara signa distinctionis.

Sed vtra historiarum prior tempore fuit? hoc erat alterum examinandum. Aio historiam narratam à Luca de captura piscium, longè post narratam à Matthæo vocationem Apostolorum fuisse, quam Sententiam Toletus antiquam appellat, & communem, probatque quadruplici argumento. Et primo quidem ex ipsa serie narrationis Euangelistarum; nam vocatio illa apud Matthæum facta est in principio prædicationis Christi. vt profitetur Matthæus ipse: at verò quod narrat Lucas euenit, quando eò prædicatio processerat per Galilæam, vt vndique turbæ confluerent, & irruerent in Christum: *factum est autem cum turba irruerent in eum;* ea enim occasione in nauim ingressus est Petri, & sedens docebat de Nauicula turbas. Secundo probat ex ipso contextu Lucæ, & Marci, nam Petrus cum Andrea & Iacobo insecutus dicitur Christum in desertum, & postea turbas inuenisse eum. cumque hæ illum detinere voluissent, dixit se prædicare aliis etiam Ciuitatibus missum esse, & re vera prædicauit aliis Ciuitatibus, in qua prædicatione factum est, quod Lucas refert; igitur iam Petrus cum aliis adhæserant Christo, quando in Nauim Simonis irruentibus turbis, ingressus est. Confirmat tertio, quia

Lucas asserit Petrum, Iacobum, & Ioannem secutos esse Christum; nunquam autem sequuti essent, nisi prius vocati fuissent; sequitur enim, qui iam prius vocati erant à Christo, vt ei adhærerent; Lucas enim nihil de vocatione dicit sed solum absque vocatione secutos esse Christum refert. Confirmat quarto, quia si nondum Christo adhæsissent illi, non se tàm obedientes exhibuissent Christo iubenti vt laxarent retia, cum per totam noctem nihil prendidissent, & iam lassati essent, ac sine spe capturæ. Hæc sunt argumenta Toleti, quæ fideliter retuli, vtpote quæ mirificè seruiunt nostræ sententiæ.

Ad fundamentum ergo contrariæ Sententiæ, quæ vnam, eandemque existimat historiam, eo quod non aliter bis dici potuisse videtur Apostolos relictis omnibus secutos esse Christum.

Respondemus facile cum eodem Toleto quando Apostoli vocati sunt à Domino, tunc reliquisse omnia, quia ita à munere, & officio piscandi cessauerunt, vt nauim & retia, quantum ad dominium, & proprietatem aliis reliquerint, atque hoc per recapitulationem narrauit Matthæus illis verbis: *At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum;* sub retibus enim, intelliguntur, Nauis, Domus, piscandi Officium, & omnia iuxtà illud S. Petri. *Ecce nos reliquimus omnia.* Quia verò ita quantum ad dominium, omnia reliquerunt, vt non omnem omninò vsum abdicarint. Hinc factus est locus rei gestæ, quam narrat Lucas, neque enim vnus, aut alter piscandi actus facit piscatorem, sed continuatio, & professio ait Toletus. Quare nemo Catholicorum Doctorum dicit Apostolos defecisse à Christo, & quasi apostatasse quando post Resurrectionem redierunt ad piscandum. Et fortasse hic apud Lucam ex eadem Christi dispensatione res habuit sicut apud Ioannem, super quem Augustinus Tract. 122. Christus, inquit, non ob aliud credendus est Apostolis ingessisse penuriam, qua compellerentur ire piscatum, nisi dispositum volens exhibere miraculum. S. Gregorius Homil. 24. in Euang. *Discite*, ait, *post Resurrectionem Discipulos ad Artem piscanti reuersos esse.*

Matth. 19.

Quomodo intelligitur relictis omnibus secuti sunt eũ *apud Matth. & Lucam?*

Oportet autem ex ipso Euangelicæ narrationis contextu cognoscere quid significet apud Matthæum, *relictis omnibus secuti sunt eum*, & quid apud Lucam. Apud Matthæum quidem significat Apostolos officium piscandi, cui perpetuò incubuerant abiecisse, & nauis, ac retis proprietatem in alios transtulisse. Apud Lucam verò significat non ab legationem officij, & proprietaris, sed illius actus, cui tunc operam dabant, nimirum, quod piscibus illis, quos prendiderant, relictis, & ab actuali illo vsu nauis, & retis cessantes Christum comitati sunt, & secuti sicut ante sequebantur, à quo ad modicum tempus se separauerunt; non enim perpetuo ei adhærebant. Adde quod cum Apostoli apud Lucam conclusissent piscium multitudinem copiosam, & impleuissent ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur, non incommodè dicere possumus, ait Toletus, illud, relictis omnibus sequuti sunt eum, ad pisces referri relicta enim copia maxima sequuti sunt Christum.

Rectè igitur, & sine vlla contradictione interpretari possumus verbum illud Christi, *ab initio mecum estis* iuxtà explicationem S. Thomæ, ab initio scilicet prædicationis, & operationis Miraculorum, immò iuxtà declarationem S. Petri. *A Baptismate Ioannis* quod tempus verè complectitur, & includit etiam Nuptias Canæ Galilææ.

CAPVT VII.

An vocatio omnium Apostolorum præcesserit Nuptias Canæ Galilææ, itavt iis omnes duodecim interfuerint.

Ex verbis Christi Domini ad Apostolos. *Ioan. 15. Supra explicatis,*

Et vos testimonium perhibebitis quia ab initio mecum estis. Oritur alia quæstio.

AN scilicet vocatio omnium Apostolorum præcesserit Nuptias Canæ Galilææ, ita vt iis omnes duodecim interfuerint. Sanè veritas Verborum Christi videtur hoc etiam postulare, vt nimirùm illi omnes secum fuerint ab initio quibuscum loquebatur cum dixit: *Ab initio mecum estis*. Constat autem verba hæc directa esse omnibus Apostolis, quia sunt verba magni illius Sermonis, quando aderant omnes, quamuis reuera quando Christus hæc protulit verba, Iudas Proditor è Cœnaculo exiuerat, & abierat, vt patet Ioan. 13. & ideo quantum est ex vi horum verborum, non est necesse vt Iudas Canæ Nuptiis adfuerit. Cæterum reliquos omnes vndecim astitisse, & probant satis hæc verba, & aliunde etiam probari potest quia ex cap. 2. Ioannis colligimus adfuisse, illos nimirum, qui in Euangelio dicuntur fratres Domini. *Post hæc,* ait Euangelista, hoc est celebratis Nuptiis in Cana Galilææ, *descendit Capharnaum, ipse, & Mater eius, & fratres eius, & discipuli eius.* Quærunt iam Doctores, qui sint hi fratres Christi, & illos esse consentiunt, de quibus dicitur apud Matth. 13. *Nonne Mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas.* Constat autem ex his duos saltem fuisse Apostolos. Iacobum nimirum minorem, & Iudam Thaddæum, qui frater fuit eiusdem Iacobi, hos autem Doctores appellant posteriores, & inferiores, non quidem Sanctitate, & meritis, potius enim congruum est cogitare ait Cornelius in cap. 10. Matthæi, Verbum carnem assumens, eos, qui sibi carne magis erant conjuncti, magis quoque Diuinitati suæ per gratiam vniuisse: quare cum Iacobus, & Iudas vt pote consobrini Christi, fuerint per cognationem carnis vicini humanitati, hinc & Diuinitati eiusdem per gratiam fuere conjunctiores sicut caro, & humanitas Christi Diuinitati fuit conjunctissima. Neque specimen vllum exhibitum in eo fuit quasi acceptationis personarum quia Christus elegit Apostolos, non vt essent principes opulenti, & lauti, sed ad labores, paupertatem, Cruces, aculeos, & martyria, vnde eis dedit quidem copiam bonorum, at non temporalium, sed tantum spiritualium, quod Charitatis ordo poscebat, iuxtà quam parentibus, & cognatis maiorem quàm aliis gratiam, & sanctitatem optare, & curare oportet, non ergo posteriores appellantur quasi merito inferiores, sed Vocatione, & tempore Apostolatus, ob quam posterioritatem in Catalogo Apostolorum semper inter vltimos nominantur. Immo vix alia assignari potest causa cur Iacobus Alphæi, dictus à Marco fuerit Iacobus Minor, ad differentiam alterius Iacobi

I. *An omnes duodecim vocati ante celebrationem nuptiarum Cana Galilaa.*

II. *Cur Iacobus Minor dicitur?*

fratris Sancti Ioannis. *Erant autem & Mulieres de longè aspicientes, inter quas erat Maria Iacobi minoris Mater.* Peto cur Iacobus hic dictus est minor? Vel enim minor alio Iacobo fuit dignitate & merito, vel ætate, vel antiquitate, seu vocatione ad Apostolatum. Sed non fuit minor dignitate, & merito, propinquissimus enim Christo fuit; vnde peculiari quadam ratione frater Domini dicebatur, & erat, non solum quia eius patruelis, siue consobrinus propriè, & in primo gradu fuit, in quo gradu non erant filij Zebedæi, sed potius quia Christo simillimus fuit, non tantùm forma & vultu, verum etiam moribus & conuersatione, ita vt à Græcis Patribus ἀδελφόθεος idest frater Dei, cognominetur, atque inde factum fuit vt fideles post Christum in Cœlum ascensum è variis Prouinciis certatim Hierosolymam pergerent Sancti Iacobi videndi causa, vt in eo viderent, & intuerentur Christum. Teste S. Ignatio Epist. 2 ad Ioannem.

Non ergo Iacobus dictus est minor ratione dignitatis, & meriti; neque ratione ætatis, vt enim probat Christophorus à Castro, & ex eo Cornelius, Iacobus minor, senior fuit Iacobo maiore nouem vel decem annis vt minimum. Minor enim maioris erat Auunculus; immò si verum est, quod tradit Epiphanius hæres. 70. eum scilicet occubuisse anno ætatis 96. post Ascensionem Christi 24. sequitur cum à Christo vocatus est ad Apostolatum fuisse penè septuagenarium, quod tamen propter Apostolicos labores ad quos vocabatur non videtur credibile.

Cum ergo B. Iacobus non fuerit alio minor, neque dignitate, neque ætate. Superest vt minor fuerit Vocatione ad Apostolatum. Et sanè hæc est communis, & vera explicatio, quam indicat Beda in catena S. Thomæ vbi ait, *vocabatur autem minor Iacobus ad distinctionem maioris, qui inter primos vocatus est à Domino.* Hoc autem fundamento iacto sic argumentor. Apostoli minores hoc est qui posteriores vocatione reliquis fuerint, & qui propterea in Catalogo Apostolorum vltimo semper loco recensentur, interfuerunt Nuptiis. Ergo reliqui omnes, qui vocatione fuerunt anteriores. Antecedens explicatum est in persona Iacobi minoris, cum par omnino sit ratio aliorum, qui fratres etiam Domini dicti sunt. Consequentia per se clara est.

Verum contra hæc omnia, quæ hactenus dicta sunt argumentum occurrit non leue, quia si statuamus Vocationes omnium Apostolorum factas esse ante Nuptias Canæ Galilææ, dicendum est non breue tempus à Christi Baptismo ad nuptias interfluxisse, saltem impossibile esse videtur, Collectionem omnium Apostolorum perfectam esse spatio duorum mensium, quod spatium iuxtà Cornelij Chronotaxim interiectum Baptismo & Nuptiis est. Hoc argumentum felici quadam necessitate nos cogit communem Ecclesiæ opinionem amplecti, quæ habet inter Christi Baptismum, & Nuptias plus temporis intercessisse de vno enim, eodemque die canit Ecclesia. Hodie stella Magos duxit ad Præsepium, hodie Vinum ex aqua factum est ad Nuptias, hodie à Ioanne in Iordane Christus baptizari voluit. Hodie, hoc est, hoc ipso die, quo Christus adoratus à Magis est, nimirum sexto die Ianuarij, reuolutis triginta annis, eodem scilicet sexto Ianuarij baptizatus est, anno verò proximè sequenti eadem planè die recurrente initium signorum fecit in Cana Galilææ, mutando aquam in Vinum. Atque is sine dubio sensus communis in Ecclesia est, *sicut à Patribus nostris accepimus*, ait Bernardus Ser. 1. Epiphaniæ. *Sicut relatu paternæ traditionis instruimur*, ait S. Maximus in Serm.

de Epiphania. *Sicut sententia, & consuetudo docet Ecclesia*, ait S. Thomas in cap. 2. Ioannis, ex qua sequitur subdit S. Thomas, quod ad minus vnus annus elapsus fuit à Baptismo vsque ad Nuptias. Possumus addere cum Epiphanio hæresi 51. Sicut Deus ipse testatur, in memoria enim tanti miraculi *etiamnum* ait Epiphanius *eodem die vndecima mensis Tybi, quæ apud nos est sexta Ianuarij quidam fontes in vinum conuertuntur.* Quid ad hoc Cœli testimonium Aduersarij?

Cur ergo Deus, obijcit sibi Cornelius idem miraculum conuersionis in vinum quotannis renouauit die sexta Ianuarij? Causa est, ait ille, quod Ecclesia illo die hoc miraculum celebret, esto illa die non contigerit. Sed verè responsio ista non conuincit, ideo enim Deus illo die miraculum renouauit, quia illo contigit die, vnde fieret, vt cum renouatione miraculi in illius primi memoriam, dies illa anniuersaria ab Ecclesia celebraretur. Hoc sanè Epiphanius insinuauit loco citato vbi tres aquas nominat, quæ die sexto Ianuarij in vinum vertuntur, primam, fontem Cibyres, secundam, fontem in Gerasa, tertiam, Nilum; & ait: *nos bibimus de Cybires fonte, fratres verò nostri de eo, qui est in Gerasa in Martyrum templo, sed & multi de Nilo hoc testantur.* Cum ergo tres isti fontes vinoso sapore nunquam fluxerint nisi hoc die, manifestum fit hoc miraculum non esse patratum nisi ad recolendam memoriam vini ex aqua à Christo producti illo certo die. Qua de re legendus est noster Gretserus in Curopalate pagina 236. quem citat Cornelius ipse in cap. 3. Matthæi. Sed quoniam Cornelius affirmat Baptismum Christi ipsa sexta Ianuarij die contigisse. Quæro ex ipso, vnde hoc habet? Respondet in cap. 3. Matthæi. Certum quasi esse ex traditione Christum baptizatum esse die sexta Ianuarij, eadem scilicet, qua ante triginta annos adoratus fuerat à Magis. Vnde, inquit Ecclesia, eadem die memoriam baptismi Christi recolit. Ecce totum argumentum quasi Traditionis, memoria scilicet, quam illa certa die Ecclesia celebrat. Dictus hodie à Ioanne in Iordane Christus baptizari voluit, sed eadem affirmatione, & eodem modo Ecclesia hoc eodem die memoriam huius primi miraculi recolit, dicens: *Hodie vinum ex aqua factum est ad Nuptias.* Ergo idem argumentum habemus traditionis. Immo si animaduertamus ordinem, quo tria hæc eximia opera Ecclesia recolit reperiemus seruatum ab illa esse ordinem quemdam, non successionis, quo gesta sunt, sic enim prius debuisset recoli Baptismus, quàm miraculum conuersionis, sed cuiusdam certitudinis ita vt iuxtà sensum fidelium, & Patrum testimonia certius quodammodo sit illo die Christum adoratum à Magis, quam aquam conuersam in vinum, & rursus certius aquam illo die conuersam in vinum, quàm eodem die esse baptizatum; sed quidquid sit de hoc ordine certitudinis, si cum fundamento loqui velimus, alterutrum est dicendum, scilicet, vel omnia illa tria Mysteria eodem die esse facta, vel de nullo illorum definitè constare, an in illo die fuerit factum necne. Vnde ego quoque miror cum P. Suarez disp. 26. in 3. par. Sect. 1. quomodo recentiores aliqui cum illud primum negent, potuerint de aliquo illorum determinatè tàm constanter affirmare illo die factum esse, cum nullum sit maius fundamentum ad hoc asserendum de vno quàm de alio.

III. *Quando fuerunt celebratæ Nuptiæ in Cana?*

Sentiamus ergo cum Ecclesia omnia hæc tria miracula facta esse eadem die, atque adeo Nuptias celebratas esse eadem sexta Ianuarij reuoluto anno, ex quo tandem sequitur, ait S. Thomas, quod ad minus vnus annus elapsus fuit à Baptismo vsque ad Nuptias.

Verum ſicut ſpatium bimeſtre anguſtius erat vt caperet vocationes omnium Apoſtolorum, ita fortaſſe integri anni tempus maius eſt, quàm vt Euangelij geſtis impleri poſſit, & ſanè qui docent vocationes Apoſtolorum factas eſſe poſt Nuptias, & poſt incarcerationem Ioannis laborant in anno integro implendo; dicunt, nec ſine fundamento Chriſtum non minorem partem illius anni poſt Baptiſmum tranſigiſſe, quaſi in vita priuata; verſabatur enim ſæpè inter homines, vt vnus è multis, & ideò Ioannes dixit: *Medius autem veſtri ſtetit, quem vos neſcitis;* & veniebat ſæpè ad Ioannem vt turbis oſtenderetur, & paulatim Ioannes eum indicabat turbis, primo obſcurius, deinde in dies apertius, vt patet ex verbis. *Hic erat, quem dixi, &c.* Quo etiam ſignificat ſe multo ante de illo fuiſſe loquutum. Deinde addit P. Suarez: poſtquam ſatis fuerat Ioannis prædicatione manifeſtatus, cœpit prædicare, & Diſcipulos vocare, ac congregare Doctoris ac Magiſtri munus exercendo, vbi ad intentum adhuc magis explicandum facit, quod docet Chryſoſtomus Chriſtum ſcilicet noluiſſe a principio aliquem vocare, antequam aliquis ſpontaneus ei adhæreret per prædicationem. Ioannis, quia homines magis exemplo trahuntur, quam verbis. Exod. 25. *Cortina trahit cortinam.*

Diſput. 26.

Quod autem miracula adhuc facere non incœpiſſet hoc certe impedimento non erat quominus ad ſe homines conuerteret. Aliqui enim, vt ait S. Thomas agens de vocatione noſtri NATHANAELIS, quæ ſecundum omnium ſententiam præceſſit primum miraculum, dupliciter conuertuntur ad Chriſtum; quidam per miracula viſa, & expreſſa in ſe, & in aliis; quidam verò per ſpirationes internas, & per prophetiam, & prænoſcentiam occultorum futurorum; ſed efficacior, inquit, eſt modus per prophetias, & prænoſcentiam futurorum conuerti, quàm per miracula. Ipſi enim Dæmones, & aliqui homines eorum auxilio aliqua mira prætendere poſſunt, ſed futura prædicere ſolius Diuinæ virtutis opus eſt. Iſai. 49. *Ventura quoque annuntiate, & dicemus, quod Dij eſtis.* Et inde eſt, concludit S. Doctor, quod Dominus non per miracula, ſed per prænuntiationem occultorum NATHANAELEM ad fidem trahit. Non erat igitur neceſſarium ad primum vocandos Apoſtolos, patrare miracula, ſed potius vt cum Chryſoſtomo dicebamus, congruum fuit prius congregari Apoſtolos, qui deuoti attenderent miraculis, quæ fieri incipiebant, vnde totus per ipſos Mundus vocaretur & crederet.

In cap. 1. Ioan.

Noſtra igitur ſententia eſt, omnes vocationes Apoſtolorum factas eſſe ante primum miraculum, quo Chriſtus manifeſtauit gloriam ſuam, vt ait Euangeliſta, & Apoſtoli inſeparabiliter illi adhæſerunt.

Verum huius diſputationis filo longiùs exiſtimatione producto, implicatus eſt nodus planè difficilis; ſi enim vocationes omnium Apoſtolorum factæ ſunt ante Nuptias Canæ Galilææ; ſequitur à die vocationis primorum Apoſtolorum vſque ad diem Nuptiarum ſpatium aliquod rationabile interfluxiſſe, ſunt enim interponendæ reliquorum vocationes, quæ ſanè cum aliqua ſucceſſione factæ ſunt. Ergo aliquis ſaltem menſis in conuocatione omnium poſitus à die vocationis primorum Apoſtolorum, vſque ad diem Nuptiarum elapſus eſt: & quia conſtat vocationes Apoſtolorum factas eſſe in Galilæa, ſequitur quoque deſcenſum Chriſti à Iudæa, vbi celebratus eſt eius Baptiſmus fuiſſe non breui tempore ante eaſdem Nuptias, quæ in Galilæa ipſa factæ ſunt. Hinc oritur difficultas, quia ex Euangelio textu Sancti Ioannis videtur colligi Nuptias fuiſſe celebratas tres tantum dies poſt-

quam Christus descendit in Galilæam. *Et die tertia*, inquit S. Ioannes, *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Quamuis autem variè Doctores exponant, quæ sit hæc *dies tertia*, plerique tamen in eo conueniunt, vt numeranda sit ab ea, quæ in fine superioris Capitis est signata: Illa autem fuit dies profectionis in Galilæam quòd fuit vltimum tempus ab Euangelista descriptum illis Verbis: *In crastinum voluit exire in Galilæam & inuenit Philippum.* Ita docet Origenes tom. 9. in Ioannem, quem sequuntur plerique recentiorum. Tertia, inquit Iansenius ab adita Galilæa. Tertia, inquit Toletus, à die qua exiuit in Galilæam. Tertia, inquit Mariana, postquam iuit in Galilæam. Tertia, inquit Bernardus, ab illa qua in Galilæam profectus est. Tertia, inquit Cornelius à Christi abitu in Galilæam. Itaque secundum hanc sententiam, prima dies fuit descensus in Galilæam, & vocationis Philippi, secunda dies, accessus NATHANAELIS in Canam, tertia quando ibidem hæ Nuptiæ celebratæ sunt. Ecce totum tempus collectionis Discipulorum in Galilæa ante nuptias inclusum in triduo. Probant quoque prædicti Autores, alteram sententiam adhuc strictiorem, vt numeranda sit hæc dies tertia à visitatione, & conuersione Andreæ, & Petri, quam præcedente capite narrat Ioannes v. 35. Illa enim die, inquit Cornelius, cœpit Iesus colligere discipulos, iisque se patefacere; inde ergo Ioannes computat hîc diem tertiam, quo iisdem planè se patefecit, ostenditque se esse Messiam per conuersionem aquæ in vinum. Ex qua explicatione hoc sequitur mirabilius totum scilicet tempus Collectionis Discipulorum factæ in Galilæa ante nuptias, vix excedere vnum diem. Nam illa visitatio & prima conuersio Andreæ, & Petri facta fuit in Iudæa vbi baptizabat Ioannes. *In Crastinum autem,* ait Euangelista, *voluit Christus exire in Galilæam.* Fuit hoc crastinum, inquit Cornelius dies secunda ab aduentu Andreæ, & Petri ad Christum, quo die venit in Galilæam, inde die tertia Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Vides vix vnum diem relictum colligendis discipulis in Galilæa ante Nuptias.

Augetur difficultas ex nostris principiis, quia quidquid sit de vocatione primorum Apostolorum, certè NATHANAEL, qui ex nostra sententia fuit sextus ordine vocationis Apostolus, vocatus videtur proximè ante nuptias. Quare Euangelista narrata vocatione Nathanaelis, statim ait: *& tertia die Nuptiæ factæ sunt.* Vnde Ribera insistens principiis Tertulliani, qui docet numerum dierum referri debere ad rem proximè narratam. Diem tertium numerat à vocatione & colloquio cum NATHANAELE. Si ergo Nathanael fuit ordine sextus, & proximus nuptiis; sequitur, vel ante nuptias sex tantum Apostolos fuisse ad Christi societatem adscitos, vel spatio vnius tantùm, aut alterius diei vocationem reliquorum omnium etiam Matthæi factam esse, vtrumque autem dictis, & rationibus repugnat.

Vt autem difficultatem hanc planè soluamus, & explicemus germanum sensum verborum Euangelistæ, ostendam prius nullo modo admitti posse positam interpretationem de *die tertia*, quæ scilicet numeranda sit à die, de qua dicitur Ioan. 1. *In crastinum voluit exire in Galilæam,* quod vt planè demonstrem, libet Ecclesiæ sententiam supponere, Baptismum videlicet Christi, eiusque primum miraculum, eodem omnino die contigisse, atque adeo à Baptismo ad nuptias Canæ Galilææ annum integrum interfluxisse; & ne videatur hoc suppositum minus firmum libet afferre super ipso verba quædam Sanctissimi, ac doctissimi viri Simonis

de Cassia Ordinis S. Augustini, qui floruit ferè ante quadringentos annos. Is igitur lib. 5. cap. 1. de rebus gestis Domini Saluatoris, Christus, inquit, à die sui Baptismatis, vsque ad eundem diem reuoluto anno nullum miraculum fecit. Nemo autem in hoc, quod dico se fallat, quoniam auctoritas sanctæ Matris Ecclesiæ longa consuetudine roborata hoc asserere me compellit. Quæ illud solum quamuis non per Scripturam declaratum, in consuetudinem inuariabilem suscepit, quod à gestis, & moribus Apostolorum, atque Discipulorum, ipse in suo motu, & inchoatione cognouit, eo igitur die, quo Saluator baptizatus est, anno reuoluto, Ecclesia infallibiliter hoc nobis tradente, fecit miraculum initium miraculorum. Hæc ille. Cuius antiquioris iudicio attexam alterum recentioris; is est Sebastianus Barrada, vir hoc sæculo satis notus qui tom. 2. lib. 1. cap. 12. recitato præcedenti testimonio, Hanc, inquit, sentētiam perspicuè Ecclesiæ verba significant ei, qui tergiuersari nolit, quorsum enim Ecclesia vno, eodemque die illa celebraret quæ eodem die acta esse non putaret? numquid deerant dies diuersi, qui his miraculis celebrandis destinarentur? Immo illo eodem die esse peracta asserit, celebrat verò diuersis diebus, scilicet ipso Epiphaniæ sacro die, magnum aduentum; in Octaua Epiphaniæ Baptismum, Dominica sequenti, aquæ in vinum transmutationem. Quid igitur opus erat affirmare eodem die esse peracta, si diuersis contigerant? Ecclesiam sequor, quæ manifeste loquitur, nec indiget expositione, hanc opinionem, illam elegit, eandem ego eligo. Hæc ille.

Posita igitur hac Ecclesiæ sententia, vt propositum eumeamus, operæ pretium erit Chronotaxim Euangelicam vna cum Aduersariis ipsis collato studio conficere, à die Baptismatis vsque ad diem eius reditus in Galilæam, de quo apud Ioannem dicitur: *In crastinum voluit exire in Galilæam.*

IV. *Christus quomodo fuit baptizatus.* Ergo anno quintodecimo Tyberij Cæsaris Christus die sexta Ianuarij, eadem scilicet die, qua ante triginta annos, à Magis adoratus fuit, baptizatus est à Ioanne, & à Patre declaratus quis esset: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

V. *Christus quando cœpit ieiunare.* Die septima Ianuarij cœpit Iesus Ieiunium quadragesimale in Deserto, quo illicò à Baptismo eadem ipsa die secessit, vt se ad opus prædicationis præpararet.

Die ab inchoato Ieiunio quadragesimæ, quæ fuit decima-quinta Februarij victo tentatore Diabolo reuertitur in Galilæam, & quindecim diebus manet in Nazareth, ait S. Epiphanius Hæresi 51.

VI. *Legatos ad Io. quando miserunt Iudæi.* Die prima Martij, quæ fuit à Baptismo 56. ait S. Epiphanius; erat enim ille annus bissextilis, ac consequenter Februarius habebat 29. dies, Iudæi Legatos miserunt ad Ioannem, rogantes, an ipse esset Messias.

Die secunda Martij. *Altera die*, ait Euangelista, *vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei.*

Die tertia Martij. *Altera die*, ait Euangelista, *iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & respiciens Iesum ambulantem dixit: Ecce Agnus Dei, & audierunt eum duo discipuli loquentem, & sequuti sunt eum; & apud eum manserunt die illo.*

Die quarta Martij. *Andreas*, qui erat vnus ex duobus discipulis adduxit Petrum ad Iesum.

Hactenus in Iudæa fuimus. *Nam hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem*

vbi

vbi erat Ioannes baptizans. Ioan. 1. & ambulauimus pariter cum Aduersariis, & præcipuè cum Cornelio; qui pergit hoc modo. Postridie item, puta die quarta Martij. Iesus vocauit Philippum, &c. Ecce ad eam deuenimus diem, de qua post adductum Petrum ad Iesum, statim ait Euangelista: In crastinum voluit exire in Galilæam & inuenit Philippum, &c.

Ergo consentientibus Aduersariis dies quarta Martij est dies, qua Iesus voluit exire in Galilæam. Ergo est dies iuxtà computum Epiphanij, & Cornelij, sexagesima post diem Baptismi Christi. Et iuxtà sententiam Ecclesiæ trecentesima ante diem eiusdem Baptismi anniuersarium, qui fuit dies Nuptiarum Canæ Galilææ. Quomodo ergo fieri, aut intelligi potest, vt cum initio secundi Capitis dicit Euangelista: & die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, hoc referri debeat ad eam diem sexagesimam à Baptismo Christi, quasi ab illa ad hanc Nuptiarum, tres tantum fluxerint dies, & non potius trecenti, seu decem menses?

Quid ad hæc respondere possint Aduersarij non satis video. Alterutrum enim optent necesse est, aut vt dies Nuptiarum retrahatur, & quasi retrorsum redeat decem mensibus, aut vt dies exitus in Galilæam longius totidem mensibus producatur. Similem optionem dedit Isaias Ezechiæ Regi. *Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? Et quidem Ezechias respondit, facile est vmbram crescere decem lineis, nec hoc volo vt fiat, sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus.* Ego vero vtrumque æquè existimo. Et quidem quod petit Cornelius vt dies Nuptiarum per decem menses, quibus iam ex Ecclesiæ sententia descendit in Euangelio Ioannis retro conuertatur perinde mihi difficile est, ac miraculosum Prophetæ fuit, qui, vt ait Scriptura, *reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in Horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.* Renititur enim nimis Ecclesiæ autoritas, & communis ferè Patrum consensus, quos cum S. Thoma sequuntur Scholastici magni nominis. Quod verò petit Caietanus vt dies exitus in Galilæam protrahatur per totidem menses ferè vsque ad diem anniuersarium Baptismi, ita vt Christus manserit, vt ipse ait, vsque ad calcem anni in Iudæa, & tunc primo incœperit congregare discipulos. Æquè difficile mihi est. Primo ex fine huius exitus, è Iudæa in Galilæam, qui iuxtà S. Thomam duplex fuit, & vterque probat exitum illum protrahi non debuisse per totum annum. Prima ratio litteralis, ait S. Thomas, exitus Iesu in Galilæam est quia postquam baptizatus fuerat à Ioanne, volens honorem deferre Baptistæ, exiuit in Galilæam à Iudæa recedens, ne sua præsentia offuscaret, & minueret Ioannis Magisterium, dum adhuc statum habet, docens nos honore inuicem præuenire. Secunda ratio est quia in Galilæa non sunt insignes personæ, à Galilæa Propheta non surgit, & ideo voluit exire illuc Iesus, & eligere inde Principes orbis terræ, qui sunt Prophetis maiores, vt per hoc suam virtutem ostendat. *Posuit desertum in stagna aquarum.* Hæc S. Thomas. Ex vtraque autem ratione seu fine infertur exitum à Iudæa post Baptismum non fuisse differendum per annum. Ac prima quidem ratio ducta à respectu ad Ioannem hoc planè probat, quia primus annus post Baptismum fuit verè primus annus Prædicationis, seu Doctrinæ Christi, vt est aperta sententia Scholasticorum in 3. par. quæst. 39. art. 3. vbi S. Thomas dat causam, cur Christus conuenienter fuerit in trigesimo anno baptizatus; quia, inquit, Christus baptizabatur quasi ex tunc incipiens docere, &

l. 4. Reg. c. 20.

Rom. 12.

Psal. 106.

prædicare, ad quod requiritur perfecta ætas, qualis est triginta annorum, ideo statim à Baptismo illa ipsa die secessit in desertum, vt inde quemadmodum suus Præcursor fecerat, Euangelium afferret, vt notat Maldonatus. Publicè ergo, & Doctoris more, statim post exitum è deserto docere incœpit Christus nam priuatim de rebus Diuinis, etiam ante colloqui consueuerat, vt indicant verba illa Lucæ: *Iesus proficiebat sapientiâ apud Deum, & homines*; proficere sapientia apud homines, ait Barrada, non potuit nisi sapienter loqueretur, loquebatur autem sapienter non publicè, sed priuatim: itaque annum ingressus trigesimum à Baptismo voluit incipere. Et sanè nisi ille tunc incipere voluisset, non dixisset S. Thomas, Christum post Baptismum voluisse à Iudæa recedere ne sua præsentia offuscaret, & minueret Ioannis Magisterium. Cum ergo Christus statim cœperit suum Magisterium exercere, & voluerit honorem deferre Baptistæ, dicendum est non ad finem vsque primi prædicationis anni in Iudæa mansisse, sed opportunissimo tempore recessisse.

In c. 4. Matth.

c. 2.

VII. Idem omnino euincit altera ratio. Cum enim statuisset Christus eligere Apostolos Prophetis maiores, non in Iudæa Matre Prophetarum, sed in Galilæa, vbi Propheta non surgit, & cum statuisset eligere illos ab initio gestorum suorum, quibus propterea dicere posset: *Vos testimonium perhibebitis quia ab initio mecum estis*; non debuit in Iudæa transigere primum annum prædicationis suæ, sed in Galilæa. Quare merito Simon de Cassia de Miraculis Saluatoris lib. 5 contexens breuem Chronotaxim primi anni Prædicationis Christi, hæc habet: completis in ætate Christi viginti nouem annis tredecimque diebus, octauo Idus Ianuarij baptizatus est, & tarditatis molimina nesciens eodem die sub ducatu Sancti Spiritus, vt homo abiit in desertum, vbi 40. diebus, & totidem noctibus indesciflis moram faciens decimo tertio Kalendas Martij egressus est, & prædicans per vniuersam Galilæam, in Synagogis, Plateis, Viis, & domibus elegit Apostolos, atque discipulos, nullum miraculum illo primo anno prædicationis suæ faciens, quo reuoluto, eodem die quo baptizatus est, primum signorum suorum fecit in Aqua cum inuitatus esset ad Nuptias. Vides qua ratione grauis hic, & antiquus autor complectitur primo Prædicationis anno vniuersam electionem Apostolorum ante omnem miraculorum operationem. Et quidem in Galilæa iuxtà Vaticinium Isaiæ 9. Propterea, inquit, Rupertus voluit exire volens omnino prophetiam implere, dicentem: *primo tempore alleuiatum est terra Zabulon, & terra Nephtalim, via Maris trans Iordanem Galilææ gentium.*

Christus vbi cœpit prædicare, eiusdemque prædicationis primus annus.

At, inquit Caietanus, Ioannes Euangelista describit tàm accuratè propinquitatem dierum quibus Iesus congregauit Discipulos ad diem Nuptiarum anniuersarium Baptismi, vt intelligamus Iesum vsque ad calcem anni mansisse in Iudæa, & conuersatum cum Ioanne, circa finem autem anni incœpisse congregare discipulos, venisseque in Galilæam ad manifestandum se ipsum. Audio, sed vnde probat Caietanus propinquitatem illorum dierum ad diem Nuptiarum anniuersarium Baptismi? An ex eo quod gesta in die Nuptiarum descripta sint proximè post descripta gesta illarum dierum? sed nonne potest vnum alteri esse longo proximum interuallo? Debuit autem hoc interuallum relinqui à Ioanne, quia illi propositum potissime fuit quædam supplere, quæ priores omiserant Euangelistæ, omiserant autem tum gesta illarum dierum, quando voluit exire in

Galilæam, tum gesta diei Nuptiarum Canæ Galilææ, sed interposita gesta prædicationis, & vocationis Apostolorum decem illis mensibus comprehensa, non omiserant, sed ea recapitulando satis explicauerant, vt patet ex Monotessaro valde accurato Zachariæ Episcopi Chrysopolitani, qui floruit ante quingentos annos tempore Paschalis secundi Pontificis. Et sanè si quis consideraret finem primi Capitis sancti Ioannis, non obscurè huiusmodi interuallum animaduertet. Terminatur enim ex abrupto, & nullo relicto vestigio propinquitatis. *Et dixit ei : Amen, Amen dico vobis, videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super Filium hominis.*


Cum igitur dies, quo voluit Iesus exire in Galilæam non possit ascendere, & dies, quo initium Miraculorum idem Iesus fecit coram discipulis suis, non possit descendere, interpretatio illa Aduersariorum de die tertia nullo modo potest sustineri.

Sed qua ratione interpretabimur Euangelistam inchoantem secundum Caput his verbis : *Et die tertia Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*, profectò tertia dies, secundam præsupponit, & primam. Quæ nam igitur est prima dies, quæ nam secunda, ad quas hæc tertia referatur ? Vt breuibus rem perstringamus. Dicimus cum Ruperto, Guilliaudo, Gagnæo, Maldonato, diem tertiam Nuptiarum referri ad duas dies ab Euangelista præcedenti Capite signatas. Conjunctio, *&*, quæ præponitur, ait Rupertus, ad superiora diligentem remittit lectorem, videlicet hoc modo. *Altera die stabat Ioannes. In crastinum voluit exire in Galilæam, & die tertia Nuptiæ factæ sunt.* Tres ergo dies numerantur, candido planè signandæ lapillo. Prima qua Christus conuersus, & videns duos sequentes se, *dicit eis : Quid quæritis ?* Notandum autem, ait S. Thomas, quod hoc est primum verbum, quod Christus in isto Euangelio loquitur, & congruè, quia primum, quod quærit Deus ab homine est recta intentio. Quid quæritis ? Felix Dies, in quo visa est inchoatio primi fructus ex testimonio Ioannis, & consummatio eiusdem facta per Christum. Secunda dies, notatione dignissima, illa est, de qua dicitur : *In crastinum voluit exire.* Exiuit olim primo per creationem ; exiuit iterum per Incarnationem, hoc iam tertio exire voluit per illuminationem ; de hoc enim exitu in Galilæam, dixit Isaias iuxtà S. Thomam, *habitantibus in Regione vmbræ mortis lux orta est eis. Lux eis*, ait S. Thomas, *non ipsi iuerunt ad lucem, sed lux exiuit ad eos.*

Obseruant Interpretes, vocem illam, *in crastinum*, eandem esse in Græco, quam conuerterant. *Altera die*, vt idem sit in crastinum hoc loco, quod secunda die, quod monui vt luculentius pateat, quam non coactè sit dictum.

Et tertia die Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.

ET ERAT MATER IESV IBI.



CAPVT VIII.

Sub quo agnomine B. Apostolus Nathanael inter duodecim numeretur.

An scilicet vna eademque persona fuerit cum Beato Bartholomao?

I. *B. Nathanael quo agnomine inter Apostolos recensetur.*

INCVMBIT iam nobis onus ostendendi sub quo tandem agnomine Beatus Apostolus Nathanael inter duodecim numeretur; cum enim probatum sit illum vnum fuisse de duodecim, & sub proprio Nathanaelis nomine non recenseatur; videndum est sub quo ex recensitis, seu nomine, seu agnomine comprehendatur. Et quoniam inualuit satis opinio, etiam apud Aduersarios, si Beatus Nathanael fuit Apostolus, eum eundem omninò esse cum Beato Bartholomæo; operæ pretium erit indicare, per quos tandem gradus omnes ferè Autores in eam cogitationem descenderunt, neque enim inter hæc duo nomina apparet vlla connexio, per quam ea in vnam eandemque personam ita coïrent, tantam secum traherent turbam etiam Aduersariorum, quod vt quo distinctius eo clarius ostendatur sit.

CAPVT IX.

I. *Vtrum Bartholomæus sit nomen proprium?*

MIHI quidem super hac re seriò cogitanti, illud primò veniebat in mentem, iustum videlicet visum omnibus fuisse, vt cum cæteri Apostoli, aut proprio non careant, aut pluribus etiam nominibus abundent, de proprio nomine inueniendo, ageretur Apostolo qui nullum haberet. Etenim tenendum est tanquam certum Bartholomæum non esse nomen proprium certæ personæ potius quàm Bar-Iona fuerit nomen Petri, aut Bar-Timæus illius Cœci, qui sedebat iuxtà viam. *Marc. 10.* Nam siue Bartholomæus nomen sit Syriacum, siue Hebraïcum, illud, *Bar*, in vtroque Idiomate significat filium, vt sicut Bar-Iona idem est quod filius Ionæ, vel Ioannis, & sicut Bar-Timæus, idem est quod filius Timæi, ita Bartholomæus idem sit quod filius siue Ptolomæi, siue Tholomæi, vtrumque enim nomen est viri proprium, & antiquum in Sacra Scriptura. Hanc assertionem, vt planè stabiliam, proferam primò ex Aduersariis ipsis, Interpretes duos linguarum apprimè peritos, qui quamuis pro Nathanaelis Apostolatu non sentiant, in explicandâ tamen Bartholomæi notione nobiscum planè conueniunt.

II. *Sententia Riberæ. Ioan. 1.*

Primus sit Franciscus Ribera, qui in suis Commentariis in Euangelium secundum Ioannem, explicans illud: *Tu es filius Iona*, hæc habet. Est igitur Bar-Iona nomen compositum, idest filius Iona, quemadmodum Bar-Timæus, filius Timæi, Bartholomæus filius Tholomæi. Vbi vides eandem ab hoc Doctore agnosci nominis notionem in Bar-Iona, & in Bartholomæo.

III. *Lorini.*

Alter sit Ioannes Lorinus in cap. 1. Act. Apostolorum, vbi sic ait. Nomen Bartholomæi, vel potius cognomen à Patre retinendum est, significans filium Tholomæi, vel Tholmi sicut Bar-Iona, Bar-Timæus, filium Ionæ, & Timæi.

Ex fautoribus profero pariter duos. Alphonsum Salmeronem, & Cornelium à Lapide. Salmeron p. 1. Tract. 10. tom. 4. hæc habet. Bartholomæi nomen, non tàm est Hebraïcum, quam Syrum, & significat filium Tholomæi, sicut Bar-Timæus dicitur filius Timæi, nec est nomen proprium Apostoli, magis quàm Bar-Iona, proprium fuit Petri. IV. *Salmeronis.*

Cornelius in cap. Matthæi decimum. Verius est, inquit, Hebræis Bartholomæi idem esse, quod filius Tholomæi vt habet Syrus, vel Tholomi. Sic Bar-Timæus idem est, quod filius Timæi, & Bar-Iona est filius Ionæ. V. *Cornelij.*

Hoc iacto, tanquam primo fundamento, incipit statim apparere, quam rationabilis inquisitio sit nominis proprij personæ, quæ appellatur filius Tholomæi, siue quod idem est, Bartholomæus. Sicut enim si Princeps Apostolorum numeraretur semper in Catalogo, non aliter quàm sub hac voce *Bar-Iona*, digna sacro Interprete esset quæstio, & inquisitio Hominis proprij Principis Apostolorum, qui diceretur filius Ionæ. Ita cum non aliter in Apostolorum Catalogo nominetur Apostolus hic, qui est ordine sextus, quàm filius Tholomæi seu Bartholomæus; æquum planè est, nec solum Interprete, sed quocumque Christiano homine digna inquisitio de eius nomine proprio, An, vbi, quale, & quantum sit, nisi fortè deceret parentis alicuius nomen filios ignorare: Singuli autem Apostoli vniuersæ Ecclesiæ Patres, ac Genitores fuere, sicut etiam Pastores, & Duces. Hanc iustam quæstionis instituendæ occasionem, & fundamentum viderunt sine dubio Aduersarij nostri; ideo eorum aliqui non ita facile hoc primum fundamentum admiserunt. Inter hos est Franciscus Toletus in cap. 1. Ioannis, vbi ait. Dicunt Bartholomæum nomen esse commune, quasi idem sit, quod filius Tholomæi; quod si aliquid probaret, nec Barnabas, nec Barsabas essent nomina propria. Hæc ille.

Toletum sequutus est Benedictus Pererius, & quidem stylo paulo animosiore. Isti, inquit, sumunt pro certo quod probari ab ipsis deberet, nomen scilicet Bartholomæi non fuisse nomen proprium; id enim ex partium eius nominis significatione argumentari vtile est; ista enim ratione, nec Barsabas, nec Barnabas, nec Barabbas fuissent nomina propria. Hæc Pererius. Sed ego contra miror tantos viros pro certo tenere, Barsabam, Barnabam, & Barabbam fuisse nomina propria. VI. *Barnabas an nomen propriũ?*

Prouocemus ad Scripturas; ac primo quidem de Barnaba sic legimus in cap. 4. Act. Apost. ver. 36. *Ioseph autem qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius Consolationis) Leuites, Cyprius genere, cum haberet Agnum vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.* Ecce hic tria expressa. Primum, nomen proprium Barnabæ. *Ioseph autem.* Secundum, non nomen sed cognomen additum ab Apostolis, *Qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis*, & addit sanctus Lucas interpretationem, causam reddens cognominis additi, quæ videtur illa fuisse, quia Ioseph vendito agro, oportuno subsidio consolatus est fidelium inopiam, quod sicut fuit primis illis fidelibus exemplo, & ædificationi, ita Apostolis consolationi. Sicut ergo iustum fuisset quærere ec quodnam fuit nomen illius filij, *qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis*, ita non minus rationabile erit quærere, quodnam est nomen illius electi filij, qui dicitur Bartholomæus ab Euangelistis.

Sed veniamus ad Barsabam. De Barsaba sic habemus in cap. 1. eorundem Act. Apostolorum. *Et statuerunt duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognomi-* VII. *Barsabas an nomen propriũ?*

natus est Iustus, & Matthiam. Ecce hic iterum expressè. Alterum Iosephi, quod fuit nomen proprium personæ, quæ vocabatur Barsabas. De qua voce sic scriptum reperio apud linguarum peritos, *Barsabas.* Idem est quod filius Sabæ, sicut Bar-Iona idem est quod filius Ionæ. Est quidem controuersum an Pater huius Ioseph, *qui cognominatus est iustus* vocatus sit Sabas, ad eum modum, quo Pater S. Petri vocatus est Iona, vel Ioannes. Posset enim, vt ait Cornelius *Sabas* accipi vt appellatiuum significans Iuramentum, ita vt Barsabas idem sit quod filius Iuramenti.

VIII. *Barsabas an filius Sabæ.* Cæterum, quod, siue interpretur filius Sabæ, siue filius Iuramenti, non fuerit nomen proprium personæ, habetur vt certum. Puto tamen habere me non leue argumentum, quo probam Patrem huius Iosephi nominatum propriè fuisse Sabam, ita vt Barsabas propriè significet, & sit idem quod filius Sabæ; & colligo ex interpretatione alterius loci eorundem Actuum cap. 15. ver. 22. vbi redit mentio alterius Barsabæ his verbis. *Tunc placuit Apostolis, mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus.* Quærunt hoc loco Interpretes, quisnam fuit hic Iudas, vir primus in fratribus, hoc est, vt interpretatur Pagninus, *Vir primarius, præcedens, præeminens, & quasi Dux cæterorum.* Communis responsio est, fuisse fratrem germanum illius Ioseph, qui cum Matthia propositus est. Neque alio nituntur fundamento, nisi quia vterque cognominatus est Barsabas. Quod sanè fundamentum nullius planè momenti esset nisi præsupponerent Barsabam significare filium certi viri, qui vocabatur Sabas.

Sed quoniam Pererius cogit nos componere cum Barnaba, & Barsaba discipulis Christi, Barabbam illum compositum Christo componere illum non solum cum Barnaba, & Barsaba discipulis, verum etiam cum Bar-Iona, & Bartholomæo Apostolis Christi, modò tandem dimittantur omnes.

IX. *Barabbas an nomen propriū? c. 27.* Barabbas ergo sicut Bar-Iona, non fuit nomen viri proprium, sed agnomen, vt sit vulgo impositum homini famosissimo.

Colligo hoc primo ex ipso modo narrandi Euangelistæ. *Habebat autem*, ait Matthæus, *tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.* His duobus verbis comprehendit Euangelista conditionem personæ, dicit *insignem*, hoc est sceleribus nobilem, & famosum; tum quasi compendio complectens, quàm esset insignis, & quàm celebris apud omnes, subdit, veluti in argumentum famositatis, *dicebatur* seu cognominabatur *Barabbas.* Potuisset quidem Matthæus dicere illum fuisse *latronem*, vt Ioannes dixit, eo, vt opinatur Maldonatus, sensu quo Latini latrones vocant eos, qui publicas obsident vias, & prætereuntes trucidatos expoliant. Potuisset etiam indicare occasionem qua captus fuerat, & vinctus, vt fecit Lucas, *qui erat*, inquit, *propter seditionem quandam factam in Ciuitate, & homicidium missus in carcerem*, sed satis dixisse se de illo existimauit addendo, *qui dicebatur*; & hoc iam nomine vulgò iactabatur, *Barabbas.* Sed quid tandem monstri est istud Barabbas? Barabbas ait Euthymius cum communi, idem Hebraïcè est quod filius Abbæ, seu Patris. Bar enim, filius, Abbas autem, Pater. Bene est. Sed numquid non omnes sunt filij Patris! Hic Interpretes. Patris, hoc est Diaboli, ait S.Thomas; Ex Patre Diabolo; quasi diceret, ita erat insignis, vt vulgò Diabolus, seu potius per quandam excellentiam filius Diaboli appellaretur. Et rectè conuenit, inquit Toletus, interpretatio: Diabolum enim eorum Patrem

In c.27.Matth. *23. 19.* X. *Barabbas, vnde dictus, & quare?* *In c.19.Ioan.*

Christus dixerat; hic autem eiusdem Patris filius, frater eorum erat talis filius, qualis Pater, & fratres. Et sanè in hac annominatione iuxtà Populi opinionem, magna videbatur posita vis à Pilato, qui moliebatur Christi liberationem. *Quem vultis*, inquit, *dimittam vobis? Barabbam an Iesum, qui dicitur Christus?* Ecce duo filij hic alter innocens est, scelestus alter, & vterque filius Patris. Quem vultis dimitti vobis? illum ne, quem ob perditos mores, appellatis filium Diaboli, an illum, qui apud vos dicitur Christus, hoc est Messias ille promissus tanquam filius Dei? Sed non immeritò, ait Ambrosius, homicidæ absolutionem petunt, qui flagitabant innocentis exitium. Tales leges iniquitas habet, vt oderit innocentiam, scelus diligat, in quo, & nominis interpretatio speciem dat figuræ. Barabbas enim Patris filius latinè dicitur; illi ergo quibus dicitur, *vos ex Patre Diabolo estis:* vero Dei filio Patris sui filium Antichristum prælaturi esse produntur. Scio quod scribit sanctus Hieronymus de Barraba scripto per duplex, r, Iste, inquit in Euangelio. quod scribitur iuxtà Hebræos, filius Magistri eorum interpretatur. Sed sensus eodem redit, eundem enim, quem habuit Patrem, habuit Magistrum, & discipulum insignem in scelere, sicut discipulum Patris, ita filium Magistri appellamus. *In c.27.Matth.*

Omnia ergo huius generis nomina, non sunt primò imposita, & tanquam personarum propria à parentibus tradita, sed plerumque ex occasione aliqua superaddita. Quod generalissima inductione demonstrari potest; quo fit, vt cum in huiusmodi nominibus istud Bartholomæi numeretur, fundamentum non leue teneamus personam illi suppositam suum proprium primitiuum, & ab ipsa natiuitate nomen habere, quod hoc loco nobis inquirere propositum est.

CAPVT X.

Quodnam sit nomen proprium Bartholomæi? Vtrum scilicet sit nomen personæ singularem conjunctionem habentis cum Philippo.

SED quam interim viam inibimus proprium Bartholomæi nomen inueniendi, si de Bartholomæo nihil prorsus apparet in vniuerso Euangelio, quod nos aliquo possit ducere; nisi forte venatico, more æquo Interpreti Sacræ Scripturæ satis ad tentandum sit particula vna conjunctionis, *Et*, quâ vt mox ostendemus quotiescumque Bartholomæus nominantur, semper, & vbique cum Philippo Coapostolo copulatur; omninò aliquid latet in illa conjunctione, &, Apostolo, quod concesserim Abulensi, cæteroquin obscuro, & prorsus tacito, cum nihil de eo legatur in Scriptura saltem sub nomine Bartholomæi, sicut de omnibus aliis, ait ille, ferè aliquid legitur, Apostolo, inquam, obscuro, & tacito, prouidit satis Diuina Scriptura, è suis particulis vnam elargiendo, per quam obuersus Philippo cerneretur, Philippus, ait, S. Hieronymus, interpretatur *Os lampadis*, cui dedit Dominus apertionem oris illuminantis. Ille, sanè facem præbebit, ille viæ ineundæ prælucebit. *In c.10.Matth.* *In c.3. Marc.*

Examinemus ergo vtrum peculiaris, & notabilis connexio sit inter personam quæ dicitur Bartholomæus, & personam Philippi.

I. *Nomen Bartholomæi an dicit singularem connexionem cum Philippo.* Ter tantùm à tribus Euangelistis memoratur noster Apostolus sub nomenclatura Bartholomæi. Apud Matthæum cap. 10. Apud Marcum cap 3. & apud Lucam cap. 6. Nam apud Ioannem nullo modo tale vocabulum memoratur. Ab omnibus autem tribus Euangelistis semper conjunctus, & associatus Philippo nominatur. Non piget hoc loco Euangelicos textus exscribere. Matthæus ergo sic habet: *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius (Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius)* PHILIPPVS, ET BARTHOLOMÆVS.

Marcus. *Et vocauit ad se, quos voluit ipse, & venerunt ad eum; & imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi; & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij Tonitrui, & Andream, &* PHILIPPVM, ET BARTHOLOMÆVM.

Lucas. *Et cum dies factus esset, vocauit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit, Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem,* PHILIPPVM, ET BARTHOLOMÆVM.

II. *An semper Bartholomæus associatur Philippo?* Hic habes primum, & præcipuum Senarium Apostolorum ab omnibus Euangelistis sub iisdem nominibus expressum, præit semper agmen Petrus, claudit semper Bartholomæus. Vides vt loquitur Hieronymus, tria paria, & iuga consociata. Primum iugum, par fratrum, *Petrus, & Andreas.* Secundum iugum par fratrum, *Iacobus, & Ioannes.* Tertium iugum par plusquam fratrum, *Philippus, & Bartholomæus.* Neque te moueat, quod apud Marcum, Petrus, & Andreas non videantur iugati, interjectis nimirum filiis Zebedæi. hos enim vt rectè Maldonatus, *In c. 10. Matth.* quasi per parenthesim posuit Marcus, quia simul dicere voluit, quibus Christus nomina mutauerat. Cæterum finita parenthesi socium reddidit socio, & Petro suum Andream copulauit: Atque hic vlterius obseruo, quod quamuis in sacro Canone non seruetur in enumerandis Apostolis, ordo, qui nunc est in Euangeliis per Hieronymum emendatis, seruatur tamen in hoc, quod Petro, cum quo vnum facit Paulus succedit Andreas, Iacobo Ioannes, & Philippo Bartholomæus, quod argumento est etiam priusquam à S. Hieronymo Euangeliorum codices Latini ad vetera exemplaria Græca corrigerentur illa tria paria Apostolorum semper apud Euangelistas fuisse eodem modo iugata, nam ex diuersitate enumerationis in aliis colligit Bellarminus *Lib. 2. de Missa c. 20.* ex Vvalfrido cap. 22. eam partem Canonis fuisse compositam ante Hieronymi correctionem. Quod argumentum fieri etiam potest ex Litaniis indictis à Conciliis antiquissimis, Gerundensi Aurelianensi, Moguntino, Toletano, Bracarensi, quæ ferè omnia celebrata fuerunt ante annos mille, *Bell. de Sanc. Beat. c. 15.* & ex iis, quas indixit S. Gregorius tempore Pestis, & quibus nunc vtitur sancta Mater Ecclesia. In his enim omnibus sicut in Canone confuso quantumuis Euangeliorum ordine, & particulis conjunctiuis omissis, semper memorati superius Apostoli, socius socium consequuntur.

Timuerunt Aduersarij consequentiam, quæ ex talium paritate Binariorum oriri posset, propterea contra perpetuam Bartholomæi cum Philippo associationem, illud sedulo obseruarunt, nominatos videlicet postremo eos à Luca esse in Actibus Apostolorum, & ibi tandem fuisse dissociatos. Quod planè negari non potest, ibi enim dicitur, non Philippus, & Bartholomæus, sed Bartholomæus, & Matthæus.

Reddenda

Reddenda ergo ratio est cur Lucas in Actis, tam diuersus sit, non solum ab aliis Euangelistis, sed etiam à se ipso in Apostolis associandis, & illam quidem reddam libentissimè si prius animaduertant Aduersarij, se nec volentes, nec videntes, non solum Bartholomæi cum Philippo, sed Andreæ cum Petro, & Ioannis cum Iacobo peculiarem conjunctionem oppugnasse. Afferamus verba textus. *Et cum introïssent in Cœnaculum ascenderunt vbi manebant, Petrus, & Ioannes.* Ecce primum par, *Iacobus, & Andreas*: Ecce secundum; *Philippus, & Thomas.* Ecce tertium, *Bartholomæus, & Matthæus.* Ecce quartum. Vides quam diuersè sint à Luca disposita omnia paria Apostolorum, vt iam non sit peculiaris causa Bartholomæi, sed Andreæ quoque & Ioannis communis, illi enim pariter à suis perpetuis continuisque sociis separantur. III.

Cur Philippus & Barthol dissociantur. Act. 1.

Generalis ergo reddenda est ratio eius diuersitatis, & petenda ab eo quod Lucas hîc aliquem seruauit ordinem personis prorsus extrinsecum, vt mirandum non sit, si nulla personalium conjunctionum habita ratione diuersimodè combinati numerentur. Sed qui nam tandem fuit hic extrinsecus personis ordo? Possum huc reuocare sententiam Riberæ, qui cum retulisset ordinem omnium Euangelistarum in enumerandis Apostolis, hæc subdit, Lucas in Actibus Apostolorum, non solum ab aliis Euangelistis, sed à se ipso etiam dissidet. Sed eo loco ordinem tantum mihi videtur seruasse, quo illi sedebant, aut manebant in domo illa Cœnaculi, quod videtur ex eius verbis intelligi, & cum introïssent in Cœnaculum, ascenderunt vbi manebant Petrus, & Ioannes, Iacobus & Andreas, &c. Placuit hæc sententia Lorino, propterea in Commentario huius loci. Ioannes, inquit, ponitur post Petrum secundus, quod alias nec Lucas quidem fecit Catalogum texens Apostolorum, aut alius ex Euangelistis, quia nunc fortasse ordinem seruauit, quo Apostoli sedebant, aut manebant in illo Cœnaculo, provt indicare videntur verba illa præcedentia, & cum introïssent in Cœnaculum ascenderunt vbi manebant, &c.

In c.21. Apoc. Opinio Riberæ.

Et Lorini.

Hæc sententia si vera est, planè soluit difficultatem, quia rectè ostendit extrinsecam ex loco, & planè accidentariam rationem præsentium combinationum. Sed mihi, ne quid dissimulem, suspecta vehementer est, quia ingenerat falsum sensum, quasi reuersi *Viri Galilæi* de Monte Hierosolymam, inuenerint in Cœnaculo sedentes, aut manentes Petrum, & Ioannem, Iacobum, & Andream, & cæteros secundum ordinem in sedendo, quem sequitur Lucas in nominando. Quomodo si Apostoli qui sunt præcipui *Viri Galilæi* reuersi sunt ex Monte, vbi Ascensioni interfuerunt, iidem Apostolos in Cœnaculo sedentes inuenerunt? *Tunc reuersi sunt Hierosolymam,* ait Lucas, *à Monte qui vocatur Oliueti,* ecce habemus Apostolos reuertentes. *Et cum introïssent in Cœnaculum ascenderunt vbi manebant Petrus, & Ioannes, &c.* Ecce eosdem habemus se ipsos in sedibus inuenientes. Quid illuc miraculi est? Sed cur in Cœnaculo sedentes? cur in Cœnaculo bini? at perseuerabant in Oratione. Numquid propterea sedentes, numquid propterea bini?

Reijcitur.

Fateor verba ipsa textus, eò quod non sint iuxtà Græcum clarè interpuncta, occasionem aliquam dedisse eiusmodi cogitationi. Si enim, vt est in Græco post illud, *cum introïssent*, appositum fuisset comma, vt sensus esset, & postquam ingressi sunt, scilicet Ciuitatem qui est verus sensus planus, & historicus, præcesserat enim, *tunc reuersi sunt Hierosolymam.* Si fuisset, inquam, addita illa distinctio,

quam ex Græco liquet addendam, vt notant Gaſpar Sanctius, & Cornelius, profectò emergeret ſenſus hiſtoriæ, in qua additur Apoſtolos aſcendiſſe in Cœnaculum vbi manebant, hoc eſt in ſuperiorem domus partem, vbi Apoſtoli commorari ſolebant. Fuit enim illa quaſi periphraſis Hoſpitij Apoſtolorum; elegerant enim ipſi ad habitandum ſublimiorem domus partem, tùm quia huiuſmodi locus pauperum habitationi vt plurimum deſtinabatur.

Iuuen. Saty 3.

Quem tegula ſola tuetur
A pluuia, molles vbi reddunt oua Columbæ.

tum quia aptior Orationi erat, quo conſilio olim Iudith in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi cubiculum, & Oratorium.

Hanc planè interpunctionem, & ſenſum ſequitur Gloſſa Interlinearis, & cum introiſſent, inquit, in Ciuitatem, aſcenderunt in Cœnaculum vbi manebant, quaſi obuiam Spiritui Sancto.

IV. *Quo ordine enumerantur Apoſtoli, Act. 1.*

Sed quoniam ſedentium ordinem tanquam commentitium excluſimus, quem nam ordinem ſeruatum hoc loco dicemus à Luca, vt tandem objectioni reſpondeamus? Aio ſeruatum quidem ab illo eſſe extrinſecum, & accidentarium ordinem, non ſecundum quem in Cœnaculo ſederunt, ſed ſecundum quem in Ciuitatem, Domum, & Cœnaculum redierunt, & aſcenderunt. Reuoluamus verba textus: *Tunc reuerſi ſunt Hieroſolymam; Tunc*, vbi ſcilicet ab Angelis moniti fuerunt illis verbis: *Viri Galilæi quid ſtatis.* Et quonam Hieroſolymam ingreſſi diuerterunt? diuerterunt vtique ad conſuetum Hoſpitium, quod, vt ait Carthuſianus, erat in Monte Sion propè Templum, & in Cœnaculum, vbi commorari, & manere ſolebant aſcenderunt. Et qua forma ab eo ſpectaculo reuertentes in Ciuitatem, & Hoſpitium ſuum ſe receperunt? Redierunt aſſociati, nec tantum aſſociati, ſed etiam bini. Et quo ordine, & quo quiſque cum ſocio: Ecce ordinem. Ecce ſocios. Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas, & ſic deinceps. Vides quàm ſponte fluit hæc explicatio, & ſanè modus ille recenſendi diſpoſitis Binariis per particulas conjunctiuas potius indicat itineris, & viæ ſocios, quam contubernij. Cum enim Apoſtoli in ſuperiori illa Domus parte vnà ſimul manerent, & habitarent, non erat cur nominarentur bini, quaſi duo, & duo eſſent contubernales, ſed bini recenſiti ſunt, quia vt erant proximi aſtantes in Monte, & aſpicientes in Cœlum, vbi reuerti iuſſi ſunt, religioſo quodam agmine ſe itineri commiſerunt.

Conſtat ergo de perpetua conjunctione Bartholomæi cum Philippo, quatenus nunquam in Catalogo à tribus Euangeliſtis nominatur, quia Philippo conjugatur.

CAPVT XI.

Quid de conjunctione Philippi, & Bartholomæi dicat S. Ioan.

Et an ratio ac cauſa conjunctionis ſit ſocietas Vocationis.

I. *Cauſa conjunctionis hominũ*

SED quid dicemus de quarto Euangeliſta, qui omnium poſtremus Euangelium ſcripſit? Ignorauit ne ille huiuſmodi conjunctionem Bartholomæi cum Philippo? Age quid ipſe in Apocalypſi accepit antequam ſuum Euangelium ſcri-

beret videamus. Sic ergo ait Ioannes cap. 21. Apocal. *Et sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi Ciuitatem. Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, quod autem hac fundamenta.* Illi ipsi sint de quibus Lucas. *Et elegit duodecim ex ipsis, quos, & Apostolos nominauit*, docent quidem omnes Interpretes, sed non egemus hoc loco illorum autoritate, statim enim subdit sacer textus. *Et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Itaque iterum sumus in Catalogo Apostolorum, quem stylo, ac more prophetico contexit hoc modo. *Fundamentum primum, Iaspis. Secundum, Sapphirus. Tertium, Calcedonius. Quartum, Smaragdus. Quintum, Sardonyx. Sextum, Sardius.* Sistamus in sexto quia sistimus in Bartholomæo, quod enim primò certum est apud omnes, vt ait, hoc loco Cornelius; primum hoc Senarium gemmarum primum refert Senarium Apostolorum; eorum scilicet, quos tres Euangelistæ vnanimi consensu ante reliquos nominauerant. Nominauerant autem vt vidimus primo loco Petrum, & post Petrum Andream, Iacobum, Ioannem, Philippum, Bartholomæum.

nominum an societas vocationis.

Luc. 6.

In hoc ergo prophetico Catalogo habemus duo, quæ maximam allatura sunt lucem rei, de qua disputamus. Primum est, connexio Bartholomæi cum Philippo. Secundum est, ratio & causa eius connexionis. Ac primum quidem de connexione, & conjunctione, tanta omninò est inter Philippum, & Bartholomæum, quanta inter Sardonychem, & Sardium, vt enim ex antiquioribus adnotarunt Ribera, Viegas & Cornelius, eum locum Sardonyx, & Sardius habent in gemmis, quem Philippus, & Bartholomæus in Apostolis. Iam quinta gemma Sardonyx, ait Cornelius, significat Philippum, qui in ordine Apostolorum semper est quintus, proxima verò Sardius, quæ gemmarum est sexta, refert Bartholomæum, qui in Apostolorum Catalogo semper est Sextus. Et vide quam peculiaris, & quam arcana conjunctio Bartholomæi cum Philippo, in duabus illis gemmis adumbretur Nam Sardonyx, quæ est præstantissima species Onychis, non solum propinquitatem habet cum Sardio, sed ipsius naturam mirabili quadam ratione participat, vt non sit quicumque Onyx, sed ille, qui tantùm de Sardij tradit rubore, vt Sardium ipsum inuenisse videatur, & inde est ait Vegas quod non simplex Onyx, sed composito ex vtraque gemma nomine Sardonyx appellatur.

Sed vt videamus qua ratione Philippus mysticus Sardonyx, suum Sardium inuenerit, & post se traxerit, oportet indagare causam connexionis, & ordinis inter mysticas gemmas, quod erat potissimum hoc loco propositum. Est autem aduertendum ex hoc prophetico Catalogo Apocalypsis, tenere iam nos ordinem certum inter Apostolos, qui non planè constabat ex Catalogis Euangelicis, quamuis enim sanctus Matthæus incipiat suum. *Primus, Simon, qui dicitur Petrus*, ex quo nomine, *Primus*, deducunt Patres Primatum, quam vocem tantopere oderunt Hæretici, vt ait Bellarminus; non pergit tamen ordinando, secundus Andreas, tertius Iacobus, sed sine vlla ordinis nota reliquos omnes nominat; at Ioannes hoc loco numerat ordinando *fundamentum primum Iaspis, secundum Sapphirus, tertium, &c.* quo ostendit veram seriem ab Euangelistis fuisse seruatam. Si enim, vt rectè Ribera, Ioannes omisso numero, & ordine nomina tantùm lapidum posuisset, intelligeremus tantum singulos Apostolorum virtutibus illis præstitisse, quæ in singulis lapidum significantur: verum cum fundamenta ordine numeret,

II.
Tenetur certus ordo in enumeratione Apostolorum.

c. 10.

l. 1. de Rom. Pont. c. 10.

ordine etiam Apostolos, & hic, & in Euangeliis numeratos esse non dubium est. Quare non solum qui ad primum Senarium pertinent vère sunt primi, & qui ad secundum secundi, sed etiam qui primo loco primi Senarij ponitur verè est primus, & qui secundo secundus.

III. Cum ergo iam de ordine constet, indagandum diligenter est, cuius generis ordo ille sit. An ætatis, an dignitatis, an potius Vocationis. Hoc postremum placuit Abulensi in cap. 10. Matthæi, quem sequutus est Ribera, aliique recentiores, seruatum scilicet ab Euangelistis fuisse vocationis ordinem, non qualiscumque, sed eius, qua Dominus ad se Discipulos vocauit, vt secum perpetuò, & inseparabiliter manerent, tanquam Discipuli cum Magistro; tunc enim Apostoli fundamenta esse cœperunt quando summo Angulari lapidi Christi Iesu immobiliter inhæserunt. Hoc autem ita factum esse colligere licet ex eo quod Matthæus inter Euangelistas exactissimus historicus, & temporis custos illum eundem locum, quem Capite quarto dat Apostolorum quorundam vocationi, tribuit postea capite decimo eorumdem nominationi. Incipit narrare vocationes cap. 4. hoc modo. *Ambulans autem Iesus iuxtà Mare Galilææ, vidit duos fratres; Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, & ait illis: venite post me, & secuti sunt eum.* Ecce duæ vocationes. *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius; & vocauit eos, & sequuti sunt eum.* Ecce duæ aliæ vocationes. Accurramus nunc ad Catalogum vbi nominantur omnes vocati, & obseruemus ordinem. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius.* Ecce duo primi qui fuerunt vocati. *Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius.* Ecce duo secundi pariter post primos vocati. Hæc obseruatio scientibus morem Sacræ Scripturæ, illiusque sacratissimam obscuritatem venerantibus, satis abunde fuit ad illud constantissime æstimandum, seruatum scilicet in Apostolorum Catalogo maximè fuisse ordinem vocationum; sed hoc ita constituto, illa primo se objicit consequentia, vt sicut in Catalogo, post illa duo iuga Apostolorum, sequitur tertium iugum, Philippus & Bartholomæus post illos fuerunt à Christo vocati, tanquam tertium par Apostolorum; ita planè, quia eo ordine à Matthæo Apostoli sunt nominati, quo à Christo sunt vocati. Sed vbi licebit in toto Euangelio cognoscere iugatum in vocatione fuisse Philippo, Bartholomæum, si Bartholomæus sub nomine Bartholomæi nihil prorsus in toto Euangelio habeat peculiare, nisi vnam tantum syllabam conjunctiuam, & vnum, Et, quotiescumque in Catalogo ex intrinseco ordine nominatur, semper cum Philippo copulatur, omnino nihil aliud affixum Bartholomæo reperies. Verùm si quod Hieronymus docuit, singulæ syllabæ, Apices, puncta in Diuinis Scripturis, plena sunt sensibus, hoc vnicum, Et, conjunctiuum cum reliquorum omnium silentio, & reticentia satis superque erit ad tenendum quod quærimus. Nam si nihil voluit Sacra Scriptura peculiariter sciri de Bartholomæo, nisi eum personam esse conjunctam Philippo, hoc omnino de illo sciri voluit, non alium videlicet eum esse à persona, quæ in Scriptura vnicè conjuncta reperitur Philippo. Sed quæ tandem est persona ita conjuncta Philippo? Eamus ad Philippum ipsum, & videamus, an aliquem à prima sua natiuitate consociauerit illi Deus, sicut Andreæ fratrem suum Simonem copulauit. Andream nominaui, quia eodem fermè tempore cum Philippo ambo Christum cognoscere cœperunt. Ab Andrea ergo

Ordo vocationis obseruatur in Catalogo Apostolorum.

Euangelista sic exorditur. *Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: inuenimus Messiam, & adduxit eum ad Iesum.* Ecce confectum iugum, ecce par consociatum, quos Christus ita in vocatione conjunxit, Euangelista in Catalogo non separabit. Pergamus, & videamus, quid statim dicitur de Philippo, qui Christum paulò ante iam nouerat, sicut Andreas *Inuenit Philippus.* Quem? Hic siste Lector. Hic tu quoque, diu multumque quæsitum conjuncti Apostoli nomen inuenies. *Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: inuenimus Iesum.* Ecce persona inuenta, ecce inuentus Bartholomæus. Omnino quos ita Christus in vocatione conjunxit, eos Euangelista in Catalogo non separabit. Afferatur ergo Catalogus, recitentur personæ, vide, ait Hieronymus, quemadmodum Euangelista Apostolorum paria, iugaque consociet, iungit Petrum, & Andream fratres, non tam carne, quam spiritu, iungit Philippum, & Bartholomæum. Ergo vna eademque persona, quæ in vocatione sub nomine Nathanaelis associatur Philippo, eadem sub nomine Bartholomæi eidem Philippo associatur in Catalogo. Vidit hanc personarum identitatem Benedictus Arias Montanus vnus è Theologis Doctoribus Concilij Tridentini vir omnigenæ Litteraturæ, & Sacræ Scripturæ Interpres accuratissimus, ideo quotiescumque vel Nathanael, vel Bartholomæum nominat, vtrumque semper nomen in eadem persona componit. Quare in interpretatione textus de Vocatione Nathanaelis, Nathanael, inquit, qui cognominatur Bartholomæus; & rursus in interpretatione textus de Catalogo Apostolorum. Nathanael, inquit, proprio nomine, cognomento Bartholomæus. Neque vnus æuo suo Montanus fuit, qui hoc tanquam certum assumeret, nam paulo ante illum Onuphrius Panuinus, vir ingentis lectionis, vt ait Posseuinus, quem propterea Paulus Manutius, Historiarum Helluonem appellabat, in Chronico Ecclesiastico ad annum Christi septuagesimum tertium, hæc planè scripserat. Per hæc tempora Bartholomæus, qui & Nathanael Apostolus, apud Persas Christum prædicans, excoriatus capite cæditur. Immo quod est valde notandum, omnes ferè Doctores, qui eo sapientissimo sæculo floruerunt, & rem attigerunt, vti præter Panuinum, & Montanum, Ferus, Salmeron, Iansenius, aliique planè Synchroni omnes in eandem planè sententiam, & eundem loquendi modum conspirarunt, quod propterea monuimus, ne, qui deinceps eandem locutionis formam sequuturi sumus, eiusdem Authores esse videremur. Vocabimus Nathanaelem Apostolum, cognominabimus Bartholomæum, quod ante nos longè sapientiores nobis luce palam, & coràm Ecclesia vniuersa, Tridentino ipso Florente Concilio prodiderunt. Opera nostra erit illorum sententiæ fundamenta vel inquirere, vel firmare, quod ipsi, & pluribus, nec minus grauibus Sacræ Scripturæ controuersiis occupati, præstandum posteris reliquerunt.

Ioan. 1.



CAPVT XII.

Aliis argumentis probatur Apostolatus B. Nathanaelis. Quod nec ad occupandum Iudæ locum propositus sit ab Apostolis, nec inter septem Diaconos admissus, nec sub nomine Nathanaelis ab Ecclesia colatur.

PARS PRIMA.

I. *Apostolatus B. Nathanaelis aliis rationibus probatur.*

ALTERVM argumentorum genus pro Apostolatu Beati Nathanaelis desumi potest ex quibusdam præcipuis actis Ecclesiæ, in quibus si vnus ille de duodecim non fuisset debuisset omninò, nec sine præcipua honoris prærogatiua nominari. Ac primò sese offert prima illa, & verè maxima nascentis Ecclesiæ functio, electio scilicet duodecimi Apostoli in locum Iudæ; ex illa autem sic argumentor. Nulla potest afferri sufficiens ratio cur Beatus Nathanael non fuerit propositus in locum Iudæ, sicut Ioseph, & Matthias, nisi dicatur præfuisse iam ille in numero Apostolorum. Ergo verè fuit vnus de numero Apostolorum. Tota vis est in duobus minimè obscuris. Alterum est, Ecclesiam illam primam eos tantùm proposuisse, & statuisse tanquam Apostolatus candidatos, super quos iaceret sortem, quæ electum à Deo Apostolum designaret; illos in quam tantum, quos omnium optimos, & dignissimos iudicauit. Alterum est, post Apostolos, qui hoc loco extrà sunt controuersiam, neminem in Ecclesia tunc fuisse, qui si cum B. Nathanaele conferatur pluribus ad Apostolatum dotibus esset ornatus, aut in maiori existimatione, & pretio omnibus esset. Ac primum quidem facile sibi quisque persuaserit, si consideret cum suis, personarum, loci, ac temporis circumstantiis, rem ipsam, de qua agebatur.

II. *Potestas Ecclesiastica non solum Petro, sed & aliis Apostolis data fuit.* *2. Cor. 11.* *l. 1. de Rom. Pont. c. 9.* *l. 3. de Consider.*

Agebatur de viro subrogando in locum Apostoli, qua dignitate, & munere nihil maius in Ecclesia vnquam fuit. Est quidem nunc magnæ molis electio Summi Pontificis, sed profectò, vt minimum dicam, non minoris fuit Apostoli electio, si quidem summa potestas Ecclesiastica, non solum data est Petro, sed reliquis omnibus, & singulis Apostolis, quamuis Petro, vt alibi diximus data est, vt ordinario Pastori, cui perpetuo succederetur, aliis verò tanquam delegatis, quibus non succederetur. Propterea omnes Apostoli poterant dicere illud Pauli: *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*, quæ vox nunc ab vno tantum Romano Pontifice proficisci potest; nullus enim Episcopus præter Romanum sollicitudinem habuit vnquam omnium Ecclesiarum, propterea solus ipse, ait Bellarminus, vocatus est ab omnibus, Apostolicus Pontifex, & Sedes eius Apostolica simpliciter, & per antonomasiam, & munus eius, Apostolatus. Hinc S. Bernardus loquens de Apostolis omnibus, de quibus dicitur Psal. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram*, ait Eugenio Papæ, *eis tu successisti in hæreditatem, ita tu hæres, & orbis hæreditas.* Iam verò si electio vnius tantùm Ecclesiæ Episcopi, tanti momenti est, vt inter maiores, grauioresque causas ad Apostolicam Sedem spe-

ctantes, iure optimo numeretur. Quantæ molis erat Episcopum proponere omnium Ecclesiarum eligendum immediatè à summo Mundi Pontifice Christo Iesu, & mittendum ab ipso tanquam suum Legatum à latere cum absolutâ potestate per totum orbem, & quod non habent Petri Successores cum auctoritate, & potestate scribendi libros canonicos? Quod si res promotionem illam circumstantes consideremus, magnum accedet argumentum Sanctissimæ, iustissimæque electioni. Tempus erat Sanctissimum, spatium scilicet illud nouendiale, quod inter Ascensionem, & Pentecostem interjectum est, quo tempore omnes fuerunt perseuerantes vnanimiter in Oratione, magna videlicet omnium conjunctione, cum Deo, & inter se, quod est fundamentum præcipuum optimæ electionis. Et sanè oculis Christo, & Cœlo plenis. *(Viri Galilæi quid statis aspicientes in Cœlum?)* Quibus in Beatum illud Cœnaculi Conclaue introierunt, non poterant in ea electione nisi Christum, & Cœlum aspicere; neque mouere quemquam debet numerus electorum, *erat autem*, ait Lucas, *turba hominum simul ferè centum viginti*, quamuis enim tàm multi essent, prælecti tamen erant ex illis *plusquam quingentis fratribus*, de quibus meminit Paulus omnes insignes, omnes excellentes, & ex iis, quos Diuina Scriptura *Viros nominis* appellare consueuit, vnde Græcè habetur, *Turba nominum*, non *Turba hominum*, nouo dicendi genere, vbi turba vsurpatur pro numero, & nominum pro nominatorum quæ lectio ex fonte Græco, ait Salmeron, videtur prægnantior, & fœcundior, ostendit enim illos ad Concilium euocatos, non vulgares fuisse, mediaque de plebe desumptos, sed insignes, & excellentes viros iuxtà morem Scripturæ, vt Apocal. 3. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis quia digni sunt;* pauca nomina hoc est paucos quidem, sed illustres, & magnos homines, & per nomen vocari solitos, nimirum, quia digni sunt Et sanè cum hæc prima electio, in exemplum proposita sit à Spiritu Sancto omnibus futuris Christi Vicariis, ad quos iure Diuino potissimum spectat Episcopos Ecclesiarum designare, Petrus à Christo Ecclesiæ Monarca iam constitutus, non quosuis indiscriminatim ad hanc Congregationem vocauit, sed centum tantum viginti viros nominatos, qui numerus, ait Salmeron ex Apostolis, & ex quibusdam ex septuaginta duobus discipulis, & quibusdam aliis eminentioribus fidelibus conflatus esse videtur; quam rationem, & exemplum secuti hoc tempore Christi Vicarij, & Petri Successores ad huiusmodi electiones, & promotiones non nisi lectissimos, atque prudentissimos viros solent adhibere, quales sunt Eminentissimi Cardinales, quorum solent rogare sententias. 1. Cor. 14.

Itaque ex qualitate eligentium, seu potius proponentium accedente circumstantia Sacrosancti illius temporis, & grauitate negotij, dubitari omninò non potest, qui proponere voluerint, & studuerint, quos, spectatis omnibus, præstantissimos iudicabant. Propterea statuerunt duos, quos ait Lyranus, non distinxerunt ab aliis per sortem, sed per electionem tanquam magis notabiles in scientia, & factorum Christi experientia, quod etiam docet Glossa interlinearis, exemplis, inquit æqualibus duos pares esse cognouerunt, quos cæteris præferendos esse non dubitauerunt, alterum verò præferre alteri, non hominum erat, sed Dei. Consensit Oecumenius, constituerunt inquit duos, quos dignissimos eo gradu existimabant, vt vnum eorum Deus ipse designaret, & sanè non potuissent ipsi tutò aliter

deliberare. Hoc enim intereſt inter Deum & hominem eligentem, ſeu proponentem, quod Deus, qui poteſt idoneos facere Miniſtros noui Teſtamenti pro voluntate ſua quoſcumque delegerit, ipſos facit, & dignos; at homo, qui tantum valet, munus, non dotes conferre, tenetur operam dare, vt non niſi, qui digniſſimi apparent, ſuo ſuffragio proponat, præſertim ſi ſummum aliquod munus tantam excellentiam poſtulauerit.

Firmato igitur altero illo principio de propoſitione digniorum, ſtabiliamus alterum de præeminentia B. Nathanaelis, & ſingulari illius inter alios omnes dignitate, ob quam præteriri omnino non poterat, quo minus non dico à Deo eligeretur, ſed a Congregatione illa, ſaltem cum aliis proponeretur.

III. Ac primo totum id quod maximè ſpectandum præfiniuerat Petrus in eo qui Apoſtolici nominis menſuram implere debebat, abundè, & ſingulariter reperiebatur in Nathanaele, illud autem erat, vt poſſet eſſe teſtis eorum, quæ de Chriſti Myſteriis prædicanda erant, quibus propterea ab initio ad finem vſque interfuiſſet, iuxtà illud Ioan. 15. *Vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Atque hæc conditio propoſita & explicata à Petro fuit, illis verbis: *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à Baptiſmate Ioannis, vſque in diem, qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem Reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis;* hoc fuit potiſſimum requiſitum ad Apoſtolicam præfecturam, quæ ab opere teſtificandi nomen ſuum accepit, ſicut Epiſcopus ab opere inſpiciendi, ſiue ſuperintendendi. Conſtat autem ad teſtandum opus eſſe primo loco, ſcientia. Iam vero fuiſſe in B. Nathanaele, & quidem ſingulariter primum hoc requiſitum manifeſtum eſt ex primo, & vltimo Capite S. Ioannis: ex primo enim habemus illum omnium planè Diſcipulorum fuiſſe antiquiſſimum, ſi tres tantùm Apoſtolos excipias, Petrum, Andream, Philippum; ex vltimo vero habemus perſeuerantem eum fuiſſe in Chriſti diſcipulatu cum antiquiſſimis illis Apoſtolis vſque in finem. Quare, ſi interim non loquamur de iis, qui extrà controuerſiam Apoſtoli ſunt, nemo facit ex toto numero diſcipulorum, qui maiori ſcientia, & experientia polleret omnium geſtorum, & miraculorum Chriſti, quod erat primum requiſitum ad munus perfecti teſtis. Sed quoniam ad idoneum teſtem conſtituendum, non ſolum opus eſt ſcientia, verum etiam probitate, & ſanctitate, aio de nullo prorſus diſcipulorum conſtare magis fuiſſe Sanctiſſimum, quàm de Beato Nathanaele, quia nulli ſicut Nathanaeli teſtimonium tale perhibuit Filius Dei: *Vidit Ieſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt:* Ecce dignum vtique ſpectaculo ait Rupertus, illum eſſe ſignificat, dicendo, *Ecce,* & quid de illo prædicauit? *In quo dolus non eſt;* De Chriſto ait Carthuſianus teſtatus eſt Iſaias, quod non eſt inuentus dolus in ore eius quanto ergo ſpectaculo dignus fuit iſte Nathanael, quem Chriſtus eiſdem verbis laudauit, quibus ipſe prophetico fuit ore laudatus? Obſtupuit tàm magnam de viro iſto laudem Auguſtinus: *Audite,* inquit, *qualis iſte fuerit, Dominus ipſe perhibet teſtimonium, Magnus Dominus cognitus eſt teſtimonio Ioannis: Ecce vere Agnus, Beatus Nathanael cognitus teſtimonio veritatis: Ecce verè Iſraëlita, magnum teſtimonium, hoc nec Andreæ dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, quod dictum eſt de Nathanaele.* Hæc Auguſtinus.

B. Nathanael antiquiſſimus omnium Diſcipulorum, eiuſque ſanctitas.

In c. 1 Ioan.

Iſai. 53.

Tract. 7.

Quomodo

Quomodo ergo fieri potuit, vt quærenti Petro, quærenti Andreæ, quærenti Philippo, quærentibus reliquis Apostolis, & Discipulis congregatis, vnum aliquem, quem statuerent, & proponerent sufficiendum in locum Apostoli, quomodo inquam fieri potuit, vt quærentibus hoc, non insonaret antiquum illud, *Ecce*, quo Beatus Nathanael dignus planè spectaculo factus, propositus, & ostensus est toti Mundo? Neque verò hoc Domini testimonium incognitum Electoribus erat, aderat in Conclaui Philippus, qui cum Nathanaele erat, quando vidit Iesus illum venientem ad se; aderant ex viris illis Galilæis aliqui qui erant cum Iesu quando testimonium perhibuit. Neque enim Nathanaeli priuatim, & secretò, sed aliis astantibus, ac præsentibus de Nathanaele dixit publicè, *& dicit de eo*, ait Euangelista: *Ecce verè*, Fortasse in iis erat quoque tunc Petrus, quem paulo ante ad Iesum Andreas frater eius adduxerat, sed esto non adfuerit ibi tunc Petrus, certè adfuit, vltimo proximo, ac planè recenti Christi testimonio, quando Dominus inter insignes, magnosque sui dilectores demonstrans quoque Nathanaelem dixit Petro, *Diligis me plus his?* Et sanè qui paucos ante dies assumptus à Domino fuerat inter septem, coram quibus tot functiones, Mysterio, & miraculo plenas voluit exercere, qua ratione apud reliquos omnes discipulos summo in honore non esset, in eo præsertim Conclaui, in quo ipsissimi septem erant? quod si in summo erat honore, & dotibus iis abundè cumulatus, quibus instructum Apostolatus candidatum exigebat Petrus, qua tandem ratione fieri potuit, vt ne proponeretur quidem, neque vllo modo nominaretur? Aut ergo dicendum est, Sanctissimum, Sapientissimumque illud Concilium, duos omnium optimos, dignissimosque non statuisse, quod esset tantis Patribus injuriosum, aut Beatum Nathanaelem apud eiusdem Concilij Patres, minus in honore, & dignitate fuisse, quod tantis Scripturæ testimoniis esset absurdum. Restat igitur, vt dicamus propterea Nathanaelem propositum in Apostolum non fuisse, quia iam pridem Apostolus erat, & suo iam ordine cum aliis annumeratus.

Verum, vt apertius constet vis argumenti, demus proponendos tunc duos tantùm fuisse quibus darentur sortes, demus rursus eos digniores fuisse Beato Nathanaele. Quid si post hæc eligendi, seu proponendi non duo dumtaxat fuissent, sed septem? quæro, habuissetne Beatus Nathanael electorum suffragium, quo saltem cum septem proponendis annumeraretur? hæres! non habuisset locum inter lectissimos Israël, verus Israëlita? planè habuisset. Sed ecce casus non multos post dies, hoc est paulò post illam ipsam primam Pentecostem. Nam ob murmur Græcorum, vt sacra narrat Historia; *conuocantes duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu Sancto & Sapientia, quos constituamus super hoc opus, nos verò orationi, & ministerio Verbi instantes erimus, & placuit Sermo coram omni multitudine.* Ecce procedendum iterum est ad nouam aliam electionem. Agitur de re non contemnenda. Neque enim eligendi tantum erant pauperum Oeconomi, & communium bonorum dispensatores; sed mensæ etiam Sacræ & Eucharisticæ ministri, cui nimirum ex officio, institutoque seruirent in altiori quodam Ecclesiæ gradu, & proximo Sacerdotali, ideo, eligendi sunt viri Spiritus Sancti pleni, quorum Sanctitas explorata, & probata omnibus sit, præmittenda est oratio, adhibenda est manuum

Act. 6.

impositio, quæ omnia ostendunt, eligendos, Sacris potissimum muneribus obeundis, esse destinatos. Porrò numerus ipse sacer est, & suggestus Petro à Spiritu Sancto, ait Salmeron, vt Ecclesia nostra cœlestem illam imitetur, in qua septem Diaconi, hoc est Ministri præcipui ante Deum assistere, atque per illos omnia administrare Deus dicitur in Scripturis. Res ergo est grauis momenti. Quid ergo factum ait Scriptura? *Et elegerunt*, inquit, quos? *Stephanum virum plenum Fide, & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam;* sex numerati sunt, septimus saltem locus relinquatur Nathanaeli. Non ita, *& Nicolaum aduenam Antiochenum;* is fuit septimus a fidelibus nominatus, oblatus, & præsentatus, & ab Apostolis cum aliis ordinatus, qui sine dubio Spiritu Sancto plenus, cum fuit propositus, iudicatus est. Sed qua ratione præterire scienter potuerunt Nathanaelem, de quo dixit Augustinus: hic deberet esse primus in Apostolis. An quia Apostoli requirebant viros *boni testimonij?* & non ne fuit bonum testimonium, testimonium Filij Dei: *Ecce verè Israëlita?* est profectò, & mendax Israëlita, sed non hic quippe ait Chrysostomus, cuius incorruptum est iudicium nec ad gratiam, nec ad odium quidquam loquitur. Quid ergo dicemus, cur talis, tantusque vir, ne inter septem quidem fuerit nominatus? nulla sanè rationabilior causa assignari potest, nisi prior illa, quia scilicet verè erat iam cum Apostolis annumeratus.

In c. 6. Act. *Tob. 12.* *Apoc. 1.* *Hom. 16.*

Ad hoc argumentorum genus ductum ex reticentia reuoco vehementem illam coniecturam, quam ad Apostolatum Nathanaelis comprobandum, sapientissimi viri indicarunt, quo scilicet consilio factum sit, vt cum de reliquis omnibus ad discipulatum Christi in numero septuaginta vocatis mentionem faciant, vel Scripturæ Canonicæ, vel veteres Patres, vel Historiæ Ecclesiasticæ, quid egerint, cui Ecclesiæ præfuerint, aut quo mortis genere Deum glorificauerint, de isto tamen Nathanaele, tantopere a Christo laudato, atque in vocatione Christi vsque ad Resurrectionem Domini perseuerante, nullus hactenus grauis Autor extiterit, quod sciam, verba sunt Salmeronis, qui de eius vita, Doctrina, aut obitu aliquid scripserit, cum tamen Hippolytus Martyr in libro de Septuaginta Discipulis, aut B. Dorotheus in Synopsi Apostolorum Domini, aut Eusebius Cæsariensis, ne vel minimam quidem huius fecerint mentionem. Accedit, quod obseruarunt viri eruditi, omnium iustorum nomina quotquot mentio aliqua fit, vel in Euangeliis, vel in Actibus, vel in Epistolis Apostolorum, ea in Ecclesiæ Martyrologiis reperiri. Vnde ergo fieri potuit, vt cum primis illis Ecclesiæ temporibus, tanta diligentia in iis consignandis, & conscribendis adhiberetur, nihil de tanto viro scriptum, aut commemoratum sit? Quomodo potuit Romanum Martyrologium, quod est Martyrologium totius Ecclesiæ, ex quo tanquam ex trunco rami, vt ait Baronius, cætera omnia Martyrologia prodierunt. Quomodo, inquam, potuit tam antiquum, tam certum, tam illustrem Sanctum omnino tacitum præterire? Da mihi vnum aliquem nominatum in Euangelio, innominatum in Martyrologio. At Martyrologium Romanum ea Sanctorum antiquissima nomina seruat, quæ initio nascentis Ecclesiæ primi illi S. R. E. Protonotarij collegerunt, benè est; Verum hoc ipsum inquiro, quomodo primi illi, qui neminem ex nominatis in Euangelio discipulis prætericrunt. Vnum Nathanaelem inter discipulos in Euangelio expressè nunciatum neglexerunt? Si quorum Discipulorum Christi nomina ex Actis Apostolorum

colligi potuerunt, eorum tanta cum veneratione memoria in Ecclesia celebratur, vt è septem primis Diaconis, qui è numero Discipulorum fuisse creduntur, solus Nicolaus non sit ascriptus Sanctorum Catalogo in Martyrologio, quia propter hæresim Nicolaïtarum, cuius ipse, vel causa fuit, vt tradit Iræneus, vel certè occasio vt volunt alij, merito eum locum tenet inter Diaconos, ait Salmeron, quem Iudas inter Apostolos. Si, inquam, Discipulorum, quorum nomina non sunt in Euangelio, celebratur memoria, quomodo illorum non celebrabitur, quorum locus, & quidem honorificus in illo est? Quod si cæterorum quæ sunt in Euangeliis, aut magna, aut aliqua quantumuis exigua pars sileretur, esset fortasse alicui interpretationi locus; nunc verò cum de reliquis omnibus memoretur, quid tandem est, quod solus B. Nathanael siletur? Vrget acriter hoc argumentum, planéque cogit asserere, Diuino consilio hoc dispositum esse; quia verè non est diuersa persona ab illa, cuius celebris fit memoria sub Apostolico nomine Bartholomæi. At si minus in Latino, certè in Græco Martyrologio iussu Basilij Imperatoris conscripto, & imaginibus exornato, cuius ipsum autographum, inquit Baronius vidimus, & legimus, celebratur memoria Sancti Nathanaelis. Non negauerim in eo Martyrologio, seu Menelogio S. Nathanaelis nomen hoc memorari, quia hoc expressè fatentur multi, inter quos Gauantus, & Cornelius, sed inde magis confirmatur nostra Sententia, quia ibi, non tanquam vnus de septuaginta memoratur, sed tanquam vnus de duodecim. Quod hic intendimus demonstrare, dicitur enim esse idem cum Simone Apostolo, qui erat à Cana Galilææ, cuius patriæ Nathanaelem fuisse Ioannes affirmat. Verba Menelogij apud Cornelium sint hæc: Sancti Apostoli Nathanaelis, qui fuit Simon Zelotes ex Cana Galilææ vbi Christus inuitatus ad Nuptias aquam in vinum conuertit. Itaque in Martyrologiis, siue Græcis, siue Latinis, Beatus Nathanael, aut nihil, aut Apostolus est.

Lib. 1. c. 27.

IV. *Nathanaelis memoria fit in Martyrologio Græco.*

Ioan. 21.

Cæterum Diuina Prouidentia factum dicas, vt in Martyrologio Catholico, quod est Romanum donec quis, & quantus hic Apostolus sit renuntietur, ad præiudicium vitandum, non nominetur.

SECVNDA PARS CAPITIS XII.

Probatur quod Beatus Nathanael fuerit Apostolus, & vnus de duodecim ex Capite vltimo Euangelij secundum Ioannem.

POSTEA manifestauit se iterum Iesus ad Mare Tyberiadis, manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & NATHANAEL, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex Discipulis eius duo, &c.

1. Locus hic mouit Alphonsum Salmeronem, illum, qui in Tridentino Concilio Pontificum trium Theologus, tanta cum audientium admiratione Sententias dixit, & sexdecim ipsis Tomis amplissimum Sacræ Doctrinæ, & omnigenæ eruditionis, patrimonium omnibus post se Doctoribus reliquit; mouit, inquam, hic locus tantum virum, & in sententiam planè affirmantem inflexit, quippe conjec-

Sententia Salmeronis, Iansenij.

tura ab illo petita, meo, inquit ipse, iudicio non est locus, sed grauis, magnique momenti. Iudicium Salmeronis sequutus est Cornelius Iansenius, qui existimat ex iisdem verbis Ioannis efficaciter satis hoc idem ostendi posse, quod videntur etiam sentire alij recentiores, quamuis nemo ex his, quos vidi, (vidi autem plurimos) locum ipsum examinandum, eiusque momenta expendenda susceperit. Conabimur ergo sacrum huius loci textum euoluere, eiusque gesta, & verba non indiligenter scrutari, vt nouum, vt ita dicam Apostolum, eundemque antiquissimum tanquam thesaurum in hoc vltimo totius Euangelici Agri angulo absconditum eruamus. Et quoniam tota res videtur pendere ex eo, vtrum scilicet in hac enarratione nomine Discipulorum intelligi possint quicunque Discipuli; An illi tantum de quibus Lucas cap. 6. *Et elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* Ideo aliquibus argumentis à præsenti textu petitis Discipulorum acceptionem ad Apostolos tantum esse restrictam ostendemus.

Nomine Discipulorum intelligendi sunt Apostoli hoc loco.

2. Tres omnino apparitiones Discipulis factas refert Ioannes. Quare in calce huius postremæ, in qua totum Euangelium suum voluit terminari, hæc habet. *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus Discipulis suis, cum surrexisset à mortuis.* Hinc oritur difficultas, qua ratione verum sit hanc manifestationem, quæ facta est in Galilæa, esse ordine tertiam, cum certo constet in Iudæa, hoc est in Hierusalem, primo ipso Resurrectionis die, quinquies Iesum apparuisse. Responsio, & communior, & solidior illa est, Beatum Euangelistam agere de apparitionibus, non priuatis, vt Magdalenæ, sed publicis, nec Discipulis quibuscumque factis, vt duobus Emaüs proficiscentibus, sed Apostolis, nec Apostolis singillatim, vt Petro seorsim, sed Apostolis pluribus congregatis: Huiusmodi omnino fuerunt duæ illæ factæ in Iudæa, prima, ipso Resurrectionis die. *Cum ergo sero esset die illo, & fores essent clausæ vbi erant Discipuli congregati*, absente dumtaxat Thoma, *venit Iesus, & stetit in medio.* Secunda, de quâ dicitur: *Et post dies octo iterum erant Discipuli eius intus & Thomas cum eis, &c.*

Quod ad primam Apparitionem attinet, contendo nomine Discipulorum intelligit tantum Apostolos, quod hoc argumento, satis, vt puto, efficaci sic probo. In eorum medio stetit, illisque Discipulis manifestatus est Iesus, ostenditque manus, & latus, quibus tunc dixit quæcumque dixit, sed quæ tunc dixit solis Apostolis dixit, ergo solis illis est manifestatus: tota vis est in minori, quam sic probo. Illa dumtaxat duo, cunctis, quibus manifestatus est dixit. Primum. *Dixit eis: Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Alterum. *Hæc dum dixisset insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hæc autem duo, nonnisi illis, qui erant de duodecim, dici potuerunt. Ac de primo illo quidem. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* omnes Catholici Doctores docent, communicatam per illa verba Discipulis esse potestatem omnem Ecclesiasticam super vniuersam terram, & constitutos tunc fuisse, quasi Legatos à Latere, cum facultate, vbiuis gentium, prædicandi, baptizandi, ordinandi, leges condendi, Ecclesias fundandi, & quidquid Summus Ecclesiæ Pontifex potest, instituendi. Hoc autem ad solos Apostolos pertinuit, qui fuerunt Summi Sacerdotes, non vno in loco tantùm, vt cæteri Episcopi, sed in toto orbe terrarum æquales inter se potestate, & cum tanta prorsus iurisdictione extraordinaria tamen, & quasi delegati, quanta fuit ordinaria in

Potestas Ecclesiastica data Apostolis.

Petro, qui tamen etiam Coapoſtolorum caput erat & Princeps quæ eſt ratio, ait Bellarminus, cur in illa ſumma in totum orbem poteſtate, ſolus Petrus habuerit ſucceſſores, non autem vllus alter Apoſtolorum. *l. 1 de Sacr. Conf. c. 12.*

3. Hanc Catholicam doctrinam indicauit Cyrillus in Commentario huius loci. Ordinauit his verbis orbis Doctores, & Diuinorum Myſteriorum miniſtros, quos vt Luminarium vniuerſum terrarum orbem illuminare iuſſit, quos ita dicit mittere ſicut ipſe à Patre miſſus eſt, vt etiam Apoſtolatus dignitatem oſtenderet, & magnitudinem poteſtatis eorum aperiret. Hæc Cyrillus. Quod autem alterum illud: *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* ſolis Apoſtolis dixerit, ſic oſtendo: Chriſtus per illa verba inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ conſtituens Diſcipulos Summos Pœnitentiarios, dando illis Clauium pleniſſimam poteſtatem; ſed hæc poteſtas collata non fuit niſi ſolis Sacerdotibus. Ergo illis tantum diſcipulis, qui erant tunc Sacerdotes, ſed inter omnes diſcipulos, Apoſtoli ſoli erant Sacerdotes. Ergo ſolis Apoſtolis inſufflatum fuit, dictumque: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis, &c.* Et quidem per illa verba inſtitutum fuiſſe Sacramentum Pœnitentiæ, Diſcipuloſque Pœnitentiarios inſtitutos apertè docet Tridentinum illis verbis. *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicens:* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis, &c. *tàm inſigni facto, & verbis tàm perſpicuis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* Ex quibus Concilij verbis habemus poteſtatem eo primo die collatam fuiſſe diſcipulis remittendi peccata, vbi obſeruare licet cum Maldonato in commendationem dilectionis Chriſti. hoc tantum donum Spiritus Sancti poteſtatem ſcilicet remittendi peccata voluiſſe Chriſtum ſtatim impertiri, cum cætera ad diem Pentecoſtes diſtuliſſet, quia eam non Patris nomine, ſed ſuo, ac proprio dare voluit, quia ipſe ſolus mortuus fuerat *ad multorum exhaurienda peccata.* *l. 12. c. 55.* *Accipite Spiritum Sanctum ſolis Apoſtolis dicitur.* *Trid. Seſſ. 14.*

4. Quod autem talis poteſtas non niſi Diſcipulis Sacerdotibus collata fuit, manifeſtum eſt ex doctrina generali Doctorum Eccleſiæ, qui, vt oſtendit Bellarminus, docent, veros Miniſtros Sacramentorum, Baptiſmo, & Matrimonio exceptis, ſolos eſſe Sacerdotes. Reliquum nunc eſſet oſtendere, ſolos Apoſtolos fuiſſe tunc Sacerdotes, ſed hac probatione non indiget, cum conſtet ex Tridentino Apoſtolos, qui ſoli tantùm Cœnæ interfuerunt, ordinatos, & conſecratos fuiſſe Sacerdotes noui Teſtamenti Chriſti, per illa verba. *Hoc facite in meam commemorationem*, poſt quam ordinationem, nemo à Chriſto immediatè ordinatus Sacerdos fuit. *l. 1. de Sac. in gen. c. 24.* *Seſſ. 22. c. 1.*

5. Quare Diſcipuli illi ſeptuaginta duo, non fuerunt Sacerdotes, nec vllum ordinem, aut iuriſdictionem à Chriſto ſuſceperunt, vt probat Bellarminus; ſi quidem Philippus, & Stephanus, & alij quinque Diaconi ordinati poſtea ab Apoſtolis, erant ex Diſcipulis ſeptuaginta duobus, vt Epiphanius docet hæreſi 20. quæ eſt Herodianorum. Certè autem ait Bellarminus, non fuiſſent Diaconi ordinati, ſi iam antea fuiſſent Sacerdotes. *l. 4. de Rom. Pont. c. 25.* *Act. 6.*

Cum ergo omnia, quæ à Chriſto vel dicta, vel geſta ſunt in hac prima manifeſtatione ſuis diſcipulis facta, ad Apoſtolos tantum pertineant, manifeſtum eſt nomine diſcipulorum eo loco, non qualeſcumque intelligi, ſed quos Apoſtolos nominauerat.

6. Quod ſpectat ad ſecundam manifeſtationem Chriſti ſuis diſcipulis, de qua ſic habetur: *Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus & Thomas cum eis.* Oſtendam pariter quod nomine diſcipuli pro Apoſtolis tantùm hoc etiam loco accipiatur. Et quidem, ſi duas has manifeſtationes diligenter inter ſe componamus, & comparemus, inueniemus illas ita pares, & geminas, vt nullum omnino diuerſitatis veſtigium ex parte eorum, quibus factæ ſunt, deprehendi poſſit, & fortaſſe neque ex parte rerum geſtarum.

In Apparitione facta Diſcipulis præſente Thoma, nomine Diſcipuli apoſtolum ſignificat.

Deſcripſerat Euangeliſta primam manifeſtationem diſcipulis à quatuor circumſtantiis, vt obſeruat S. Thomas. Primo quidem ex horæ deſcriptione. *Cum ergo ſero eſſet.* Quia enim volebat omnibus ſimul apparere præſtolatus eſt horam, in qua ſe domum recipiebant: *Sero.* Ante Solis occaſum. Secundo, ex diei deſignatione. *Die illo vna Sabbatorum*, hoc eſt prima totius hebdomadæ, quæ Sabbati nomine ſignificabatur, vt Luc. 10. *Ieiuno bis in Sabbato:* Vna autem pro prima ponitur, ſicut ibi. *Factum eſt Veſpere & mane dies vnus*, ideſt primus. Itaque illo die, qui erat primus, & apud nos Dominicus dicitur. Tertio, ex loci conditione, qui deſcribitur per clauſuram, *& fores eſſent clauſæ*, tum propter horam, tum propter metum. Quarto ex diſcipulorum diſpoſitione, *vbi erant Diſcipuli congregati.* Diſpoſitio planè imitanda, ait, S. Thomas, quia & Chriſtus ad congregatos venit, & Spiritus Sanctus ad congregatos deſcendit.

7. Ab iiſdem quatuor circumſtantiis ſecundam hanc manifeſtationem deſcribit idem Euangeliſta, ac priores illas duas, horæ, & diei, indicat illis verbis: *Et poſt dies octo*, dicit, *Poſt*, non quod in nono die apparuerit, aít Toletus, ſed quia ad occaſum octaui diei, & in eius fine, hoc eſt cum ſero eſſet apparuit. Sed cum ſero eſſet, An etiam die illo? Omnino, ait Cyrillus, diem enim octauum Dominicum diem eſſe neceſſe eſt. Nam vna Sabbatorum cæteris apparuit, ideſt die Dominico. Duas verò reliquas circumſtantias, & loci, & perſonarum tangit illis aliis verbis. *Iterum erant Diſcipuli eius intus*, & intus quidem, vt fores eſſent clauſæ, & iterum erant diſcipuli eius, vtique eodem modo congregati, quare ex hoc loco Cyrillus. Iure igitur, inquit, Sanctæ Congregationes die octauo in Eccleſiis fiunt, & foribus ſublimiore modo clauſis, viſibiliter ſimul, atque inuiſibiliter Chriſtus omnibus apparet, inuiſibiliter quidem, vt Deus, viſibiliter autem in corpore, præbet enim nobis carnem ſuam tangendam, vt firmiter credamus quia templum verè ſuum ſuſcitauit.

8. Ex ipſo ergo hiſtoriæ narrationis ingreſſu incipit apparere, eandem omnino ſcenam perſonarum dari, neque aliud è ſacro textu diſcrimen eſſe niſi quod cum de illa priore dictum fuiſſet, *Thomas autem vnus ex duodecim non erat cum eis;* hic iam dicitur, *& Thomas cum eis*, verum vel ex hoc diſcrimine vehementer confirmatur noſtra ſententia, quod hoc etiam loco, nomine diſcipulorum non niſi Apoſtoli intelligantur; ſicut enim congruum erat, vt, quamuis Thomas ſolus hac apparitione indigeret, non tamen illi ſeorſum, ſed coram aliis fieret, vt coram quibus non credendo peccauerat coram iiſdem redargueretur; ita coram externis, & qui de illo numero non fuerant, peccatum Diſcipuli prodere, ſicut neceſſarium non erat, ita videbatur à Domini ingenio alienum. Nouimus hoc Domini ingenium in nocte Cœnæ, vbi ſicut expediens Domino fuit occultum proditorem prædicere, vt ſe non ignoranter, & inuitum, ſed vltro pati ſignificaret, ita alienum

à ſua charitate duxit eum prædicare, & nominare adeo vt, cum ad extremum illi diceret, *quod facis, fac citius*, affirmare potuerit Euangeliſta. *Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid dixerit ei, quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixiſſet ei Ieſus, eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem Feſtum, aut egenis vt aliquid daret.* Si ergo pro eo ſatis modico tempore, quo futura erat occulta proditio, proditoris famæ conſulere non neglexit, quanto magis exiſtimandum eſt Diſcipuli famæ voluiſſe proſpicere, quandiu apud ſolos fratres, hoc eſt Apoſtolos tranſacta res erat. Ergo *ianuis clauſis*, & coram ſolis fratribus; ſubit hoc loco animum dulcis recordatio, quando Ioſeph Patriarcha ſe fratribus aperuit. Sacræ Hiſtoriæ verba ſunt illa. *Non ſe poterat vltra cohibere Ioſeph multis coram aſtantibus, vnde præcepit, vt egrederentur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ, & dixit fratribus ſuis: Ego ſum Ioſeph. Non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti, ad quos ille clementer; accedite,* inquit, *ad me, & cum acceſſiſſent prope. Ego ſum, ait, Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum:* ſimili planè modo, cunctis, qui è numero duodecim non erant ſuaui ſua diſpoſitione foras manere iuſſis, *venit Ieſus, & ſtetit in medio.* Profectò non poterat reſpondere Thomas nimio terrore perterritus, ad quem ille clementer: accede, inquit, ad me, & cum acceſſiſſet propè, dicit Thomæ: *infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Verba ſunt hæc ſuauis planè, ac paternæ correctionis. Petierat Thomas, vt crederet, conditiones, ſcilicet videre, & palpare, ait S. Thomas, & ſi hoc ſibi fieret, promiſerat ſe crediturum; & ideo Dominus cum hæc diceret, præſentia ſuæ Diuinitatis aſſiſtens, ſeruatis illis conditionibus reuocat eum; vnde primo exhibet conditionem: *infer digitum tuum huc.* Secundo petit promiſſi ſolutionem, *& noli eſſe incredulus, ſed fidelis.*

Ioan. 13.

Gen. 45.

9. Sed quoniam ſuperius indicaui ex parte quoque rerum geſtarum in hac altera manifeſtatione, argumentum ſumi poſſe, rem totam inter Apoſtolos eſſe tranſactam, moueamus & illam obiter quæſtionem, an oſtendere manus & latus, totumque ſe palpandum offerre, & exhibere fuerit Chriſti munus ſolis Apoſtolis reſeruatum, & quidem quod illis omnibus ſe contrectandum exhibuerit in prima apparitione abſente Thoma, manifeſtum eſt ex Domini verbis ſecundum Lucam: *palpate, & videte,* immo de facto tunc omnes palpaſſe, & contrectaſſe videtur inſinuare Beatus Ioannes in ſua Epiſtola: *Et manus noſtræ contrectauerunt.* Siue vt Athanaſius legit. *palpauerunt.* Quaſi Ioannes ſignificet, ait Maldonatus, ſe, & cæteros Apoſtolos omnes Chriſti poſt reſurrectionem, vulnera contrectaſſe. Id quod ex Didymi ſententia multi antiqui, & graues Autores non immerito docuerunt. Cæterum vtrum hoc in conceſſum aliis ab Apoſtolis fuerit, in dubium vocari poteſt. Scio, quod legitur de illis mulieribus apud Matthæum: *& ecce Ieſus occurrit illis dicens: auete, illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum*, ſed tantum abeſt Chriſtum tunc ſuos pedes tangendos obtuliſſe, vt plures Autores, inter quos Magnus Athanaſius exiſtimauerit, prohibitas à Chriſto tangere fuiſſe, ad eum planè modum, quo de Magdalena clarè pronuntiat Ioannes. Cum acceſſerant mulieres ad Dominum, ait Athanaſius, prohibitis iis, dixit: Nolite me tangere. Sequitur Athanaſium Maldo-

An tangere & palpare Chriſtum fuerit Apoſtolis tantum datum poſt Reſurrectionem.

1. Epiſt. c. 1.

In c. 24. Luc.

Matth. 28.

De Incar. Chr.

In c. vlt Matt.

Cur Magdalena fuit prohibita tangere Christum? natus, qui putat omnes simul mulieres ad sepulchrum venisse, & omnes simul rediisse, & omnibus redeuntibus Christum occurrisse, & quoad modum tangendi, aut non tangendi eandem rationem de omnibus fuisse. Sed cur Magdalena, nam de illa sola loquitur in sua enarratione Ioannes, prohibita fuit tangere? Responsio Cyrilli illa est, *l. 12. c. 50.* quia nondum descenderat super illam Spiritus Sanctus, qui post Ascensionem Christi in Cœlum, missus in omnes fuit; sed cur ante Ascensionem, primo ipso Resurrectionis die Apostolis suis sese palpandum exhibuit? Quia, inquit Cyrillus, *c. 56.* Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum, quando insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum, nunquam enim dixisset, qui nescit mentiri, nisi dedisset. *At Thomas*, ait Euangelista, ***non erat cum eis, quando venit Iesus.*** Respondet Cyrillus Thomæ tunc etiam absenti, quia de Collegio Apostolorum erat, eodem planè modo, quo præsentibus Spiritum Sanctum datum fuisse, sed præstat audire verba Cyrilli. *c. 50.* Illi, hoc est Magdalenæ, nondum gratia Spiritus sanctificatæ tangere non licebat; nam antequam Dominus in Cœlum ascendisset, descensus Spiritus in omnes non fuit. Thomæ autem hoc licebat, quia vna cum aliis Spiritum fuit consequutus, ad vniuersum namque Discipulorum consortium, liberalitate dantis vox illa transiuit: ***Accipite Spiritum Sanctum***, neque perfunctoriè hanc sententiam tangit Cyrillus, sed capite quinquagesimo sexto, *l. 12.* illam ex professo docet, & confirmat illo simili Sacræ Scripturæ. *Num. 11.* Nam eligente Moyse septuaginta senes, dedit illis Deus Spiritum Sanctum, & cum duo ex illis Eldad, & Medad mansissent in castris, etiam illis absentibus datus est Spiritus, & eodem modo prophetabant, vt illi, qui erant cum Moyse ad Ostium Tabernaculi, ***nam & ipsi descripti fuerant***, ait Scriptura. Non ergo concludit Cyrillus, licet absuerit Thomas, à participatione Spiritus decidit quam de numero esset eorum, quibus dignitate Apostolatus decoratis Spiritus debebatur.

10. Ex hac sententia tam insignis Theologi, & in Scripturis Sanctis eruditissimi, *Trittem. de Eccl. Scriptorib.* & qui iussu Cœlestini Summi Pontificis in Concilio ducentorum Patrum apud Ephesum præsidens, Nestorium, & Pelagium cum erroribus eorum condemnauit; ex tanti inquam Autoris sententia, illa duo deriuo in rem præsentem. Alterum quod facit ad decisionem incidentis proximæ quæstionis. Vtrum solis Apostolis tangendum, oblatum fuerit Corpus Christi, & aio solis illis hoc datum, vt qui soli tunc erant Sacerdotes, & potestatem in Domini Corpus acceperant in nocte Cœnæ sub specie non viuentis, soli Spiritu sanctificati, illud idem corpus iam rediuiuum sub propria viuentis specie contrectarent. Alterum, quod ex hac doctrina conficio, & pertinet ad intentum totius argumenti, est per Christi voces relatiuas ad personas, quemadmodum erant illæ: ***Pax vobis, mitto vos, Accipite, retinueritis, remiseritis***: per illas, inquam, voces, quasi ex vi verborum venisse omnes, & solos Apostolos. Et quia de illis tantum sub nomine Discipulorum in duabus hisce apparitionibus loquitur Euangelista. Ad quorum personas relatiua erant verba Christi; hinc satis euidenter, vt puto, colligo Euangelistam agere, & loqui de solis Apostolis.

Probauimus ergo in prima, & secunda manifestatione Discipulis facta sub nomine Discipulorum, intelligi tantùm Apostolos, nunc quid de tertia dicendum sit, verba clamant Euangelistæ. ***Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis cum surrexisset à mortuis.***

11. Certè

11. Certè recapitulatio ista Euangelistæ, qui priores duas manifestationes proximè narrauerat, æquipollet tribus propositionibus eiusdem suppositionis iuxtà regulas Dialecticas. Ita enim, illud (*discipulis suis*) per omnes manifestationes distribuitur, vt perinde sit, ac in singulis dixisset. Hoc primo manifestatus est Iesus Discipulis suis, hoc secundo, hoc iam tertio. Vnde ergo colligi potest ex verbis Euangelistæ variatio suppositionis personarum, & acceptionis nominis *Discipulorum?* Immo si verba totius contextus expendantur, & præcipuè particulæ relatiuæ, in quibus magna vis posita est, præsertim in Euangelio Beati Ioannis, constabit clarè de iisdem genere discipulis, qui videlicet, erant electi ad eam dignitatem, quam Deus sacrauerat duodenario numero, perpetuum esse sermonem. *Thomas autem vnus ex duodecim, non erat cum eis*, quando in prima apparitione *venit Iesus*. Vides illud, *cum eis*, esse relatiuum ad Collegas, qui erant è numero duodecim. Quod etiam confirmant proxima verba. *Dixerunt ergo ei alij discipuli: vidimus Dominum.* (Ei) vni ex duodecim (alij discipuli) hoc est condiscipuli, qui de eodem numero erant. Rursus tangens Euangelista personas secundæ apparitionis, manifestè refert ad personas de eodem numero, *& post dies octo, iterum erant Discipuli eius, intus.* Expende quid significet illud. *Iterum.* Denique cum ad tertiam apparitionem nominentur quinque, subditur, *& alij ex Discipulis eius duo;* quod perinde fuit, ac dicere; erant omnino septem Discipuli, illud autem, *& alij ex*, sicut ostendit quinque nominatos fuisse discipulos, ita ostendit duos innominatos fuisse eiusdem veluti generis, & ordinis cum nominatis, hoc est Apostolos, quod probabimus infra. *Tertia apparitio Christi facta Discipulis.*

Atque hæc est ratio cur grauiores Interpretes de hisce tribus manifestationibus à Ioanne enarratis, semper eodem modo loquantur. Satis sit, vnum, aut alterum afferre. Nicolaus de Lyra. Videtur inquit, quod deberet dici potius, hoc iam quarto manifestatus est Iesus, quia descripserat Euangelista apparitionem quoque factam Magdalenæ, sed dicendum, quod littera sequens hoc soluit, cum dicitur. Discipulis suis, & sic patet, quod tantùm enumerat hic apparitiones factas Apostolis, & mox. Si autem considerentur istæ tres apparitiones Apostolis factæ; prima declarat Christi Diuinitatem, dando Spiritum Sanctum; secunda resurgentis identitatem, vulnerum cicatrices ostendendo; tertia humanæ naturæ veritatem, comedendo. Hoc idem docuit S. Thomas in Commentariis, vbi lectione quarta super Caput vigesimum. In parte ista, inquit, agit Euangelista de apparitionibus factis Apostolis; & primo de apparitione, qua simul omnibus in Hierusalem apparuit excepto Thoma; secundo de ea, quæ facta est Thoma præsente; tertio de ea quæ facta est quibusdam specialiter.

12. Vt autem generale aliquod principium ostendamus, cui nititur vis argumenti obseruare licet, Christum Dominum, qui de se verè dixit: *Vnus est Magister vester*, triplicem habuisse Classem Discipulorum. Prima Classis, & infima erat ex auditoribus, & asseclis, qui, vt ait Theophylactus, sequebantur Christum in ordine Discipulorum, & manebant apud eum longiori tempore, quàm turbæ, itaque ad reliquam turbam collati, dicebantur eius discipuli. De his habemus Ioan. 6. *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.* *Tres Classes discipulorum.*

Altera Classis, & media constabat ex numero definito septuaginta duorum, de

quibus agit Lucas capite decimo. *Post hæc autem designauit Dominus, & alios septuaginta duos, & misit illos binos*. In argumentum, ait Augustinus, quod Mundum totum in septuaginta duas linguas diuisum docere debebant.

Tertia, & suprema erat tantum ex illis, de quibus Luc. 6. *Et cum dies factus esset, vocauit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis*. Marc. 3. *& ascendens in Montem, vocauit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum, & fecit vt essent duodecim cum illo*. Cum illo, idest quasi comites indiuidui sibi adhærentes continuo, ait Toletus. Cum illo, quasi eius contubernales, ait Cornelius. Cum illo quasi Palmites, quos extendit vsque ad Mare, ait S. Thomas.

13. Porrò quanquam omnes huius triplicis Classis ab Euangelistis, discipuli nominentur, tamen quandocumque agunt de discipulis inferioribus, non vocant illos discipulos eius, nisi ex aliquo adjuncto significent conditionem illorum. Sic cum dixisset Ioannes; *ex hoc multi discipulorum abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant*, statim addit: *dixit ergo Iesus ad duodecim: numquid, & vos vultis abire?* quo significatur nomine discipulorum, qui abierunt, non intelligi illos, qui absolutè, & sine adjunctis dicebantur discipuli eius. Ratio autem, cur hi tantum tertiæ, & supremæ Classis dicebantur *discipuli eius*, illa est, quia illos tantum elegit, vt immediatè ab ipso accipientes aliis traderent, quæ pertinent ad scientiam salutis, vt ait S. Thomas, & quibus singulariter dixit. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, qui de familia eius erant, & comites, & testes indiuidui, & qui à turbis indigitabantur discipuli eius, tanquam ij, vt ait Marcus, quos *fecit, vt essent cum illo*, & quos absolutè, & immediatè elegit: nam septuaginta duos non tàm *elegit*, quam *designauit*, electi enim prius fuerunt ab Apostolis, vt docet Anacletus in Epist. 2. & 3. Videntes, inquit, Apostoli messem esse multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominum messis, vt mitteret operarios in messem suam, inde electi sunt ab eis septuaginta duo, quorum Typum gerunt Presbyteri: obserua illud, inde electi sunt ab eis hoc est ab Apostolis, & in Epist. 3. Scitis Apostolos a Domino ipso electos, qui ad eorum adiumentum septuaginta elegi præcepit discipulos illos elegit ipse, hos præcepit eligi, hoc est, vt ait Salmeron, præcepit segregari, nominari, & præsentari ab Apostolis ante Dominum.

Cum ergo de septem istis, quibus tertio manifestatus est Iesus, absolutè pronuntiet Euangelista fuisse ex discipulis eius, & neque in antecedentibus, neque in consequentibus quidquam significet, ex quo conjectura aliqua fieri possit ex inferioribus esse, videtur affirmatum nomine discipulorum, hoc loco non intelligi vniuersaliter illos, quos Apostolos Dominus nominauit.

Septem Discipuli quibus Christus apparuit ex Primatibus fuere.

14. Accedit nouum argumentum ex eodem hoc Scripturæ loco petitum, septem istos discipulos non solum ex Apostolorum numero fuisse sed ex illis fuisse maiores, & primores; Ac de tribus quidem, Petro, Iacobo, & Ioanne ex aliis Euangeliorum locis est manifestum. Quare Chrysostomus in illud Matth. *Et post* (c. 17.) *dies sex assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & transfiguratus est ante eos*. Ideo autem, ait, hos tres assumpsit, quoniam aliis potiores erant, & vt addit Cornelius, quasi triumviri Christi. De reliquis autem quatuor, (Act 12.) vt idem ostendam ex hoc loco præsuppono doctrinam S. Thomæ, (In c. 1. ad Rom.) inter Apostolos, illos fuisse maiores, qui in dilectione erant insigniores, quia tota magnitudo sanctitatis, & meriti principaliter, & respectu essentialis præmij, attenditur secundum

dilectionem, & charitatem, nam cum præmium essentiale consistat in gaudio, quod habetur de Deo, manifestum est ait S. Thomas, quod de Deo plus gaudebunt, qui plus amant, vnde & illam visionem beatam Dominus suo dilecto promittit, dicens: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*, hoc posito si ostendero præter tres illos, hos etiam quatuor fuisse insignes Christi dilectores, demonstrabo primores. Verùm hoc non obscurè demonstro ex hoc loco, quia cum Christus in examine præuio ad Summum Pontificatum, summam à Petro dilectionem postularet, tum vt ostenderet, quod aiebat Bernardus illum præesse aliis debere, qui vino charitatis inebriatus æstuat immemor sui, vt non quærat quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi; tùm etiam vt demonstraret quanti faceret oues suas, quando enim sic amatas oues committeret non amanti, ait Bernardus. Cum, inquam summam à Petro dilectionem, postularet, *dicit Simoni Petro Iesus, Simon Ioannes, diligis me plus his?* quid est illud, *plus his?* diligis me plusquam diligant me hi? Et quinam erant ibi? *Erant simul*, ait Euangelista, *Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, &* NATHANAEL, *qui erat à Cana Galilææ, & alij ex discipulis eius duo*, septem omnino erant, dicit ergo, diligis me plusquam hi? plusquam Thomas, plusquam Nathanael, plusquam Iacobus, plusquam Ioannes, plusquam hi alij duo? profectò non exigeret tanquam quid eximium, & summum à Petro, maiorem dilectionem illa, quæ erat in astantibus discipulis, nisi in illis magna fuisset, & maior etiam, quàm in reliquis. Et fortasse ideo Petrus requisitus, an diligat plus his, tantùm respondit; *tu scis, quia amo te*, non audens affirmare *plus his*, quia videbat, agi de magnis Dilectoribus.

Ioan. 14.

Serm. de dilig. Deo.

De conuer. ad Clericos. c. 27.

Ioan. 2. v. 2.

Magnus Christi dilector iam erat Thomas, cui enim plus dimittitur, plus diligit, & quidem recentissimus erat amor, quo paulo ante clamauerat *Dominus meus, & Deus meus*, ex affectu vtique magno, appellans suum.

Magnus Christi dilector erat B. Nathanael, & planè antiquus, qui à primo ad Christum accessu, vt illum vidit, virtutem Diuinitatis in eo cognoscens, vt ait S. Thomas, in vocem confessionis, & laudem prorupit, dicens: *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Israël.* Vidit plenitudinem scientiæ, & dixit *Rabbi*, vidit excellentiam singularis gratiæ, & dixit: *Tu es Filius Dei*, vidit immensitatem potentiæ, & dixit: *Tu es Rex Israël.* Viderat planè multum verus Israëlita, & quia vidit multum dilexit multum. Venerat vt Iesum videret, & visum inuenit, inuentum tenuit, nec dimisit. Quare in vltimo totius Euangelij capite, post Magistri Resurrectionem inter primarios discipulos recensetur.

In c. 1. Ioan.

Magnus Christi dilector erat Iacobus cognomento Maior, qui tanta charitate dilexit Christum, vt meruerit primus omnium Apostolorum animam suam ponere pro illo, & sine dubio ex amore Christi surrexerat quondam *quasi ignis* vt Elias, *& verbum ipsius quasi facula ardebat.*

Luc 9.
Eccl. 48.

Magnus Christi dilector erat Ioannes, quia ille *discipulus* erat, *quem diligebat Iesus.* Sicut enim Deus nos amando facit suos dilectores, vt docet S. Thomas, ita multum quempiam amando, facit magnum dilectorem.

In c. 15. Ioan.

Qui fuerunt alij ex Discipulis eius duo, Euangelista non exprimit; Verum si, vt putat Beatus Vincentius, fuerunt Andreas frater Simonis Petri, & Philippus, qui si minus frater, certè socius erat Nathanaëlis, omnes profectò septem, magni di-

Apud Salmer.

lectores Christi fuerunt, & Magni Apostoli, & inter duodecim septem primi. Sanè Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 14. probans soli Petro dictum à Christo, *pasce oues meas*, quia soli illi fuit dictum: *Diligis me plus his*, cum disertis verbis excludantur cæteri, illa comparatione *plus his*. Hæc addit. Porrò qui excluduntur, non quicumque homines, sed præcipuè Apostoli sunt, quod quidem cognoscere etiam licet ex ordine, quem in Apostolorum Catalogo Matthæus Euangelistarum primus, illis assignat duodecim Apostolorum nomina sunt hæc, ait Euangelista. Petrus, Andreas, Iacobus, Ioannes, Philippus, Bartholomæus, Thomas. Ecce septem hic primos Apostolos ante alios nominatos, inter quos sub nomine Bartholomæi, de quo disputabimus, Beatus Nathanael numeratur.

Discipuli ad Mare Tiberiadis fuerunt ex præcipuis Apostolis.

15. Sed iam nouum occurrit argumentum ab eodem Sacro textu petitum, ex quo cognoscere liceat septem hos Discipulos, non Apostolos quoscumque sed præcipuos, & maximos extitisse. Etenim Christus Dominus tam honorifico illos excepit conuiuio, & tàm singularibus suæ beneuolentiæ testimoniis supra reliquos cohonestauit, vt dubitandum non sit declaratos fuisse primores, ac Principes Regni sui.

Et quidem quod Christus hos septem discipulos ad conuescendum admiserit, & inuitauerit, textus est clarus. *Dicit eis Iesus?* VENITE PRANDETE, quod autem hoc sit indicium, & argumentum Apostolatus, ex eo probatur, quia descripto prandio, statim addit Euangelista. *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus Discipulis suis cum resurrexisset à mortuis.* Quibus verbis apparet manifestationem factam præcipuè per conuiuium fuisse propriam discipulorum, & nomine

Apostolus, testis Resurrectionis.

discipulorum, ait Salmeron Tom. 10. Serm. 20. ratione materiæ, hoc est Resurrectionis Christi testificandæ, Apostolos intelligit, qui erant electi tanquam proprij Resurrectionis Christi testes; quare Petrus Act. 1. agens de electione successoris Iudæ cum dicere intenderet, oportet Apostolum nobiscum fieri vnum ex istis, qui nobiscum sunt congregati dixit oportet *testem Resurrectionis eius, nobiscum fieri vnum ex istis.* Vide optimam descriptionem Apostoli, inquit Sanctius, immò definitionem ait Loria, *testem Resurrectionis* Iesu Christi.

Confirmat hoc totum egregiè idem Caput, & princeps testium Petrus Act. 10. *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis.* Hic locus maximè consonat cum hoc nostro Ioannis. *Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis cum resurrexisset à mortuis,* quasi manifestationes non essent faciendæ nisi *testibus præordinatis*, & quibus Christus dixit: *& vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Et rursus post Resurrectionem. *Et eritis mihi testes* Qui autem essent hi *testes præordinati,* visus est explicare Petrus illis verbis: *Nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis,* & sanè, quod Christus manifestè, & in propria specie ac forma cum aliis manducauerit præter Apostolos, in Euangeliis non lego. Nam quod attinet ad Discipulos Emaus proficiscentes, de quibus dicitur: *& factum est dum recumberet cum eis*, apertè dicit Marcus. *Ostensus est in alia effigie.*

Ioan. 15. *Act. 1.* *Marc. vltim.*

16. Quando ergo pro Apostolatu Beati Nathanaelis quodcumque aliud deesset indicium, esset profectò maximum istud, quod in vna ex tribus manifesta-

tione facta *testibus praeordinatis*, assumitur medius inter illos, qui possent ex ore Petri dicere. *Nunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non* Act. 10. 41. *omni populo, sed testibus praeordinatis à Deo.* Illud, *praeordinatis*, vertit ex Græco προκεχειρο- Erasmus. *Electis*, & elegit duodecim ex ipsis, Testibus ergo electis. Quibus? *No-* τονημένοις. *bis, qui manducauimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.* Nobis, quibus videlicet in propria effigie videndum se præbuit, eo modo, & ea familiaritate, vt testes esse possemus.

17. Sed vt hos septem ex primariis fuisse ostendamus, quod erat hoc loco propositum, aduertendum est cæteros Apostolos, potuisse quidem dicere *manducauimus cum illo*, at non cum illo, & apud illum, & inuitati ad conuiuium è suo præparatum ab illo. Aduerti quoties Christus manifestatus est Apostolis suis semper illis recumbentibus ad mensam, & cœnantibus adfuisse, & quidem apparuisse in die Resurrectionis sero, & tempore, quo discipuli cœnabant, & stetisse inter eos discumbentes secundum communiorem sententiam scribit Marcus cap. 16. & satis insinuauit Lucas illis verbis cap. 24. *Habetis hic aliquid, quod manducetur; at illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis, & cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.*

18. De secunda autem manifestatione facta post dies octo Thoma iam præ- Marc. 16. sente. Explicat Maldonatus illud Marci. *Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit*, vbi illud *nouissimè*, vt constat ex voce Græca ὕστερον, non significat, *postremo*, quasi fuerit illa omnium Christi apparitionum vltima, sed *postea*, & sit illa eadem apparitio, de qua Ioannes agit, *& post dies octo iterum erant discipuli* c. 20. *eius intus, & Thomas cum eis*, omnino vndecim, expressit autem Marcus Christum venisse eo tempore, quo Discipuli cœnabant ait Maldonatus, vt indicaret, cum paratum inuenisset cibum, coram discipulis, vt antea sumpsisse, & suam illis Resurrectionem edendo probasse.

Sed longè diuersæ rationis fuit prandium septem nostris Apostolis exhibitum, quo descripto recapitulat statim Ioannes. *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus Discipulis suis.* In aliis enim nihil præparauit, at hic, vt docet S. Thomas: & ignem, & panem, & piscem, & omnia sua potestate ipse creauit ex nihilo, vel ex aliqua præiacente materia miraculosè formauit, *vt ergo descenderunt in terram* Ioan. 21. *viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.* Verum est voluisse Dominum, vt ad conuiuium hoc aliquid etiam de piscatu afferretur à discipulis. *Dixit eis Iesus: afferte de piscibus, quos prendidistis nunc*, quos profecto voluit ad conuescendum præparari. Sed illi pisces per miraculum quoque Christi capti fuerunt. Nam ipsi illa nocte nihil prendiderunt. Christus signauit locum, in quo certò capturi erant pisces, *mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis*, Christus fecit vt in dextera cæteroqui non magis piscosâ, quam sinistra, tam multi, & tam miræ magnitudinis pisces momento temporis statim existerent, *& traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent; non est scissum rete;* quod si verum est illud Oppiani non improbatum à S. Hieronymo, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quorum ex singu- In c. 47. Ezech. lis vnus captus sit ab Apostolis, quis neget maximum fuisse miraculum, plurima piscium genera, nunquam antea visa in eo Mari, repente apparuisse. Pisces illi, ait Lyranus fuerunt miraculosè adducti, vel virtute Diuina de nouo formati, quia

tota nocte ibi quæsierunt discipuli, & nihil inuenerunt. Itaque totum Conuiuium Domini fuit, & ille tanquam Dominus, cum discipulos inuitasset: *Venite, & prandete.* Fecit illos discumbere, neque satis amantissimo Domino hoc fuit, sed vt appareret, quod & transiens ministraret illis, subdit textus: *& venit Iesus, & accepit panem,* & dabat eis, ipse suis manibus, ipse distribuit, ipse singulis porrigebat, ipse assignabat, hanc accipe partem Petre, hanc Ioannes, hanc accipe Nathanael. Et quod de pane dictum est, fecit quoque de piscibus. Dabat eis, *& piscem similiter.*

Quare Christus apparauit prædium discipulis ad Mare Tiberiadis?

19. Quod autem conuiuium hoc honorarium planè fuerit, & quasi ad declarandos septem primarios Principes Regni sui. Colligo ex hoc, quia non fuit illis, vt aliàs, exhibitum ad veritatem resurrectionis comprobandam, nam, & Ioannes ante conuiuium monuerat Petrum, *Dominus est,* & Petrus *cum audisset quia Dominus est, misit se in Mare*, quod si cæteri discipuli non miserunt se in Mare, sed nauigio venerunt, indicat Euangelista, causam fuisse, quia cum non longè abessent a terra, mora illa tàm breuis erat, vt si sese in Mare deiecessent non multo citius ad illum venire potuissent, vt rectè etiam obseruauit Maldonatus; cæterùm post Ioannis monitum, non dubitarunt, an Dominus esset, immò, vt ait Augustinus ad significandam discipulorum de resurrectione Christi certitudinem, quod scilicet certi erant, quod Christus esset, addit Euangelista: *Et nemo audebat discumbentium, interrogare eum, tu quis es, scientes quia Dominus est.* Fuisset enim illa interrogatio, ait sanctus Thomas, signum dubitationis. illi autem sciebant quia Dominus est. Sciebant ergo hi septem discipuli quia Dominus est. Quare non fuit conuiuium illud ornatum ad fidem resurrectionis faciendam, sed ad specimen eius præbendum, & id repræsentandum, quod Apostolis omnibus non ita pridem. *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo,* quibus verbis, vt rectè Maldonatus, prærogatiuam quandam discipulorum videtur Christus indicare, quasi non omnes, qui in Regno Cœlorum futuri sunt, super mensam Christi esuri, bibiturique sint, ad eum modum, quo non omnes qui in domo Regia sunt, in ipsa Regis mensa cibum sumunt, sed pauci quidam maiores Principes, quibus id Rex honoris causa concedit.

Luc. 22.

20. Tales videntur fuisse septem illi de Aula Regia Persarum, quorum maiestas, & gubernatio fuit imago Diuinæ Maiestatis, vt ex Aristotele & Apuleio, & aliis docet Cornelius. De iis ergo sic habemus in libro Esther. *Erant autem primi, & proximi septem Duces Persarum, atque Medorum, qui videbant faciem Regis, & primi post eum residere soliti erant.* Septem primi, & proximi, & fortasse primi, quia è septem, & è septem quia è proximis. Nec immerito pronunciatum est illud, Aulam scilicet Regum Persarum in septem illis primis, & proximis imaginem quandam, & vmbram fuisse Aulæ cœlestis. Cum in sacris Litteris antiquissimum testimonium habeamus apud Tobiam, qui diu ante Reges Persarum fuit: *Ego sum vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Ex quo illud obseruo ad rem præsentem non esse alienum in sacra Scriptura ex numero præsertim septenario, quem sanctus Hieronymus perfectum sacratumque nuncupat principatum eorum probare, qui ex eo numero sunt: Non quod multum tribuam numero, vt antiqui quidam Philosophi fecerunt, sed ne quid detraham numeranti, quod omnes Ecclesiæ Patres religiosissimè coluerunt. Et sanè superiorem locum

Esther c. 1. v. 14.
Septenarii numeri Mysterio.
In c. 15. Matth.

declarare videtur textus Hebræus, qui pro *Ego sum ex septem*, habet: *Ego sum ex Principibus*, omisso nomine, & numero septenarij, vt obseruat Ferrarius, quasi idem sit in materia honoraria esse è septem, atque esse ex Principibus, & Primoribus. Cum ergo in hac tertia manifestatione, ad summum, & singularem honorem pertinuerit, vocatos esse hos septem, vt recumberent in mensa Regis, argumentum non leue mihi est, Discipulos eo septenario numeratos ex primariis, & præcipuis omninò fuisse, dignosque, qui ab Euangelista primi in Apostolorum Catalogo nominarentur, cum præsertim videamus illos tres, de quibus aliunde constat ex præcipuis fuisse, Petrum videlicet, Iacobum, & Ioannem, inclusos esse hoc septenario, & sciamus non aliunde constare illorum trium Primatum, nisi ex eo quod Christus Dominus, vel in monte, vel in valle, vel transfiguratus, vel contristatus est ante eos. *In c. 12. Tob. q 7.*

Et quidem si rectè ratiocinabimur, omnes omnino Apostoli electi Duces populorum, erant Principes in Regno Christi. Quare de illis explicat ad litteram S. Hieronymus. *Principes Iuda Duces eorum.* Apostoli, inquit, sunt Principes Iuda, hoc est Domini; quemadmodum dicit Iacob, Iuda te laudabunt fratres tui, sed tamen inter Principes, primi, & proximi septem fuerunt; illi nimirum, qui statim nominantur. *Principes Zabulon, Principes Nepthali*, qui videlicet erant de Ciuitatibus Galilææ, ad sortem Zabulon, & Nephtalim pertinentibus, vt explicat Bellarminus, sequutus, vt ipse ait Latinos Patres, Hilarium, Hieronymum, Augustinum, & Græcos expositores Theodoretum, & Euthymium. *In Psal. 67.* *Gen. 49.*

21. Iam verò si in hos Principes Galilæos inquiramus, inueniemus illos omninò, & quos Matthæus primos in ordine numerauit, & quos Ioannes recenset in hac tertia manifestatione. Quamuis enim omnes Apostoli fuerint ab Angelo dicti. *Viri Galilæi:* Qua nomenclatura tanquam Principes Domini salutati sunt, & vt ait Chrysostomus, veluti dignitate præeminentes è loci vocabulo compellati alio qui quid opus erat, addit Chrysostomus eos audire, cuius essent Patriæ, cum id nequaquam ignorarent. Quamuis inquam omnes Apostoli dicti sint Galilæi, propterea quod omnes saltem educati in illa fuerunt, quemadmodum Christus ipse, quia in Nazareth Galilææ est educatus, Nazarenus, atque Galilæus appellatus est: Non omnes tamen fuerunt Principes Zabulon, & Nephtali, eorum enim aliqui de Tribu Iuda fuerunt, vt qui appellati sunt fratres Domini. At verò quotquot in hac tertia manifestatione nominati sunt, omnes ad Tribus Zabulon, & Nephtalim pertinuerunt. Et sanè de Petro, Iacobo, & Ioanne clarè constat ex Euangelio. De Thoma, Authores communiter affirmant. De Nathanaele, ait expressè Euangelista, *qui erat à Cana Galilææ.* De duobus autem reliquis innominatis, si fuerunt Andreas, & Philippus, vt non leues sunt conjecturæ, aperiè constat, & illos fuisse contribules, & populares Petri. *Erat autem*, ait Euangelista, *Philippus à Bethsaida Ciuitate Andreæ, & Petri*, ex quo intulit obiter Magister Salmeron, nihil officere, neque repugnare ex eadem natione, immò ex eadem patria, siue etiam cognatione, plures fieri Cardinales si expediat, & Ecclesia ea ratione sit magis illustranda. ac decoranda, quandoquidem Summus Pontifex Christus, ex vna eademque Ciuitate tres creauit Apostolos principales, seu Principes Cardinales; nomen enim Cardinalis, vt ait Bellarminus, idem ferè significat, quod Principalis. Quare Augustinus lib. 1. de Baptis. cap. 6. Primarios Donatistas, Cardinales Donatistas appellauit. *Act. 1.*

22. Sed quoniam Principum etiam purpuratorum incidit mentio, vt aperiamus adhuc aliam viam ad demonstrandam prærogatiuam horum septem Ecclesiæ Principum, perpendenda est illa versio, quam ex Hebræo habet S. Hieronymus, vbi enim nos legimus: Principes Iuda Duces eorum, vertit ex Hebræo, Principes Iuda in Purpura sua. Proculdubio sanctus Propheta, qui vt notat Bellarminus fuit mirificè illustratus in omnibus ad Christi Sacerdotium, & Pontificatum pertinentibus. Sicut præuidit illos Principes ita prouidit in purpura sua. Quid sit in purpura sua nunc aperte non disputo; hoc tantum indico. Paulum secundum, qui Pontifex creatus anno Domini 1464. omnium primus Cardinalibus vestem rubeam, siue purpuream attribuit, eo consilio illam attribuisse, vt nimirum habitum illi suum intuentes, Constantiæ, Charitatis, & Martyrij perpetuo admonerentur. Vt sicut Christus in Passione, & Cruce purpuram induit sanguineque suo purpurauit, tàm se ipsum, quam Ecclesiam, ita & ipsi pro Christo, & Ecclesia proque eius fide, & gloria stent fortissima propugnacula vsque ad mortem, atque pro ea si res poscat, sanguinem fundant, & Martyrium subeant. In quo quidem Paulus, vestigiis institit Innocentij quarti, qui ducentis fermè annis ante, in reuerentiam Apostolici muneris, & numeri, creatis duodecim Cardinalibus, primus eisdem galerum purpureum assignauit, vt illi vsque ad sanguinem, & mortem Friderico Imperatori hosti Ecclesiæ sese vna secum objicerent, eique caput suum, quasi Arcem opponerent.

Quare & quando fuit data Cardinalibus vestis rubea.

Quod si hoc opus sub honorifica Cardinalis fouetur purpura; verè qui Cardinalatum desiderat, bonum opus desiderat. Vide, ait Beatus Petrus Damiani, quid dicit Apostolus. Quid desiderandum obtendit, non bonam dignitatem, non bonum honorem, sed bonum opus desiderat; ac si dicat, qui ad Episcopatum anhelat possidendum sine bono opere, inane vult nomen inducere sine rei ipsius veritate. Non ergo constat Cardinalatus (agit B. Damiani de Episcopis Cardinalibus) non ergo constat in turritis Gebellinorum, transmarinarumque Ferarum pileis, non in flammantibus Martorum submentalibus rosis, non in Bractearum circumfluentium phaleris, non denique in glomeratis constipantium militum cuneis neque in frementibus, ac spumantia frœna mandentibus equis, sed in Sanctarum exercitatione virtutum, & præcipuè ardentissimæ charitatis, qua velint, & cupiant pro Christo mortem oppetere, & sanguinem totum profundere.

Lib. 2. ep. 1.

23. Tales sine dubio fuerunt omnes Apostoli primi Christi Summi Pontificis Cardinales, quos nimirum, vt ait Tertullianus, latere adlegit suo, & fecit, vt essent duodecim cum illo; qua ratione Leo nonus in Epistola ad Michaelem dicit, Clericos Romanæ Ecclesiæ, Cardinales vocari, quod Summo Pontifici proximè adhæreant, qui est veluti cardo totius Ecclesiæ.

l. 1. c. 2. de Præscrip.
Marc. 3.

24. Et quamuis de Cardinalium numero non ignorem, quid in sua Constitutione meminerit Ioannes Papa octauus, Romanum quidem Pontificem Moysis, ipsos verò S R. E. Cardinales, septuaginta Seniorum vices gerere, qui sub eo causarum iudicia dijudicarent.

De numero Cardinalium.

Tamen si antiquiora tempora repetamus, inueniemus, septem tantùm numero fuisse primos S. R. E. Cardinales, qui septem illos Seraphinos repræsentarent, quos Clemens Alexandrinus septem primogenitos Angelorum Principes appellat, in circuitu Diuini Throni assistentes, & quidem in sua purpura, nam quod instar

Baron. ad ann. 312.
l. 6.
Apoc. 1. & 2.

Cælestis

Cœlestis illius præstantissimæ Hierarchiæ Ecclesiasticæ pariter sit composita docet S. Ignatius Epistola ad Trallianos. In posterioribus autem Sæculis reperimus Lateranensem Ecclesiam, quæ, vt dicit P. Damiani, sicut Saluatoris insignita est Vocabulo, qui nimirum Caput est omnium Electorum, ita mater, & quidam Apex, & vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Reperimus, inquam hanc primam Ecclesiam septem habuisse Episcopos Cardinales, dictos etiam Collaterales, illos scilicet, qui proximos vrbi habentes Episcopatus, assistunt Pontifici, eidem S.R.E. annexi cardini, ad quos Petrus Damiani creatus, & ipse Episcopus Cardinalis Ostiensis luculentam scripsit Epistolam, cui Titulum fecit. Venerabilibus in Christo sanctis Episcopis Lateranensis Ecclesiæ Cardinalibus; & quoniam posteriora tempora Ecclesiæ repræsentant priora, & Episcopi posteriores repræsentant primos Episcopos, hoc est Apostolos, quorum sunt successores. Consideranti mihi, quosnam ex Apostolis repræsentent septem præcipui Episcopi, qui dicuntur Episcopi Cardinales; visum est ab illis repræsentari septem Apostolos, quos in hac tertia manifestatione recenset Euangelista. *Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo.* Vnde illud cognoscere liceat, quod sicut hi septem Episcopi sunt præcipui Episcoporum, ita hi septem Apostoli sunt præcipui Apostolorum. Sed qua ratione ostendimus illos præcipuè ab his septem præcipuis repræsentari? ostendo hac ratione. Quia Christus vt Pontifex ad functionem Pontificiam omnium celeberrimam, hos tantùm Collaterales adlegit. Etenim antequam Christus se visibiliter à suis, ad Cœlos ascendens abstraheret, volens vnum Vicarium in terris relinquere, qui vices ipsius, in administratione, & gubernatione Ecclesiæ successiuè vnus post alium perpetuo gerat, voluit ipse per se, & immediatè primum eligere, & constituere, & ad eum potissimum finem, plures, & honoratiores è discipulis (sic loquitur Cornelius) congregari voluit, vt coram iis, quasi primariis, suum in terris Vicarium declararet, quem proinde vt talem cæteri Apostoli, & Fideles agnoscerent, & colerent: hæc ille.

Baron. an. 1057.

Baron. ad an. Christi 760.

25. Atque hanc quidem enarrationem tanti fecit Ioannes Euangelista, vt cum veluti finem Euangelio suo fecisset illis verbis: *Multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipsius.* Cum inquam Euangelium propè dixerim conclusisset, voluit adhuc nouum hoc, & vltimum scribere de Ecclesia, deque electione Vicarij visibilis, & huius rei occasione, ait Toletus, hanc tertiam manifestationem enarrat, non vt Resurrectionis veritatem confirmet, quam in fine præcedentis capitis, & libri, satis esse confirmatam dixit. Quare illum tanquam finem interposuit libri ait August. Tract. 122. quod esset etiam sequuturus narrationis quasi proœmium, quod ei quodammodo faceret eminentiorem locum. Ergo post mirabilem illam Piscationem per manus septem præcipuorum Piscatorum factam, quibus, vt ait Cyrillus quando ad Apostolatum eos vocauit Dominus: Venite, inquit, post me, & faciam vos fieri Piscatores hominum, post illam, inquam, piscationem, in qua vt ait S. Hieronymus. Omnia quæ sunt in Mari piscium genera capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum, dum, & nobiles, & ignobiles, diuites, & pauperes, & omne genus hominum, de Mari huius sæculi extrahitur ad salutem. Quod

Cap. 20. 30. 31.

Cap. 21.

l. 12. c. 6.

In c. 47. Ezech.

tunc (quod addo ex Cyrillo) ex ea captura quasi à signo quodam cito futurum Dominus significauit.

26. Post Conuiuium item peractum, quod ad consequuturam functionem totum ordinatum videbatur iuxtà consuetudinem Domini in rebus magnis, vt quando Eucharistiam fuerat instituturus. *Cum ergo prandissent*, ait Euangelista, *Cum ergo*. Obserua illationem; tunc constituto ante se electo Discipulo ordinando, quem scilicet vt loquitur S. Ambrosius, eleuandus in Cœlum Iesus, amoris sui Vicarium relinquebat, admissis Collateralibus sex, quos in nocte Passionis, Sacerdotes iam instituerat, & Vespere Resurrectionis, secundum communiorem Theologorum sententiam Episcopos ordinauerat: Exorsus est magnum illud examen, quod Pastorali officio injungendo, præmittendum necessario erat. Simon Ioannis diligis me plus his? Hic ad rem nostram illud obseruo. Voluisse Christum in institutione primi Vicarij sui interesse sex quasi assessores, qui electorum Pontificis formam adumbrarent, ideo illorum præsentiam significauit. *Diligis me plus his?* His vtique, qui hîc adsunt, ad hoc quod agimus vocati, & congregati. Atque hinc emanasse puto, quod factum deinceps in Ecclesia est. Vt in electione Pontificis sex adessent Episcopi Cardinales, qui vt Episcopi eligunt Pontificem; ex reliquis enim Cardinalibus nemo Elector est, vt Episcopus, sed vel vt Presbyter, vel vt Diaconus. Quare Bellarminus explicans qua ratione nomen Cardinalis primo impositum sit loco, & à loco deriuatum ad personas, sic etiam, ait, dicti sunt Episcopatus Cardinales, & inde Episcopi Cardinales sex illi, qui ad eligendum Pontificem conueniebant. Et in præsenti quoque conueniunt.

In c. vlt. Luc.

l. 1. de Cleric. c. 16.

27. Ex quo rationem etiam aliquam reddam, quonam tandem Mysterio factum sit, vt qui antea præter Summum Pontificem Romanum, numerabantur septem Episcopi principales, seu Cardinales, iam non recenseantur nisi sex, qui numerus, ait Panuinus, post Innocentij secundi Papæ tempora ante quadringentesimum ab hinc annum stabilitus vsque ad nostra tempora perdurauit, vt non essent, inquit, plures, quàm sex Episcopi Cardinales viuentes. Mysterium petendum est ex præcipuo munere Episcoporum Cardinalium quod est interesse tanquam præcipuos totius Ecclesiæ Patres, electioni Summi Pontificis, & quia Patres Patrum, qui primæ electioni primi Christi Vicarij interfuerunt numerati sunt tantum sex, congruum planè fuit, vt primus hic Collateralium Episcoporum numerus teneretur. Cæterum sicut tunc Christus, qui est verus Primarius, & vnicus Episcopus principalis totius Ecclesiæ complebat, vt primus Episcopus septenarium numerum Episcoporum faciens vnum cum suo Vicario, ita etiam nunc defuncto eius Vicario Episcopo, qui est visibilis Episcopus Romanus, & primus Episcoporum primi huius sacri Septenarij redit ipse per se inuisibiliter ad creationem noui Vicarij, & primus inuisibilis inter sex visibiles Collaterales eodem modo immediatè confert potestatem, & Claues Regni Cœlorum. Iam verò vt rem nostram concludamus, cum in Ecclesia præsenti sex Episcopi Cardinales supremum gradum obtineant sub Episcopo Maximo Romano, quasi primorum Collateralium Successores, dicendum est sex primos illos Collaterales fuisse inter alios Christi Discipulos præcipuos, & principales; atque adeo ex notione nominis Cardinales. Et sanè conuenientissimum erat, vt ad actionem

Ecclesiasticam omnium maximam, in qua à Summo Pontifice Christo tradendæ erant primo Vicario suo Claues Regni Cœlorum, assumerentur primarij Sacerdotes, tanquam publici testes, & quasi exemplar, & forma posteriorum Electorum. Vnde tandem apparet Beatum Nathanaelem inclusum à Christo in hoc sacro Senario non excludi à numero duodenario. Si enim ille vnus è duodecim non erat, profectò neque Episcopus erat, immò neque Sacerdos erat, immò merè laicus erat, nam eo tempore totus Christianus Clerus in solis Apostolis à Christo immediatè ordinatis positus erat, & merè laicum inter primos, & summos Sacerdotes congregari. Ante Iacobum, ante Ioannem nominari, ad Pontificalem functionem admitti, & quasi incorporari, nec iustum, nec decens esse videbatur.

27. Sed quoniam ex forma, quam tradidit Christus Claues Vicario suo, potest aliquod argumentum sumi pro Beati Nathanaelis Apostolatu, non omittam, & hoc etiam indicare. Forma traditionis Clauium, hoc est supremæ potestatis Ecclesiasticæ fuit illa. *Pasce oues meas.* Hoc enim verbo, seu præcepto, *Pasce,* institutus fuit à Christo Ecclesiasticus Principatus, vt docent omnes Catholici: significatur enim per actum, qui non est tantum præbere pabulum, sed etiam ducere, reducere, tueri, præesse, regere, castigare; significatur inquam per actum hunc pastoralem vniuersalem, potestas ipsa, vnde actus ille procedit. Porrò Christus in institutione Pastoris, totum suum Gregem voluit septem ouibus repræsentari. *Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilaa, & filij Zebedai, & alij ex Discipulis eius duo.* Dixi, ouibus, potius quam agnis quia agni in ouibus tanquam filij in matribus continentur. Dixi septem, quia septenarius numerus in sacra Scriptura est numerus vniuersitatis; vnde per septem dies currentes, & recurrentes, ait Augustinus, tempora vniuersa voluuntur. Sed sicut Deus è septem primis diebus vnam sibi segregauit, & assumpsit, & è septem primis Patriarchis vnum sibi eleuauit, & non comparuit, quia tulit eum Dominus. Ita ex septem rationalibus ouibus assumpsit vnam, & totius Gregis constituit Pastorem. Itaque totus Grex sub Pastore à senario ouium numero comprehensus est. Cuius numeri perfectionem ait S. Augustinus, nobis sacra Scriptura commendat, in eo maxime, quod Deus sex diebus perfecit opera sua, & sexto die factus est homo ad imaginem Dei, & sexta ætate generis humani, Filius Dei venit, & factus est filius hominis, vt nos reformaret ad imaginem Dei. Ad commendationem autem huius numeri repræsentantis perfectè vniuersam Gregem, addam, quod dixit August. lib. 4. super Genes. cap. 7. Non dicimus senarium numerum propterea esse perfectum, quia sex diebus perfecit Deus opera sua, sed propterea Deum sex diebus perfecisse opera sua, quia senarius numerus perfectus est. Itaque etiamsi ista non essent, perfectus ille esset, nisi autem ille perfectus esset, ista secundum eum perfecta non fierent. Ex quo inferri posse videtur, quod sicut ad Sapientiam Creatoris pertinuit omnia creationis opera. Senario dierum numero comprehendere, ita ad eandem pertinuit Vniuersum Ecclesiæ Gregem tradendum Petro senario ouium numero præsentare; merito ergo senarium illud fuit, & vt dicebamus, non Agnorum, hoc est filiorum, sed ouium, hoc est parentum, nec parentum vtcumque sed primorum totius Ecclesiæ Gregis. Et quia ouium nomine, primæ

Primatus S. Petri.

Ioan. 21.

In Psal. 110. Serm. 31.

Gen. 4.

l. 4. super Gen. c. 21.

Gregis matres significabantur; hinc inferunt Doctores, non solum fideles reliquos sed ipsos Apostolos subjectos esse, regendos, & pascendos Petro. Vide, ait Eusebius Emisenus, primum Agnos, deinde oues commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem esse constituit. Pascit igitur Petrus Agnos, pascit, & oues; pascit filios, pascit & matres, tegit, & subditos, & Prælatos, omnium igitur Pastor est quia præter Agnos, & oues in Ecclesia nihil est. Atque hic obseruare vlterius licet ex Ambrosio, quem sequitur Bellarminus, quod quamuis Christus bis dixerit: pasce Agnos meos, illa tamen vox Agnus, non plane idem vtrobique significat ex Græco. Sed primo loco significat Agnum, secundo verò loco ouiculam, hoc est paruam ouem, minorem perfectis ouibus, & maiorem Agno, quo, Christus duos Agnorum ordines designauit. Primum eorum, qui nullam habent curam Pastoralem, quique solum filij sunt, non parentes, vt est simplex populus Christianus. Alterum eorum, qui sic parentes sunt populorum, vt sint filij Episcoporum quales sunt Sacerdotes minores, hoc est Presbyteri, sed præter hunc duplicem veluti ordinem, est tertius, maximus & supremus maiorum Sacerdotum, hoc est Episcoporum, qui, & Agnis, & ouiculis præsunt, & soli possunt ordinare presbyteros, & eo modo generare Patres Ecclesiæ, vt ait Epiphanius, cum Presbyteri non possint ordinare, sed baptizare: & eo modo filios Ecclesiæ generare. Et hic tertius, & summus gradus, voce ouium significatur, & quia Christus hunc etiam gradum subjiciebat Petro. Ideo mensura amoris per trinam interrogationem, & confessionem ad summum producta, iam non Agnos vt primo, (verbis vtar Ambrosij) nec ouiculas vt secundo, sed oues pascere iubetur, & quia ouium primæ, & cæterarum omnium Parentes fuerunt Apostoli. Ideo dixit sanctus Leo Sermone de Anniuersario assumptionis suæ, Petrum per illud: Pasce oues meas, fuisse præpositum omnibus Gentibus, omnibus Patribus, & omnibus Apostolis: ipsi enim fuerunt primæ oues, primæ matres, & primi Patres, immò qui absolutè Ecclesiæ dicuntur Patres. Quare sanctus Hieronymus explicans illum propheticum locum Psal. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*. Fuerunt, inquit, ò Ecclesia Apostoli Patres tui, quia ipsi te genuerunt, nunc autem quia illi recesserunt à Mundo, habes pro his Episcopos filios. Eodem ferè modo eundem explicat locum Augustinus: pro Patribus inquit, idest Apostolis, nati sunt filij, idest fideles multi, quos Deus constituit Episcopos, & eo modo Principes super omnem terram.

Serm. de Natiuit. Ioan. Bap. — *Ambr. in c. vlt. Luc.* — *Bell. l. 1. c. 16.* — ἀρνία. προβάτια. πρόβατα.

28. Vides Apostolos dici, & fuisse absolutè Patres ea prærogatiua, qua & ipsi soli fuerunt Principes constituti super vniuersam terram, & in eodem sensu primos, & vniuersales fuisse, omnium, & ouium, & ouicularum, & Agnorum matres. Quamuis enim Episcopi sint oues, & dicantur succedere Apostolis, tum ratione Ordinis sacri Epscopalis, tum per illam similitudinem, & proportionem, quod sicut Christo in terris viuente, primi sub Christo erant Apostoli, ita nunc primi sub Romano Pontifice sunt Episcopi. Quamuis, inquam singuli Episcopi sint oues, & matres, non sunt tamen oues vniuersales, & ideo vt rectè Bellarminus, non habent partem veræ Apostolicæ auctoritatis, neque enim singuli possunt in toto terrarum orbe prædicare, & fundare Ecclesias, & alia plurima facere, quod Apostoli singuli potuerunt, quia habebant Iurisdictionem in totam Ecclesiam, & super vniuersam terram. Ideo soli Apostoli fuerunt oues vniuersales,

Apostoli absolutè Patres. — *l. 4 de Rom. Pont. c. 25.*

& ſicut tales fuerunt in vniuerſali Iuriſdictione, ita quoque in vniuerſali totius Chriſtiani Gregis repræſentatione. Cum ergo inter eius generis præſtantiæ, & vniuerſalitatis oues numeratus, & nominatus quoque ſit Beatus Nathanael, ouis, inquam, illa Iſrael in qua dolus non erat, & aſſumptus in Senario ſit ad repræſentationem perfectam, & vniuerſalem Gregis Chriſti, fatendum omnino eſt, eadem, qua cæteri, Apoſtolatus prærogatiua inſignitum fuiſſe.

19. Quod ſi quis curioſius vrgeat, cur Chriſtus in dimidiato potius numero Apoſtolorum, quàm in integro voluit totum Gregem, Petro committendum repræſentari: Cum præſertim ſciamus eum, quem aliquando puſillum Gregem appellauit, non minus ouibus duodecim conſtare voluiſſe. Afferam reſponſionem ex doctrina ſancti Thomæ in cap. 10. Matth. vbi conatus reddere rationem, quare conuocauerit duodecim, ad ſignandum, inquit, perfectionem, quia duodecim conſiſtit ex duplicate Senarij, Senarius enim perfectus eſt numerus, quia ex omnibus partibus aliquotis, conſurgit enim per vnum, duo, & tria, & iſtæ partes ſimul iunctæ ſunt ſex; vnde tot vocauit ad ſignandum perfectionem ſupra. Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter perfectus eſt. Hæc ſanctus Thomas. Ex quo ſic liceat ratiocinari. Debebat in inſtitutione Paſtoris totus Grex in numero perfecto repræſentari, ſed hoc fieri non poterat in numero conſtante ex duplicitate Senarij, quia ſecundum Senarium ex caſu Iudæ ſolutum, inſtauratum adhuc in Matthia non erat. Ergo fieri debuit in numero conſiſtente in ſimplicitate Senarij, quod factum eſt ex præcipuis diſcipulis, vt patet ex enumeratione vtriuſque Senarij apud Matthæum cap. 10. apud S. Auguſtinum Serm. 2. in Dominica Palmæ, & apud Nicephorum l. 2. cap. 44. Verum vt manifeſtius fiat huiuſmodi Senarium ex illis tantum ouibus fuiſſe, quæ fuerant ex duodenario. Non omittam, & illud obſeruare, nimirum oues hoc loco nominatas ex illis fuiſſe, quibus loquutus eſt Paſtor in nocte Cœnæ: *præcedam vos in Galilæam*; ſed recitemus omnia verba textus. *Veſpere autem facto*, ait Euangeliſta, *diſcumbebat cum diſcipulis ſuis*. Ecce Paſtor cum ouibus ſuis: Ego paſcam oues meas, & ego eas accubare faciam, Ezech. 34. Erant quippe Apoſtoli peculiari modo oues eius ſic de illis interpretatur ſtrictius ſanctus Thomas illud: Et oues paſcuæ eius, ſeu vt eſt in Pſalmo 94. Et oues manus eius, nam verè Apoſtoli fuerunt oues manus eius, ipſe eas ſuis manibus fecit, ipſe ſuis manibus rexit, ipſe ſuis manibus pauit, neque enim, niſi ipſis diſcumbentibus fregit, deditque in paſcua totum corpus ſuum, dicens: Accipite, & manducate. Et hymno dicto pergit Euangeliſta: Exierunt in Montem Olìueti, tunc dicit illis Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte, ſcriptum eſt enim, percutiam Paſtorem, & diſpergentur oues Gregis, poſtquam autem reſurrexero præcedam vos in Galilæam, quibus poſtremis verbis Diſcipulorum animos mirificè confortauit, ita enim puſilli ſui Gregis oues diſpergendas prædixit, vt prædixerit etiam ſub rediuiuo mox Paſtore, iterum congregandas; ideo, quod acutè obſeruauit S. Thomas contra illud, quod dixerat, diſpergentur oues, addidit, poſtquam reſurrexero præcedam vos in Galilæam; oues enim ait S. Thomas, ſequuntur Paſtorem, vnde Paſtor congregat vocando eas nominatim, ideo dicit præcedam. Nec ſolum dixit præcedam, ſed locum congregationis liberæ, ſecuræque procul à Iudæa, vbi perſecutio erat; præcedam, inquit, vos in Galilæam. Sed quæro, quando incœpit hæc tam amantis Paſtoris promiſſio adimpleri?

Matth. 5.

Matth. 26. v. 20.

In c. 26. Matt.

profectò neque alibi, neque antea, quàm iuxtà Mare Tyberiadis essent simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex Discipulis eius duo. Hoc autem probo ex triplici capite. Primo, quia vt ait sanctus Thomas, ideo Euangelista signauit locum huius tertiæ manifestationis, ad Mare Tyberiadis, quod est Mare Galilææ, vt ostenderet, inquit, completam esse promissionem factam discipulis: præcedam vos in Galilæam. Secundo quia manifestatio his discipulis facta est ordine tertia:

Ioan. 21. Hoc iam tertio, ait Euangelista manifestatus est Iesus Discipulis suis cum resurrexisset a mortuis, sed duæ priores manifestationes fuerunt in Hierusalem, atque

l. 3. de Cons. Euang. c. 25. adeo in Iudæa, vt docet S. Augustinus. Ergo omnium prima manifestatio facta discipulis in Galilæa, fuit hæc, alioquin non esset ordine tertia. Denique quia in hac manifestatione exercetur à Christo præcipuus, & primarius actus Pastoralis circa Gregem suum, qui positus fuit in institutione ipsa Pastoris. Ex quibus pro Apostolatu Beati Nathanaelis argumentor hoc modo. Oues, quæ ad Mare Tyberiadis erant simul, & quibus Pastor primo in Galilæa est manifestatus, ex illis ouibus erant quibus in nocte Cœnæ de hoc ipso est facta prædictio, & promissio, vt explicauimus; sed oues illæ, quibus in nocte Cœnæ facta est prædictio, & promissio, non alij esse potuerunt nisi Apostoli, vt constat ex Euangelistis. Ergo oues, quæ ad Mare Tyberiadis erant simul, fuerunt Apostoli, sed tertio ex illis ouibus ordine enumerationis, erat Beatus Nathanael. Ergo Beatus Nathanael fuit Apostolus.

CAPVT XIII.

Quanta sit autoritas opinionis de B. Nathanaele Apostolo Bartholomæo.

MIRABAR mecum ipse, quid esset, quod nemo ex antiquioribus illis, primisque Patribus, qui ferè Apostolorum tempora attigerunt, neque ex posterioribus, qui ante millesimum in Ecclesia floruerunt, nemo, inquam, quod

I. sciam Beati Nathanaelis Bartholomæi meminisset. Primus, qui hanc opinionem

Quando incœpit hac sententia & quis author? quantaque authoritatis. inuexit, fuit Rupertus, qui teste Bellarmino, vixit tempore Paschalis secundi Pontificis, & Henrici quarti, dicti quinti Imperatoris circa annum Domini millesimum centesimum vndecimum, & quidem quod antiquissimi Patres nullam de illo fecerint mentionem, probabilis fortasse causa fuit Euangelistarum exemplum, qui nunquam hæc duo nomina, tanquam vnius eiusdemque personæ coniunxerunt. Sed quæcumque illa tandem fuerit, est planè mirandum, quomodo post tàm longum tempus emersit hæc opinio. Ac mihi quidem seriò super hac re cogitanti illud veniebat in mentem. Si Rupertus hanc sententiam à nomine accepit, profectò eum non omninò humanitùs, sed cœlesti aliquo radio diuinitùs affulgente concepit; Quomodo enim nulla diuinitus luce suborta post vndecim Sæculorum tenebras, in eam primo deueniat cogitationem, & mentem, vt Nathanaelem putes Bartholomæum? Hanc animi mei suspicionem, confirmauit vehementer, quod

apud Antonium Possevinum legi. Recitabo verba. Rupertus, inquit, à iuuentute sua Monasterium Ordinis Benedicti Congregationis Cluniacensis ingressus, cum in studiis Litterarum vix aliquid proficeret, memoria verò non valeret, precibus apud Beatissimam Virginem Dei Matrem institit, vt sibi ab eius filio Scripturarum intelligentiam impetraret; cui Mater ipsa gratiosa apparuisse scribitur, & retulisse, preces eius exauditas fuisse, eique post hæc tantum scientiæ lumen impartitum iri, vt nullus eius ætatis, doctrina æquari possit. Hæc ibi. Congruit autem huiusmodi narratio testimonio Trithemij, qui Rupertum appellat. Virum in Diuinis Scripturis, Spiritu Sancto per visionem illustrante, doctissimum; Fieri ergo facile potuit, vt quod primis autoribus diuinitùs datum non raro est, id in gloriam tàm illustris Apostoli, Ruperto concederetur, vt nimirum ipse primus cœlesti quodam afflatu in eam Sententiam iret. Sed quoniam non defuerunt, qui dicerent Rupertum non solum eam sententiam non inuexisse, sed nec sequutum quidem fuisse, operæ pretium esse existimaui ipsissimi Autoris verba transcribere, vt non tantum constet de mente, sed aliqua etiam confirmatio de eius collustratione habeatur, stylus enim ipse, & forma dicendi videtur sapere propheticum quid. Ergo libro primo Commentariorum in Ioannem postquam Nathanaelis confessionem retulisset. *Loco præsenti*, inquit, *subsistit, & tenetur animus amator fidei circumspiciens, & scire ardens, quò post tàm sonoram confessionem Filij Dei, dilectus iste Nathanael deuenerit. Nusquam enim comparet; neque in hoc Euangelista, neque in aliquo cæterorum, nisi quod post Dominicam Resurrectionem, hic idem Ioannes Euangelista eiusdem hoc modo facit mentionem: Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & duo filij Zebedæi, & alij ex Discipulis eius duo. Et quis non optaret, vt lucerna tantæ claritatis, nequaquam sub modio lateret, sed supra Candelabrum poneretur, & omnibus, qui in domo Ecclesiæ sunt luceret? Quis ergo non cuperet, vt tantus Confessor Filij Dei, computaretur inter magnos Apostolos Christi? Quid enim amplius Petrus confessus est, qui non solum Apostolatum, sed, & præ cæteris Claues meruit Regni Cœlorum? Quærimus ergo vbi nam iste Deo amabilis Nathanael delituerit, quia in cunctis Euangelistarum diuersoriis nusquam vlla vestigia parent huius nominis. Rursus autem aspicientes ad duodecim Sedes, & sedentes, in illis videmus Bartholomæum, Philippo, per quem Nathanael iste vocatus, & vbique cohærentem, quem ignoramus quando vocatus sit, sicut nescimus, Nathanael postquam vocatus est, quo deuenerit. Et sicut hic Euangelista Ioannes, qui de Nathanaele scripsit, sparsim cunctos nominans Apostolos, de Bartholomæi nomine omnino tacuit, sic è contra cæteri Euangelistæ, qui vbique Bartholomæum Philippo coniungunt, de nomine Nathanael omninò tacuerunt. Constat verò quia Bartholomæus non Hebraicum, sed Syrum nomen est, quod Latinè dicitur filius suspendentis aquas, Nathanael autem Hebraicum, & interpretatur donum Dei, fortassis ergo hic ipse Nathanael, qui erat à Cana Galilæa Bartholomæus est, quod interpretatur filius suspendentis aquas, quia tertia die cum nuptiæ fierent in illo vico suo Cana Galilææ. Forte per occasionem eius Dominus inuitatus ad Nuptias, aquas in vinum conuertens in admirationem omnium illas suspenderat.*

Hactenus Ruperti verba, quæ Autoris mentem satis ostendunt, vt mirari non desinam, qua ratione dicere potuerit Maldonatus Rupertum probabilius putare *In c. 1. Ioan.*

Nathanaelem Apoſtolum non fuiſſe. Vtitur ille quidem, quod planè pertinebat ad modeſtiam, in ſententia ad illud vſque tempus, aut parum, aut nihil audita, vtitur, inquam verbo illo; *fortaſſis ergo;* ſed hoc eodem loquendi modo, vſi ſunt paſſim Patres in propriis ſententiis primo proponendis, & intimandis, & paſſim vtitur Ariſtoteles, quod aduertere facile potuiſſet Maldonatus, quemadmodum, & ante illum non pauci, & poſt illum etiam plures aduerterunt, qui propterea pro hac ſententia Rupertum non ſolum citant ſed laudant Autorem.

De Scriptoribus. Quod verò ad autoritatem pertinet huius doctoris, noui in illius operibus errorem aliquem inueniri in materia de Euchariſtia, quæ videtur eſſe cauſa, ait Bellarminus, cur opera Ruperti iacuerint annis circiter quadringentis; cæterum in Sanctiſſimis Patribus, qui plurima cœlitus acceperunt, nonnulla huiuſmodi reperies ab illis edita ante apertas Eccleſiæ definitiones, atque inter illos Patres numeratum reperio Rupertum noſtrum qui vt verbis Trithemij vtar, non ſolum multa claruit doctrina, ſed multa etiam ſanctitate, & miraculis coruſcauit.

II. *Nathanaelem Bartholomæum varij autores confirmant.* Porrò opinio de Nathanaele Bartholomæo, etiam poſt Rupertum natum, tamdiu iacuit quandiu opera ſine luce delituerunt; vbi autem hæc cœperunt lucem aſpicere, quod ingenti planè Chriſtianæ Reipublicæ bono, ſuperiore ſæculo factum eſt, mirum quanta conſenſione Sapientiſſimi homines, qui eo ſæculo floruerunt, illam quantumuis nouam, & vnius tantùm Ruperti fultam auctoritate exceperunt, aliquot ex illuſtrioribus nominabo.

Benedictus Arias Montanus Hiſpalenſis, is, qui Sacrorum Bibliorum, quæ vocantur Regia, editioni præfuit, quæ, & quinque linguis Hebraïca, Chaldaïca, Græca, Syriaca, & Latina octo tomis comprehenſa, edi curauit, in ſuis elucidationibus in quatuor Euangelia complexus eſt, hanc ſententiam tanta animi adhæſione, vt nunquam Apoſtolum noſtrum, aliter quàm Nathanaelem Bartholomæum appellet. Vide in cap. 10. Matthæi 3. Marci. 6. Lucæ. 1. Ioannis.

Onuphrius Panuinius Veronenſis Ordinis S. Auguſtini, qui Eccleſiaſticam Hiſtoriam omnem indefeſſo planè labore peruoluit in ſuo Chronico Eccleſiaſtico, quod ſuorum operum poſtremum, & abſolutiſſimum fuit, Nathanaelem Bartholomæum, tanquam rem, quæ extra omnem controuerſiam, ponenda à poſteris eſſet, conſignauit ad annum Chriſti 73.

Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandauenſis, vir interpretandi ſoliditate inter recentiores nulli ſecundus in Commentariis in ſuam concordiam Euangelicam cap. 17. & rurſus cap. 39. eandem Ruperti laudauit ſententiam, & confirmauit.

Guilielmus Eſtius Duacenſis Academiæ Cancellarius, magni vir ingenij, ac paribus pietatis, & eruditionis dotibus ornatus, in opere Annotationum, quas ſcripſit in præcipua, ac difficiliora Sacræ Scripturæ loca, explicans caput vltimum Euangelij ſecundum Ioannem, hanc ſententiam eruditè tuetur, & affirmat.

Bartholomæus Gauantus Congregationis S. Pauli, ſub finem operis, quod Theſaurus Sacrorum Rituum inſcribitur, ſatis plenè, & preſsè vniuerſam hanc controuerſiam pro Ruperti ſententia definit, eamque triplici Axiomate comprehendit.

Citantur pro hac Ruperti ſententia quidam alij, qui adhuc ad meas manus non peruenerunt. Interim Doctores aliquot addam noſtræ Societatis.

Alphonſus Salmeron Toletanus, qui obiit anno à Chriſto nato 1505. Vir ſacris literis

litteris innutritus, in iisque solidè, doctéque ad senectutem vsque versatus, tom. 4. Commentariorum in Euangelicam Historiam, tractatu decimo octauo, ostendit septem rationibus, & coniecturis Beatum Nathanaelem Apostolum fuisse, ipsumque Bartholomæum, quam sententiam confirmat iterum tomo decimo tract. 20.

Ioannes Osorius Hispanus, nobilis Concionator, qui obiit anno salutis 1594. Suarum Concionum tomo tertio, iisdem Ruperti verbis Nathanaelem Bartholomæum profitetur.

Nicolaus Serarius Lotharingus, qui obiit anno salutis 1609. Vir omnigenæ litteraturæ, quem Cardinalis Baronius tom. 12. ann. ad annum Christi 1126. Lucis Iubar Ecclesiæ Germanicæ dicere non dubitauit, tomo primo, Opusculo de Apostolis, eandem laudat, sequiturque Sententiam.

Cornelius Cornelij à Lapide Belga celebris in Collegio Romano, sacrarum Litterarum Interpres, qui post copiosos, & eruditos Commentarios in vniuersam ferè sacram Scripturam, plurium annorum studio elucubratos, septuagenario maior fœliciter obiit in Collegio Romano, salutis anno 1637. die 12. Martij, cuius beatissimæ morti ego affui, & magnæ illius sanctimoniæ testis fui, cum hac ipsa quoque sententia decessit, quam testatam reliquit tomo secundo super Euangelia in caput primum S. Ioannis.

Io. Stephanus Menochius Italus, dum hæc scribimus adhuc superstet, laudandus post mortem, parte prima libro 2. cap. 6. Vitæ Iesu Christi, Salmeronis pro hac sententia rationes affert, & probat.

CAPVT XIV.

Expenditur Sententia Augustini de Apostolatu Nathanaelis.

NEMO fortasse est inter Patres, qui de Beato Nathanaele magnificè magis, aut sentiat, aut loquatur, quàm Augustinus. Consulamus tractatum septimum in Euangelium sancti Ioannis. Admiratur ibi primò S. Doctor magnitudinem Diuini testimonij, *audi*, inquit *Dominum Nathanaeli testimonium perhibentem. Et vidit Iesus Nathanaelem venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Magnum testimonium hoc, nec Andreæ dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, quod dictum est de Nathanaele, quid ergo facimus fratres, deberet iste, primus esse in Apostolis.* Vides quàm altè sentit Augustinus. Extollit ibi secundo magnitudinem fidei, & confessionis illius, *nam talem*, inquit, *vocem protulit: Tu es Filius Dei, tu es Rex Israël, qualem tanto post Petrus, quando ei Dominus ait: Beatus es Simon Barjona, quia non tibi reuelauit caro, & sanguis, sed Pater meus, qui est in Cælo, & ibi nominauit Petrum, & laudauit firmamentum Ecclesiæ in ista fide.* Vbi vides Augustinum comparare fidem Nathanaelis, eandemque facere cum illa, in qua laudauit Christus firmamentum Ecclesiæ, vnde meritò videtur Augustinus in eadem sententia fuisse de Nathanaele, in qua perhibetur Origenes fuisse de Bartholomæo, se scilicet non posse asserere quod Beatus Petrus illum sanctitate præcelluerit.

I. *Quid senserit Augustinus de Nathanaelis Apostolatu.*

K

Sed quamuis Augustinus de Nathanaele ita senserit, tamen quia vidit illum (quod sub hoc nomine Nathanaelis est certum) in Catalogo non esse Apostolorum, adiecit animum ad causam inuestigandam; cur, inquit ipse, *non solum primus, sed nec medius, nec vltimus inter duodecim Nathanael inuenitur, cui tantum testimonium perhibuit Filius Dei?* Cumque de hoc testimonio, atque adeo de personæ excellentia nihil detrahere liceret amplexus est sanctus Doctor communem, quæ de Nathanaele fuit, opinionem, quod nimirum fuerit in lege doctissimus, atque hoc modo ratiocinatus est

Nullus doctus primo in Apostolum adlectus est; sed Nathanael vir fuit doctus. Non est ergo mirandum si in Apostolum adlectus non est. Et quidem quod nullus doctus primo electus est, probat sanctus Doctor, tum autoritate Pauli Epist. 1. ad Corinth. cap 1. tum ratione ducta ab artificio Diuinæ Sapientiæ. Quod verò Nathanael fuerit vir doctus, probat præcipuè ex recondita doctrina, quam ostendit, cum respondit Philippo. *A Nazareth potest aliquid boni esse.*

II. *Nathanael fuit legis peritus.* Sed præstat totam sententiam Augustini suis verbis exponere, vt illam & fideliter, & candidè ad veritatem indagandam expendamus. In tractatu ergo septimo super Ioannem hæc habet. *Intelligere debemus ipsum Nathanaelem eruditum, & peritum legis fuisse, propterea noluit illum Dominus inter Discipulos ponere, quia Idiotas elegit vnde confunderet Mundum. Audi Apostolum dicentem ita: Videte, inquit, vocationem vestram fratres, quia non multi Sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed infirma Mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia Mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, vt ea quæ sunt euacuentur. Si doctus eligeretur, fortasse ideo se diceret electum, quia Doctrina eius meruit eligi. Dominus noster Iesus Christus volens superborum frangere ceruices, non quæsiuit per Oratorem Piscatorem, sed de Piscatore lucratus est Imperatorem. Magnus Cyprianus Orator, sed prius Petrus Piscator, per quem post a crederet non solum Orator, sed & Imperator. Nullus nobilis primo electus est, nullus doctus, quia infirma Mundi elegit Deus, vt confunderet fortia. Erat autem iste Magnus, & sine dolo, hoc solo non electus, ne cuiquam videretur Dominus doctos elegisse, & ex ipsa doctrina legis veniebat, quod cum audisset à Nazareth, scrutatus enim erat Scripturas, & sciebat, quia inde erat expectandus Saluator, quod non facile alij Scribæ, & Pharisæi nouerant. Iste ergo doctissimus legis cum audisset Philippum dicentem: inuenimus Iesum, quem scripsit Moyses in lege, & Propheta à Nazareth filium Ioseph. Ille qui optimè Scripturas nouerat, audito nomine Nazareth erectus est in spem, & dixit: à Nazareth potest aliquid boni esse.*

Ecce Magni Augustini autoritatem habemus, & rationem, & quod sæpè in multis Patrum testimoniis fieri solet, autoritatem in ipsa ratione Sed videamus quanti faciant rationem Aduersarij ipsi nostri, qui tanti faciunt autoritatem. Si ratio Augustini in vniuersum probaret, ait Toletus, nec Paulus eligendus videretur qui doctior multo Nathanaele erat; neque si vnus doctus, & Doctor esset, addit Lorinus, non verum esset, quod Paulus dixit: non multi Sapientes secundum carnem cum potius conueniret, aliquem inter Apostolos talem admitti, ne viderentur sapientes omninò contemni, sicut & Paulus postea cooptatus est, optimè in lege institutus, & aggregatus Ecclesiæ Apollo, eloquens, & potens in Scripturis.

In c. 1. Ioan.

In c. 1. Act. Apost.

Sic tractant rationem qui tanti Doctoris contra nos obtendunt autoritatem, sed quam meritò ipsi viderint, nam sanctus Augustinus expressè, & signanter agit de primo electis. Nullus inquit nobilis primo electus est, nullus doctus: & fusius in enarratione Psalm. 65. vbi tractans de Nathanaele, qui electus non fuit eo quod doctus in lege erat non quia, inquit doctos non erat electurus, sed si ipsos primo elegisset, doctrinæ suæ merito se electos putarent, ideo Nathanaelem non assumpsit inter illos discipulos, quos primum Idiotas elegit. Et mox. *Elegit*, inquit, *Dominus postea, & Oratores, sed illi superbirent si non prius eligeret Piscatores, elegit diuites, sed dicerent merito diuitiarum suarum se electos esse, nisi primo elegisset pauperes. Elegit Imperatores postea, sed melius est cum Romam venerit Imperator, deposito diademate ploret ad memoriam Piscatoris, quàm vt Piscator ploret ad memoriam Imperatoris.*

Constat ergo manifestissimè Augustinum loqui de primo electis, hoc est de duodecim illis, quos in diebus carnis suæ Dominus noster assumpsit, & Apostolos nominauit. Quorsum igitur Paulum obtendere, quorsum Apollo? Quod si ne de illis quidem primis duodecim existiment vniuersaliter verum, eos fuisse illiteratos, & idiotas, videant, ne qui pro sua opinione auctorem habere gloriantur Augustinum, plus iusto ab illius auctoritate discedant, & quidem in re grauiori, in qua non semel, aut iterum, sed sæpissimè, & ex professo, & tanquam Ecclesiæ doctor loquutus est. Afferam vnum, aut alterum locum ex libris de Ciuitate Dei. *Elegit*, inquit, *discipulos, quos & Apostolos nominauit, humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, vt quidquid magnum essent, & facerent, ipse in eis esset, & faceret.* Et rursus lib. 22 cap. 5. *Modus, quo Mundus credidit si consideretur, incredibilior inuenitur, ineruditos liberalibus disciplinis, & omnino quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei ad Mare huius Saculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tàm multos pisces, & tanto mirabiliores, quanto rariores etiam Philosophos cœpit.* *Lib. 10.*

Tenendum ergo est tanquam certum cum Augustino, omnes illos de numero duodecim, & humili loco natos, & planè illiteratos fuisse, quod si Beatus Nathanael, & humili loco natus, & verè etiam indoctus, & illiteratus fuit, paratum pro illius Apostolatu Augustinum ipsum habemus; ex cuius ore, & calamo, publica illa de Nathanaele extat declaratio. Hoc solo non electum ne cuiquam videretur Dominus doctos elegisse. Itaque suffragium ipsum Augustini pendet iam ex illa controuersia. Vtrum verè Beatus Nathanael fuerit doctissimus legis, an potius eiusdem ferè imperitiæ, & illiteraturæ cum Petro, Andrea, & Philippo, qui proximè ante ipsum, & ferè cum ipso vocati sunt.

Fateor Augustinum sequutum esse vulgarem sententiam existimantium Nathanaelem, quasi alterum Nicodemum fuisse, veluti Magistrum in Israël. Immò ipse, vt fœcundissimo pollebat ingenio, argumentum etiam nouum illi sententiæ subministrauit. Quia, inquit, non nisi à recondita doctrina legis, & Scripturarum proficisci poterat, vt Nathanael audito nomine Nazareth, erigeretur in spem, & diceret affirmando, & quasi docendo. A Nazareth potest aliquid boni esse. Proculdubio, ait Augustinus, qui intellexit, quia à Nazareth potest aliquid boni esse, peritus erat legis & benè Prophetas inspexerat.

Hoc est vnicum argumentum Augustini, quod nititur duplici præsupposito. Primum est ad profundam quandam legis, & Prophetarum doctrinam pertinere, hoc scire Christum videlicet esse posse à Nazareth. Alterum est, Nathanaelem verè hanc doctrinam calluisse, & tenuisse. Et quidem negari vix potest ad secretiorem quandam, & peritiorem doctrinam pertinuisse, qua ratione Christus esse posset à Nazareth, quamuis enim sanctus Matthæus citet Prophetas. *Et veniens*, inquit, *habitauit in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetas. Quoniam Nazaræus vocabitur.* Quamuis, inquam, sanctus Matthæus citet Prophetas, hoc tamen propheticum testimonium nusquam in sacris Litteris iisdem verbis reperitur, quæ res magnas apud Interpretes controuersias excitauit. *Et quidem*, ait S. Hieronymus, *si fixum de Scripturis posuisset exemplum, nunquam diceret, quod dictum est per Prophetas, sed simpliciter, quod dictum est per Prophetam, nunc autem pluraliter Prophetas vocans, ostendit se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum.* Hæc Hieronymus. Ex ea autem obscuritate Scripturæ in hac materia, factum est vt Scribæ, & Pharisæi, qui interrogati ab Herode vbi Christus nasceretur, incunctati responderunt, in Bethleem Iudæ, non solum existimarent Christum esse non posse de Nazareth Galilææ, sed nec vllum alium Prophetam longè inferiorem; hinc Pharisæi dixerunt Nicodemo: *scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa Propheta non surgit*, quasi dicerent, ait Toletus, res est manifesta & indubia, non est opus ipsum audire, certum enim est, non solum non esse Christum, sed nec simplicem Prophetam, scrutare enim Scripturas, & inuenies nec Prophetam extitisse vllum vnquam, nec vllum extare debere de Galilæa.

In c. 2. Matth.

In c. 7. Ioan.

Iure ergo præsupposuit illud Augustinus Scribas ipsos, & Pharisæos tanquam aliquod valde reconditum latuisse, qua ratione fieri posset, vt à Nazareth expectari Saluator posset.

III. *An fuerit Nathanael doctus?*

Verum quod huiusmodi arcanum cognouerit, & è Scripturarum scrutatione tenuerit Nathanael, hoc non aliunde probat Augustinus quàm ex modo, quo illam protulit responsionem, *à Nazareth potest aliquid boni esse*, cum enim duobus modis ea verba pronunciari possent, aut per affirmationem, aut per interrogationem, existimat Augustinus prolata à Nathanaele esse asseueranter, & affirmanter, non verò quasi admirando, & dubitando, atque adeo non per interrogationem. Tota ergo argumenti vis ad vnam notulam redacta est, quomodo scilicet, lectio constituenda est, cum nota ne interrogationis, an sine illa. Nam si lectio illa Scripturæ cum nota interrogationis constituenda est, non solum cessat indicium arcanæ illius doctrinæ in Nathanaele, sed probatio non leuis insurgit illius ignorationis. Sed quos controuersiæ Iudices constituemus; Certè cum sanctus Euangelista scripserit Græcè, Græci Patres excludi non possunt. At Cyrillus lib. 2. cap. 15. cum interrogatione legit, & addit: *non potest facile sentire Nathanael magnum quid, atque præcipuum esse, quod à Nazareth ortum habeat.* Chrysostomus verò Homilia 19. sur hunc locum, cum interrogatione pariter legit, & causam prudentis dubitationis ex parte Nathanaelis affert. *Quia*, inquit, *audierat ex Bethleem Christum venturum iuxtà prophetiam illam, & tu Bethleem terra Iuda, cuius prophetiæ memor Nathanael audiens eum Nazarenum, perturbatur, & dubitat ne secundum Prophetæ sermonem Philippus in patria commemoranda falleretur.* Hæc Chysostomus. Iudicium hoc Græcorum Interpretum est valde graue, præsertim cum sit omnium

commune, vt enim testatur Maldonatus, nullus numquam Græcus autor aliter legit. At fortasse aliter legunt Latini? Vidi ego, quos potui Latinos interpretes, & si vnum Bedam excipias, qui sanctum Augustinum passim, & subinde ad verbum consectatur, nullum prorsus inueni, qui sine interrogatione legendum omnino arbitretur. Immo sanctus Augustinus non ita suæ sententiæ adhæret, vt contrarium damnet, sed potius vtramque tuetur; nam tract. 7. in Ioan. expendens illam vocem Philippi: *Veni, & vide. Ambas*, inquit, *pronuntiationes potest ista vox sequi, siue sic pronunties tanquam confirmans, à Nazareth potest aliquid boni esse, & ille: veni, & vide. Siue sic dubitans, & totum interrogans, à Nazareth potest aliquid boni esse? veni, & vide.* Idem ferè repetit, & expliquat magis in Psal. 65. *Hæc verba: Veni, & vide, vtramque*, inquit, *possunt pronuntiationem sequi, si dicas, quasi non credens, à Nazareth potest aliquid boni esse? Respondetur veni, & vide quod non credis. Rursus si dicas confirmans, à Nazareth potest aliquid boni esse. Respondetur, veni, & vide quod credis, quàm verè bonum sit, bonum quod nuntio à Nazareth, & quam rectè credas, veni, & experire.* Itaque sanctus Augustinus non omnino rejicit communem lectionem; quod si omnino non rejicit, jam neque ipse firmiter adhærere videtur sententiæ de arcana doctrina Nathanaëlis, quæ huic vni nititur lectioni.

Tandem ad judicium prouoco aduersariorum, qui cum jactent autorem Augustinum pro præstanti, ac singulari doctrina Nathanaëlis, iterum ab hoc vnico illius argumento, & lectione discedunt. Quare recentiores omnes Augustini sectatores per modum dubitationis, & interrogationis sententiam legunt, & in eam conformitatem explicant, quod suscepit Philippus, *Veni, & vide.* Subtiliter vtitur, ait Toletus, Nathanaelis admiratione, ac dubitatione Philippus, vt eum ad Christum alliciat, quasi dicat, tu admiraris rem grandem, & difficilem, veni, & vide, facillimè te ab hac admiratione, ac dubio liberabis, veni, & vide. Toleto Maldonatum conjungo, Philippi responsio magis conuenit, quasi admirantem, dubitantemque ad experiendum inuitet. Veni, & vide. Vtrique addo Riberam, qui expliquans, à Nazareth potest aliquid boni esse: per interrogationem, inquit, legendum est juxtà omnes, licet Augustinus etiam sine interrogatione legi posse affirmet.

Iam verò quoniam aduersarij Magni Augustini patrocinio in illius ratione posito abrenuntiarunt, eos jam tanquam inermes inuadimus, & petimus, vt locum aliquem proferant, ex quo Beatum Nathanaelem doctissimum legis fuisse confirment. At inquiunt id confirmari ex ipsa admiratione, & addubitatione Nathanaelis, viro enim apprimè perito in scriptura difficultatem faciebat sermo Prophetæ, Christum de Bethleem futurum prædicentis, audio, *Mich. 5.*
sed oporteret ab ipsis ostendi, addubitationem illam non nisi à scripturarum peritia profectam esse. Nam ego Maldonatum habeo, qui disertis verbis asserit Nathanaelem potius propter ignobilitatem loci, quàm propter scripturarum testimonium addubitasse, num à Nazareth aliquid boni esse posset, hoc enim, inquit, verba præseferunt, à Nazareth, id est à loco tàm ignobili, tàm barbaro potest aliquid boni esse! Si enim illi fuisset causa dubitandi, quod Christum ex Scriptura in Bethleem nasciturum sciret, non dixisset tàm genera-

caliter, à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Sed magis propriè, à Nazareth poteſt Chriſtus eſſe? Aut hoc ſaltem modo, à Nazareth poteſt tantum bonum eſſe? Quemadmodum illi dixerunt: numquid à Galilæa venit Chriſtus? Atque hanc rationem affert Maldonatus. Cur Nathanael de adDubitatione illa, & quaſi incredulitate reprehenſus à Chriſto non fuerit: quia inquit, non niſi propter loci vilitatem & ignobilitatem dubitauit; quis enim non dubitaſſet? Quis Philippo homini imperito, non dum pro Apoſtolo cognito credidiſſet?

Ioan. 8.

Itaque non omnes facile conceſſerint Nathanaelem propter teſtimonium Scripturarum addubitaſſe; ſed eſto propter illud addubitauerit, erat ne tàm reconditum, tàm additum, & abſtruſum in populo Iſraël, Meſſiam de Domo Dauid naſciturum? Nonne hoc erat in ore vulgi. An neſcimus, quod narrat Ioannes capite ſeptimo. *Ex illa ergo turba cum audiſſent hos ſermones eius, dicebant: Hic eſt verè Propheta. Alij dicebant, hic eſt Chriſtus; quidam autem dicebant: numquid à Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit quia de ſemine Dauid & de Bethleem Caſtello, vbi erat Dauid venit Chriſtus? Diſſenſio itaque facta eſt in turba propter eum.* Hoc narrrat Euangeliſta, ex quo conjecturam facere licet de vulgata doctrina illius temporis. Mirandum itaque non eſt ad hominis fidelis aures de Catholica illa in populo Dei doctrina tantum perueniſſe, quantum ad addubitandum tunc temporis requireretur.

At Philippus cum Nathanaele loquitur, tanquam cum viro docto, & in Scripturis verſato, propterea meminit legis, & Prophetarum, propterea illis verbis aggreditur annunciare: *quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth.*

Hoc eſt vltimum argumentum, quod quantum euincat intentum, non ita facile oſtendi poteſt. Quia dubium valde eſt, an magis doctrinam Philippi loquentis, quàm Nathanaelis audientis probet. Conantur quidem aliquando homines imperiti literatè quantum poſſunt cum doctis agere, vt ſe ad eorum ingenium, & eruditionem accomodent. Quare vt rectè Maldonatus, fieri potuit, vt Philippus, quamuis indoctus eſſet, quia cum homine agebat docto, iis vteretur Scripturarum teſtimoniis, quæ cæteroquin, nemo quantumvis indoctus Iudæus ignorabat; ſed quod ex hoc loco, & verbis magis probetur Doctus Nathanael, quàm Philippus, non video qua ratione oſtendere aduerſarij poſſint. Sermo enim doctus natura ſua loquentem potius prodit doctum, quam doctum arguit audientem; Et ſane ſi quis velit pro Philippo argumentari, obſeruabit cum Chryſoſtomo, quemadmodum per Moſen & Prophetas dignum fide ſermonem ſuum facere, & auditori perſuadere admititur. Quem ſcripſit, inquit, Moyſes in lege, & Prophetæ inuenimus Ieſum, in quo oſtendit primo tenere ſe diſtinctionem inter Moyſen, & Prophetas minores illo, ſaltem in ſignis edendis. Rurſus, ſcire ſe quid nomine legis veniret, quatuor ſcilicet priora volumina, quibus, quemadmodum Euangelium quatuor Euangeliſtis, illa conſtabat, nam Deuteronomium repetitio quædam eſt priorum librorum. Tertio, Scripturarum loca ſtudio aliquo contuliſſe, ait enim: Inuenimus Ieſum eſſe illum ipſum, de quo ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ. Denique cum in toto colloquio, quod ab Euangeliſta deſcribitur inter Philippum & Nathanaelem, duæ tantum ſint propoſitiones, quæ doctrinam redolere poſſe videantur. Alteram Phi-

Homil. 19.

lippi, Nathanaelis alteram, Philippi: *quem scripsit Moyses in lege, & Propheta.* Nathanaelis: *A Nazareth potest aliquid boni esse*, judicet lector, vtra illarum majori doctrinæ præjudicium ferat. Quod si, quod fatetur Lorinus, non minus doctrinam Philippus ostendit dicens: quem Moyses, &c. quam quod ei Nathanael respondit: A Nazareth, &c. Dicendum necessario est, aut Philippum in Apostolum adscitum non fuisse, quod est hæreticum, aut Nathanaelem in Apostolum assumi potuisse.

Sed quoniam pro opinione quod Nathanael fuerit doctissimus legis, quamvis Scripturæ loca non sint, est tamen communis ferè consensus.

Age argumento aliquo positiuo, & ab Euangelistis ipsis petito, ostendamus Nathanaelem non majori instructum fuisse doctrina, quam Philippus, cæterique Coapostoli, qui procul dubio doctissimi legis non fuerunt. Igitur sic argumentor. Beatus Nathanael si ejus nationem spectes, fuit Galilæus, si patriam, Chananæus, si professionem Piscator. Non potuit ergo ita esse peritus legis, vt legis doctissimus censeatur. Examinemus breuiter cursimque singula. Si de Nathanaele, hoc tantum ab Euangelio sciretur, quod natione esset Galilæus, quod testatur Ioannes capite 27. *& Nathanael, qui erat à Cana Galilææ*, si præter nationem, inquam, sciretur nihil, satis omnino sciretur ad opinionem vulgo faciendam eum non fuisse doctissimum legis, expendit hoc argumentum Chrysostomus in persona sociorum Nathanaelis, *illud,* inquit, *admiratione dignum, quo pacto Petrus, Iacobus, Philippus potuerunt tàm breui persuaderi, non ea tantum ratione, quod ante signa, sed quod Galilæi erant, vnde neque Propheta surrexit, neque quidquam boni, rusticiori enim quodammodo, & crassiori erant ingenio.* Hæc Chrysostomus, atque hæc de Galilæis ingeniis vilis existimatio vsque adeo apud omnes nationes inoleuerat, vt mirum in modum auxerit omnium stuporem quando in Pentecoste audierunt illos diuersis linquis loquentes. *Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt?* Erant quidem Galilæi bellicosi, & pugnantes teste Iosepho, qui vt idem ipse narrat: Galilæorum dux cum iis fortiter contra Romanos depugnauit; cæterum hebetissimo erant ingenio ac planè rudi; ideo ait Glossa: multitudo illa multorum millium, quæ erat Hierosolymis ex omni natione, quæ sub Cœlo est, stupebat, & mirabatur Galilæos ad omnem litteraturam tam ineptos euasisse repentè Polyglossos.

Hom. 19. I V. *Galilæi erant rudes.* *Libro de Bello Iudaico.*

Omnino aiebant illi. *A Galilæa Propheta non surgit*, hoc est, non est Galilæa apta ferendis Prophetis, non fert Galilæa Prophetas. Sicut non omnis fert omnia tellus. Hanc vim habet, ait Ribera, tempus illud præsens, non surgit, quod omnes temporis differentias comprehendit, & quasi explicat naturam rei; atque hinc factum est, vt apud nationes omnes Galilæi nomen contemptibile haberetur, & Iulianus Apostata non solum Christum ignominiæ causa Galilæum suis Epistolis, & colloquiis appellare consueuerit, sed vt eodem nomine omnes Christi sectatores dicerentur publica lege sanxerit. Quare si Beatus Nathanael hoc tantum quod esset Galilæus habuisset, Christus contemptibilia mundi elegisset.

Ioan. 7. *In cap. 7. Ioan.* *Greg Nazian. Orat. 1. in Iul.*

Accedit Nationi Patria. *Qui erat*, inquit Euangelista, *à Cana Galilææ.*

Erat autem Cana, ait Alcuinus, Viculus Galilææ. Viculus inquam vilis & exilis, vt si quærenda sit ratio cur Euangelista Nathanaelis patriæ meminerit, merito afferri possit illa Chrysostomi de patria Philippi ab Euangelista pariter memorata. *Meminit ejus patriam Euangelista*, ait Chrysostomus, *vt intelligas, quod infirma mundi elegit Deus.* Sed esto argumentum ductum à Natione, & à patria, non omnino conuincat, quia poterat Nathanael extrà illam educari, & in litteris condiri; sicut enim nunc Roma, ait Cornelius, ita tunc Hierusalem erat Metropolis fidei, Religionis, ac sapientiæ, ad quam proinde Iudæi sparsi per Orbem mittebant suos filios, vt lege, & sapientia Dei imbuerentur, & ad hoc variarum nationum Collegia, quas Synagogas vocabant erant instituta, quod docet S. Ioannes Chrysostomus, & ex Actis Apostolorum satis constat.

Potuit ergo Nathanael quamvis Galilæus, & Chananæus ad Iudæorum Metropolim Hierosolymam, vt sacris disciplinis à Gamaliele aliquo erudiretur commigrare, quod fecit Paulus, qui tantum in sacris litteris profecit, vt Tertullianus asserere non dubitarit, neminem magis nosse medullas scripturarum, quàm sanctum Paulum.

Lib. 5. contr. Martial.

V.

An fuerit Nathanael Piscator?


Cap. 21.

Verum ne, & hoc aduersarij confingerent satis cautum in Euangelio est; ex illo enim apertè colligimus Nathanaelem, professione, officio, & exercitio Piscatorem fuisse. Locus est in capite vltimo Euangelij secundum Ioannem, vbi describitur admirabilis illa piscatio in Mari Galilææ post Christi Resurrectionem. *Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilaa, & filij Zebedai, & alij, ex Discipulis ejus duo. Dixit eis Simon Petrus: vado piscari, dicunt ei, venimus, & nos tecum, & exierunt, & ascenderunt in Nauim, &c.* Ex hoc loco manifestè constat discipulos nominatos, artis fuisse piscatoriæ, & quidem ex consensu omnium Interpretum. Sanctus Chrysostomus Homil. 16. *Cum non frequenter Iesus cum eis versaretur, ad artem suam redierant.* Et mox; *cum ergo nihil haberent, quod facerent, piscatum se contulerant.* Nota illud. *ad artem suam.* S. Cyrillus lib. 12. cap. 62. docet ex Christi dispensatione factum esse, vt hi septem discipuli piscatum exirent, *quia*, inquit, *quando ad Apostolatum eos vocauit, dixit: Venite post me, & faciam vos fieri Piscatores hominum, quod modo ex hac re, quasi à signo quodam citò futurum significauit.* Obserua illud pro Apostolatu Nathanaelis, quando eos ad Apostolatum vocauit. S. Thomas in cap. 21. docet in officio piscationis horum discipulorum, significatum esse mysticè prædicationis officium; agit autem de piscatoribus, vel piscium, vel hominum, tanquam de ejus artis professoribus. Nicolaus de Lyra reddens rationem, cur piscatum se contulerunt septem illi discipuli; *erant enim*, inquit, *pauperes, & ideo ad procurandum necessaria vita licitè poterant redire ad exercendum negotium, quod sine peccato poterat exerceri.* Et rursus explicans illud, *& exierunt, & ascenderunt in Nauim. in nauim*, inquit, *alienam, eis accommodatam, vel locatam, quia à principio sua vocationis, nauim, & retia reliquerant.* Rupertus Abbas in eundem locum. *Electis Apostolis, & Christi vestigia sequutis, ad piscationem redire ita culpa non fuit, sicut hodieque saculo renuntiantibus culpa non est licitas artes exercere.* Claudius Guilliaudus in eruditissimis Commentariis super Ioannem, post enumeratos hos discipulos, *hi septem,* inquit,

inquit, *artis erant piscatoriæ*. Et rursus ad illud: *Venimus & nos tecum*, quia inquit, *eiusdem artis erant cum Petro, & labor res honesta est, sequuntur veluti ab Antesignano piscatore inuitati*. Alphonsus Salmeron tract. 20. ad illud, *dicunt ei, venimus & nos tecum*. *Ergo*, inquit, *omnes erant eiusdem artis piscatoriæ*. Maldonatus agens de loco piscationis. *Credibile*, inquit, *est in patriam rediisse, vt illic dum Christum præstolabantur, piscatoriam veteri suo instituto, exercerent*. Cornelius super eodem loco. *Cum Apostoli*, inquit, *antè Pentecostem, nondum haberent quod Euangelizando agerent, & pauperes essent, arteque piscatores, rectè ad suam piscandi artem redierunt, vt illa victum sibi pararent*.

Ergo Beatus Nathanael non solum humili loco est natus, sed antiqua sua professione, & arte piscator fuit, qua ergo ratione humilis piscator, qui procul Hierosolyma, procul studiis omnibus litterarum, in suo viculo habitabat, & victum manu, & arte quærebat, qua inquam ratione fieri potuit, vt tam doctus euaderet, vt legis etiam Doctor haberetur? Quod fundamentum est in Scriptura hoc opinandi? Quod si ex Augustini verbis hoc solo non electus est, quia nullus nobilis primo, nullus diues, nullus doctus electus est, ne cuiquam videretur Dominus, nobiles, diuites, & doctos elegisse, cum ex præsenti examine constet, illum neque nobilem, neque diuitem, neque doctum fuisse, habemus iam pro ipso Nathanaelis Apostolatu Augustinum, qui quod olim distulit examinare, hoc gaudet nunc approbare.

Atque hinc quoque planè detumescit vis tota magnifici illius argumenti, quod ex Ecclesiasticis historiis petitur, & quo vsus est Franciscus Ribera, ad probandum Nathanaelem non fuisse vnam, eandemque personam cum Bartholomæo, quia Perionius in vita Bartholomæi affirmat, illum fuisse pauperem, & sine litteris, & obscuri nominis; similiter Iosephus Græcus autor apud Simeonem Metaphrastem in vita Bartholomæi, dicit eum fuisse pauperem, & idiotam. Quia etiam Eusebius apud sanctum Thomam, Bartholomæus, inquit, vir simplex, & expers scientiæ mundanæ, & amaritudinis. Debilitata iam est, & fracta vis huius argumenti, quia tota falso illi fundamento nitebatur, quod Nathanael quasi alter, vt dixi, Nicodemus, legis doctus fuerit, & doctor; cum oppositum ex examinata Euangelica historia comprobetur, & sanè descriptio illa Bartholomæi apud Eusebium, vir simplex, & expers scientiæ mundanæ, & amaritudinis, descriptio ipsa est Nathanaelis, & quæ pro illustri Commentario Verborum Christi esse possit: *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est*. Quid enim est *verè Israëlita*, nisi vir simplex? quod fuit Elogium Magni Patriarchæ Israël seu Iacob. Quid, *in quo dolus non est*, nisi expers scientiæ mundanæ, & amaritudinis? nimirum placet Christo, ait Salmeron, huiusmodi viros videre, atque aliis demonstrare. Ecce verè Israëlita, quia ipse totus est candidus, & columbinus.



CAPVT XV.

Vtrum Beatus Apostolus Nathanael fuerit à Christo cognominatus Bartholomæus.

I. *An Bartholomæi nomen Nathanael habuerit à Christo impositum. Num. c. 1.* OCCVRREMVS iam potissimæ difficultati, quæ posita esse videtur in quadam addubitatione, seu potius admiratione, cur sancti Euangelistæ, qui Apostolorum Catalogum confecerunt, nomen huius Apostoli proprium, quod Nathanael esse monstrauimus, reticuerint; Cum præsertim id nomen, & antiquitate venerabile esset apud Hebræos; fuit enim nomen Principis Tribus Issachar tempore Mosis, & significatione sanctissimum, nam Hebraïcè idem est, quod donum Dei, vt ait Pagninus, siue à Deo datus, vt obseruat Cornelius, quo nomine Beatus Augustinus filium suum Diuino ingenio præditum nuncupauit. Si nomen Bartholomæi erat nomen commune, ait Pererius, nomen autem Nathanaelis erat nomen proprium, cur alij tres Euangelistæ semper eum appellarunt nomine communi Bortholomæum, & ne semel quidem proprio eum nomine vocarunt Nathanaelem, cum magis nomen proprium notificet hominem, quàm commune? *Disp. 51.*

II. *Opinio Ruperti de impositione nominis Bartholomæi.* Hæc difficultas, quæ videtur satis plausibilis, & vulgaris, occasionem nobis præbebit examinandi opinionem Ruperti de significatione & impositione nominis Bartholomæi, quæ opinio si probabilis est, sufficientem profectò, & satis congruam ostendit causam, cur potius Bartholomæi, quàm Nathanaelis nomen retinuerint Euangelistæ. Rupertus ergo cum præmisisset Bartholomæi nomen, idem esse quod filius suspendentis aquas, quasi causam addens eius interpretationis, hæc habet. *Interpretatur filius suspendentis aquas, quia tertia die cum nuptiæ fierent in illo vico suo Cana Galilææ, forte per occasionem eius Dominus inuitatus ad nuptias, aquas in vinum conuertens, in admirationem omnium illas suspenderat.* Hæc sententia contemptores plures habet, quàm oppugnatores, sed re vera nihil in ea video, quod reprehendi meritò possit. Duo ergo dicit. Primum, quod Bartholomæus idem est, quod filius suspendentis aquas. Alterum quod huiusmodi nomen, vel impositum, vel confirmatum, Nathanaeli à Christo fuerit per occasionem miraculi Canæ Galilææ. *Loria in c. 1. Act. Apost.*

Et quidem contra interpretationem Vocabuli illud objici fortasse potest, Bartholomæum significare filium certi hominis, quod nos in Superioribus tanquam certum assumpsimus, & nunc iterum autoritate Montani confirmamus, qui in Caput sextum Lucæ. Idem inquit, Nathanael proprio nomine, à Patris nomine Bartholomæus; & clariùs in caput tertium Marci. Bartholomæus filius Thalmai, ita cognominatus à Patre proprio autem nomine Nathanael. Cum igitur Bartholomæus cognomen sit à genitoris nomine, explicandum non immeritò est, qua ratione idem sit quod filius suspendentis aquas.

Sed ego, vt simul & objectioni faciam satis, & viam præstruam conclusioni; hoc ipsum, quod objicitur de nomine Bartholomæi, quæro de nomine Bar-Iona, quod Apostolorum Principi vel impositum, vel confirmatum à Christo fuit.

Nam certum est Bar-Iona, idem esse, quod filius Iona, seu Ioannis, sicut Bartholomæus idem quod filius Tholomæi. Pater enim Simonis Petri vocabatur Ioannes, vnde illud: *Simon Ioannis diligis me?* Sed breuioris pronunciationis causâ, quasi alio, vel alienato nomine dicebatur Iona. Obseruat autem hoc loco sanctus Chrysostomus, Christum dixisse Petro: *Tu es Simon Bar-Iona*, non Hebræorum dumtaxat more, qui filiis semper addunt nomen Patris, sed ob peculiarem respectum ad responsionem Petri, quasi eam confirmet Christus, dicatque. Quia Patrem meum prædicasti, ego etiam illum nomino, qui te genuit, ac si diceret, quemadmodum tu Ionæ filius es, vtpote ab eo naturaliter quoad substantiam genitus, quasi homo ab homine, ita ego sum Filius Dei Patris vtpote ab æterno naturaliter ab eo generatus, quasi Deus de Deo, eiusdem cum illo substantiæ, & Deitatis. Qua Chrysostomi animaduersione mirificè confirmatur Christum appellasse tunc Petrum filium naturalem sui genitoris. Ex altera parte sanctus Hieronymus interpretatur Bar-Iona filium Columbæ quasi nomen à Christo impositum, tum in proëmium, tùm in Mysterium. Sic autem habet Hieronymus. *Testimonio de se Apostoli reddit vicem. Petrus dixerat: Tu es Christus Filius Dei viui, mercedem recepit vera confessio. Beatus es Simon Bar-Iona. Quare? quia non reuelauit tibi caro, & sanguis, sed reuelauit Pater, quod caro, & sanguis reuelare non potuit, Spiritus Sancti gratia reuelatum est. Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod reuelationem ex Spiritu Sancto habeat, cuius & filius appellandus sit, si quidem Bar-Iona in nostra lingua sonat filius Columbæ.* Hæc Hieronymus, quem sequutus est S. Thomas, *videtur*, inquit, *respondere responsio Christi, confessioni Petri, quia confessus erat eum Filium Dei, Iesus autem dicit eum filium Columbæ, scilicet Spiritus Sancti, quia hæc confessio non potuit fieri nisi à Spiritu Sancto.* Ecce idem Petrus filius naturalis Iona, & filius mysticus Columbæ, perinde ac Bartholomæus, & filius naturalis Tholomæi dicitur, & filius mysticus suspendentis aquas. Sicut ergo, quia Iona Hebraïcè significat Columbam, quæ symbolum est Spiritus Sancti, filius naturalis Ionæ appellatus fuit à Christo mysticè filius Columbæ in significationem reuelationis acceptæ à Spiritu Sancto; ita quia Tholomæus Hebraïcè significat suspendentem aquas, fieri facile potuit, quod insinuabat Rupertus, vt Nathanael, qui filius naturalis erat Tholomæi, diceretur mysticè à Christo filius suspendentis aquas, hoc est Verbi signorum initium in aqua facientis. Et sanè Patres aliquod in hac Bartholomæi voce Sacramentum latere cognouerunt. Omnes enim nomine suspendentis aquas, Christum intellexerunt, quasi Bartholomæus peculiaris Christi filius habendus sit. Audi Remigium apud S. Thomam in catena *Bartholomæus Syrum nomen est, & interpretatur filius suspendentis aquas, id est Christi.* Audi ipsum S. Thomam in cap. 10. Matthæi: *Bartholomæus filius suspendentis aquas, & iste dicitur Christus, de quo Iob 26. qui ligat aquas in nubibus suis.* Audi S. Hieronymum in cap. 3. S. Marci. *Bartholomæus, qui est filius suspendentis aquas, illius scilicet, qui dixit: & mandabo nubibus meis ne pluant super eum imbrem.*

III.
Ad quid Christus vocauit Petrum Bar-Iona?
Ioan. 21.
In cap. 16.

Habemus ergo ex Patribus hoc nomine suspendentis aquas Christum significari, non sub quacumque ratione, sed sub ratione potentis, super aquas, quæ potestas explicatur in Scriptura per actum mandantis, ligantis, & suspendentis aquas, seu nubes. Habemus rursum nomine filij suspendentis aquas ita describi Bartho-

lomæum, vt certa, & determinata Apostoli persona intelligenda sit, non solum quia Patres hoc interpretantur de Apostolo Bartholomæo, verum etiam, quod est notandum, quia in tota Sacra Scriptura non reperitur huiusmodi nomenclatura, nisi in nouo Testamento, nec de persona alia, nisi de hoc Apostolo. Quare si quod mysterium in ea latet certè illi personæ, id totum congruere dicendum est, quæ singulariter in Scriptura sub eo nomine significatur.

Hinc incipit apparere quanto cum fundamento Rupertus in eam venerit opinionem, vt Beatus Nathanael cognominatus à Christo fuerit Bartholomæus in nuptiis Canæ Galilææ; & primo ex parte Christi, nam vt ipse ait Euangelista, *hoc initium signorum fecit in Cana Galilea, & manifestauit gloriam suam*, hoc est per admirabilem illam aquarum operationem manifestum omnibus fecit, se illum ipsum esse, *qui ligat aquas in nubibus suis*, hoc est, vt explicat S. Thomas, qui illas mirè suspendit vaporaliter eleuatas, quo actu ligandi elementum, atque soluendi summa supra vniuersam naturam potestas, quæ Conditoris est propria, significatur.

Secundò ex parte Nathanaelis, quem iam Bartholomæum nominamus, quia ipse præ omnibus Discipulis illius miraculi magna pars fuisse censendus est, quod insinuauit Euangelista satis, dum illum à loco tanti miraculi notauit, *& Nathanael*, inquit, *qui erat à Cana Galilea*, nunquam enim Euangelista Canam nominauit, nisi cum huius commemoratione miraculi. Quare capite quarto vbi narrat regressum Christi à Iudæa in Galilæam signanter dicit. *Venit ergo iterum in Cana Galilea, vbi fecit aquam vinum*. Atque hinc fortasse factum est, vt plerique Doctores disputantes de Sponso illarum nuptiarum, hoc minimum putent, fuisse illum saltem consanguineum aliquem Nathanaelis, qui ex illo ipso Viculo erat, & iam sectator factus, & familiaris Christi. Potuit ergo facile Christus, occasionem habere dicendi illi: Beatus es Nathanael Bartholomæus, quemadmodum dixit postea Simoni: *Beatus es Simon Bar-Iona*; quod si alia tunc præsens causa hoc dicendi defuisset, satis profectò fuit, quæ proximè præcessit præclara confessio. *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël*; sicut enim Autore Hieronymo Christus cum dixit: *Beatus es Simon Bar-Iona*, testimonio de se Apostoli reddidit vicem, quia enim Petrus dixerat: Tu es Christus Filius Dei viui, mercedem recepit vera confessio. Dixisti me filium Patris, & ego dico te filium Columbæ significantis Spiritum Sanctum, ita similem planè vicem simili testimonio de se Apostoli reddere voluit Christus, vt similem quoque mercedem reciperet similis omninò, & gemella confessio. Dixisti me Filium Dei, & ego dico te filium non puri hominis, vt est tuus genitor sed hominis Dei, vt sum ego, qui verè sum. *Tole Maim*, hoc est, suspendens aquas. Scio graues Autores esse, qui negent eandem fuisse causam Simonis, Petri & Nathanaelis Bartholomæi, vt propterea non liceat ex altera pro altera argumentari. Aiunt Petrum confessum esse Filium Dei naturalem cum dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui*; Nathanaelem verò non Filium Dei naturalem; Si enim Filium Dei naturalem confessus fuisset, ait Toletus, non Regem Israël, sed totius orbis Regem, & Dominum proclamasset, atque hanc tandem causam afferunt, cur in Euangelio expressa habeatur Christi responsio facta Simoni Petro, *Beatus es Simon Bar-Iona*, nulla autem habeatur expressa Nathanaeli Bartholomæo. Sed ex ista opinione, quæ minus

magnificè ſentit de confeſſione Nathanaelis confirmationem, ſumo non leuem pro prædicta annominatione, jam enim tacite fatentur debitam fuiſſe Chriſti laudationem veræ confeſſioni, & in eo planè conſentiunt, ſi Nathanael non ſolum iiſdem verbis, ſed eodem, quo Petrus verborum ſenſu loquutus fuiſſet, tunc magnum ſubeſſe fundamentum dicendi ſimilem eum reſponſionem retuliſſe, ex quo conſequens tandem eſſe videtur tantam probabilitatem habere ſententiam noſtram de Bartholomæi myſtica annominatione, quantam probabilitatem habet veritas illius confeſſionis.

Examinemus ergo Nathanaelis confeſſionem, & primo videamus quid de illa ſenſerint Doctiſſimi Patres, ex Græcis, Cyrillum præfero, ex Latinis Auguſtinum. Cyrillus ergo libro ſecundo in Euangel. cap. 14. *Nouerat*, inquit, *probè Nathanael ſoli Deo corda hominum patere, ac illud Pſalmiſtæ infixum animo tenebat ſcrutans corda, & renes Deus. Nulli namque alij, ſed Diuinæ ſolummodo naturæ hoc Propheta attribuit. Id cum ineſſe Domino perſpexiſſet, & Magiſtrum, & Filium Dei, & Regem Iſraël profitetur.* Auguſtinus verò tractatu ſeptimo in expoſit. Euangelij. *Nathanael*, inquit, *talem vocem protulit: Tu es Filius Dei, Tu es Rex Iſraël, qualem tanto poſt Petrus, quando ei Dominus ait: Beatus es Simon Bariona, & ibi nominauit Petrum, & laudauit firmamentum Eccleſiæ in iſta fide.* Vides hæc antiqua, eaque præclariſſima Eccleſiæ lumina, agnoſcere in verbis Nathanaelis profeſſionem Diuinitatis, quod ante illos quoque ſenſit Tertullianus aduerſus Praxem cap. 21. *Hoc enim Nathanael ſtatim ſenſit, ſicut, & alibi Petrus. Tu es Filius Dei. Hoc & ipſe rectè ſenſiſſe illum confirmat, Nathanaeli quidem reſpondens, quia dixi: vidi te ſub ficu, ideo credis. Petrum vero beatum affirmans.* IV. *Qualis fuit confeſſio Nathanaelis de Christo.* *Pſalm. 7.*

Opponamus nunc Toleto Maldonatum, viro virum, is pro confeſſione Nathanaelis obſeruat quatuor. Primo, verba ipſa natura ſua poſtulare vt ea in meliorem ſenſum interpretemur, nam eo ipſo quod Chriſtus ſimpliciter filius Dei appellatur, verus Dei filius eſſe intelligendus eſt, vt frequenter aduerſus Arrianos Catholici diſputabant. Secundò, quia tum ad nomen filij, tum ad nomen Regis Græcum articulum adjunxit: Tu es ille Filius Dei, Tu es ille Rex Iſraël, quemadmodum ergo non intelligit quemlibet Regem Iſraël, ſed illum ſingularem Regem Meſſiam, ita non qualemcumque, ſed illum vnicum, & naturalem Filium Dei intelligit. Tertiò, quia Nathanael alludit ad id, quod illi Philippus dixerat, quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ inuenimus Ieſum. Confitetur ergo verum eſſe, quod Philippus dixerat, Chriſtum eſſe eum, quem Prophetæ venturum prædixerant, hoc eſt, verum Dei Filium, vt eo quoque tempore fides Diuina docebat. Quartò, quia ita illi Chriſtus reſpondit, vt ſignificet eum quidquid credere de illo oportebat, crediſiſſe, vt omnium primus obſeruauit Tertullianus, quia, inquit, dixi tibi: Vidi ſub ficu credis. Credidit ergo. Poſtremo rectè reſpondet ad illud, quod Regem Iſraël, non verò totius Orbis terrarum Regem vocat, Meſſias enim quamuis Dei Filius, atque adeo totius Mundi Rex crederetur, erat propriè promiſſus Iſraëli, qui erat populus ejus, & funiculus hæreditatis ejus.

Cum ergo ex vna parte habeamus confeſſionem Nathanaelis omninò ſupparem, planeque conſimilem confeſſioni Petri. Et ex altera videamus illum de facto

insignitum cognomine portante sua significatione Mysterium planè consonum confessioni. Cum item teneamus morem, & consuetudinem Christi, hujusmodi nomenclaturas ad altiorem sensum inflectentis, & eleuantis, & appareat satis, & tempus, & occasio & oportunitas; & quod plurimi facio, cum hujusmodi mens, & cogitatio injecta sit, licet paucis, grauibus tamen sacræ Scripturæ Interpretibus, qui antiquioribus Prophetis in Ecclesia successerunt. Cum inquam hæc omnia ita sint, non videtur à legibus interpretandæ Scripturæ alienum, de Bartholomæo, tanquam de filio suspendentis aquas, asserere, quod sanctus Hieronymus Ecclesiæ calculo in exponendis sacris Scripturis Doctor maximus docuit: de Bariona, tanquam de filio Columbæ, ex confessione inquit sortitur vocabulum, nimirum, vt sicut Christus Hebraïcam significationem latentem in voce Ionæ genitoris Petri inflexit, & determinauit ad sensum sublimiorem; ita significationem pariter Hebraïcam latentem in voce Tholomæi genitoris Nathanaelis in confessionis commendationem, & primi miraculi monumentum eduxit. Neque mirum videri debet dictum Nathanaeli fuisse: Beatus, & Nathanael Bartholomæus, de quo paulò ante veritas dixerat: ecce verè Israëlita, in quo dolus non est, alludens nimirum, vt fatetur Toletus ad illud: *Beatus vir cui non est in spiritu ejus dolus.*

Psalm. 31:

Hac interpretatione nominis facta, occurritur satis difficultati initio propositæ, cur sancti Euangelistæ, Bartholomæi vocabulum quasi Apostolicum fecerint, & Apostolorum nominibus inseruerint, præterito proprio nomine Nathanaelis.

V.

Cur apud Ioan. Nathanael apud alios Euangelistas: Bartholomæus nominatur?

Verùm hinc noua emergit difficultas, quia si tres Euangelistæ, quasi ex veneratione vocabuli, Bartholomæum semper vsurparunt, cur quartus Euangelista, qui vltimus omnium scripsit, & vocabulum tanta veneratione à tribus exceptum inuenit, illud omnino præteriuit, & potius proprium Nathanaelis nomen vsurpauit? At primi tres Euangelistæ, ait, Gauantus, communiori vsi sunt cognomine Bartholomæi, Ioannes vltimus, qui recondita scripsit, Nathanaelis nomine est vsus. Sed non facilè video, qua ratione inter recondita scripta à Ioanne numeretur hoc nomen; nam vel reconditum intelligit, quod Ioanni fuit peculiariter cognitum, & reuelatum, vel quod licet omnibus fuerit notum, ab illis tamen non fuit expositum. Quod solus Ioannes proprium hoc sciuerit nomen, & gratis, & improbabiliter dicitur, neque vllo modo credibile est Matthæum ejus æqualem, qui primus Euangelium scripsit, ignorasse. Quod autem illud à cæteris Euangelistis, quasi reconditum, & occultatum, solus Ioannes exposuerit, de hoc, hic inquiritur causa; illam autem facile demonstrabimus, si interim similem quæstionem cum Tostato proponamus, quare scilicet cum primus Euangelista se Matthæum nominauit, posteriores duo Marcus, & Lucas noluerunt eum nominare Matthæum, sed nominauerunt, Leui, omnino suppar est quæstio; quia vt docet Tostatus, Leui erat nomen proprium, & à parentibus impositum, Matthæi autem nomen, quod Hebraïcè donatum significat, impositum illi fuit à Christo, & ista videtur esse, inquit Tostatus, causa, quare postea in nullo loco sacræ Scripturæ, nec etiam apud scriptores vocatur Leui, sed solum Matthæus, scilicet quia non licebat aliter eum nominare nisi, sicut Christus nominauerat. Quæ Tostati sententia sicut vehementer confirmat nostram illam rationem cur tres Euangelistæ vsurpauerint nomen Bartholomæi, quia scilicet non licebat aliter

In c. 9. Matth.

eum nominare, nisi sicut Christus nominauerat, ita auget vtrobique præsentem difficultatem, quia sicut mirandum est, Ioannem non vsurpasse nomen Bartholomæi à Christo impositum, & ab Euangelistis vsurpatum, ita æquè mirandum videtur Matthæi nomen à Christo pariter impositum, & à primo Euangelistarum jam vsurpatum, postpositum à Marco, & Luca fuisse nomini Leui. Quid ad hanc quæstionem Tostatus? Marcus, & Lucas, inquit, nihil noui fecerunt, de quo sit causa petenda, quia quando vocatus est à Christo non nominabatur Matthæus, sed Leui, ideo debuerunt eum nominare scribentes vocationem, sicut nominabatur quando vocatus est scilicet, Leui. Ecce satis rationabilem causam, cur Ioannes, licet postremus, nomen proprium Nathanael adhibuerit, quia scilicet solus Ioannes hujus Apostoli primam vocationem scripsit, antequam à Christo cognominaretur, & sane si propositum Ioanni fuisset Apostolorum Catalogum contexere, quod tres fecerunt Euangelistæ, non dubito quin potius Bartholomæi nomen inseruisset, quia Marcus, & Lucas, qui in referenda vocatione Matthæi, vsi fuerant proprio, & antiquo nomine Leui, in conscribendo Catalogo non Leui, sed Matthæum conscripserunt. Venerati sunt quippe Dei donum in nomine; *Matthæus enim*, ait S. Hieronymus, *qui est Donatus, cui donatur à Domino, vt non solum remissionem peccatorum adipiscatur, sed numero ascribatur Apostolorum.* Ergo propter Mysterij consimilis venerationem, non dubito, inquam, quin in Apostolico Catalogo Ioannes Bartholomæum accensuisset, cæterum ipse, & quidem extra Catalogum, bis tantum Apostolum hunc memorauit, in capite primo & vltimo, & quia in primo sub nomine Nathanaelis proprio antiquam ejus vocationem descripserat, voluit etiam in vltimo sub eodem nomine eundem antiquissimum illum indicare. *In c. 3. Marc.*

Sed instare adhuc possunt aduersarij quia sicut Lucas dixit, & elegit Simonem, quem cognominauit Petrum, ita dicere Ioannes, debuisset, & vidit venientem ad se Nathanaelem, quem cognominauit Bartholomæum. Cur vtrumque non dixit? *Cap. 6.*

Verè si vtrumque dixisset, omnem controuersiam de medio sustulisset; cæterum sicut opportunum Lucæ fuit meminisse cognominationis Petri, quæ expressa in Euangeliis est, ita Ioanni non fuit necessarium Bartholomæi agnominationem, quasi in Euangeliis expressam significare, quod plane in Euangelica enarratione de Matthæo est manifestum; neque enim Lucas qui cap. 6. dixit *& elegit Simonem, quem cognominauit Petrum*, dixerat cap. 5. *Vidit* Iesus *Publicanum nomine Leui*, quem cognominauit Matthæum, sed dixit tantum, nomine Leui.

At Ioannes inquit Pererius, qui in euulgatis jam pridem tribus Euangeliis viderat hunc, de quo loquimur semper appellatum esse Bartholomæum, aut ne lectori occasionem errandi præberet, eodem illum nomine appellare debebat, aut si libuit potius eum nominare Nathanaelem, debebat certe alterius etiam nomine meminisse, vt eum fuisse binominum ostenderet.

Audio. At dixerim ego, Lucas, qui vidit jam pridem vulgatum primum Euangelium, in quo viderat hominem illum semper appellatum Matthæum, aut ne lectori occasionem errandi præberet eodem illum nomine appellare debebat, aut si libuit, potius eum nominare, Leui, debebat tunc alterius etiam nominis

meminisse, vt eum fuisse binominum ostenderet. Quid ad hæc diceret Pererius?

Fateor ex hoc, quod Ioannes hujus tantum nominis meminerit, occasionem errandi aliquos sumpsisse, & opinandi diuersos fuisse homines Nathanaelem, & Bartholomæum: cæterum sicut ex hoc solitario nomine Nathanaelis apud Ioannem errorem sumpsit Pererius, ita ex solitario nomine Leui apud Lucam, errorem sumpsit Origenes, qui libro primo contra Celsum hæc habet. *Sic & Leui Publicanus, qui Iesum sequutus est, non erat tamen ex Apostolorum numero.* Sicut ergo licet erraturus esset Origines, & affirmaturus, hunc Leui, cujus Lucas meminit alium fuisse à Matth. neque inter Apost. computatum, non propterea quidquam peccauit Lucas, appellando hominem Leui tantum; ita quamuis erraturus esset Pererius & affirmaturus hunc Nathanaelem, cujus Ioan. meminit, alium fuisse à Barthol. neque inter Apost. computatum, non propterea quidquam peccauit Ioannes appellando hominem nomine Nathanaelis tantùm.

Sed esto non peccasset contra morem Scripturæ, peccasset hic saltem (diceret Pererius contra morem) & consuetudinem suam, hoc profectò Pererius diceret, nam de facto disput. 51. his verbis vrget. Cur Ioannes Euangelista sicut infra in cap. 21. nominans Thomam qui erat binominus continuò adjecit illa verba, qui dicebatur Didymus, cur inquam non itidem, nominans Nathanaelem saltem vel semel adjunxit, qui dicebatur Bartholomæus. Hæc ille.

VI. *An Thomas fuerit Binominus.* Habet hæc Pererij instantia suam speciem, quia connexio Thomæ, & Nathanaelis videbatur postulare, vt eodem modo vtriusque nomen declararetur. Sic enim habet Ioan. cap. 21. *Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ.* Locus monebat, vt quemadmodum Thomæ, ita quoque Nathanaelis cognomentum explicaretur. Sed instantia plane ruit, quia falso nititur fundamento. Præsupponit enim Thomam fuisse nomen, Didymum verò cognomentum, vel saltem alterum nomen, ita vt Thomas fuerit Binominus sicut fuit Simon Petrus, & sicut nos dicimus fuisse Nathanaelem, qui cognominatus, seu nominatus est etiam alio nomine Bartholomæus. Omnes autem Interpretes magni nominis, & qui periti linguarum sunt, apertè docent Thomam, & Didymum, non duo, sed vnum, idemque nomen fuisse, hoc est ejusdem planè fuisse significationis, quod enim Didymus apud Græcos idem plane est Thomas apud Hebræos: tàm enim Didymus, quam Thomas, geminum, seu gemellum significat. Itaque ait Ribera. Didymus non est alterum nomen Apostoli, vel cognomen sed proprij nominis interpretatio. Quo fit, vt Ioannes, qui dixit: *Thomas, qui dicitur Didymus* nunquam à paritate potuerit dicere Nathanael, qui dicitur Bartholomæus; nam verè Bartholomæus non est interpretatio nominis Nathanaelis, sed diuersissimam ab illo habet interpretationem. Vnde etiam cogor notare Pererium non fideliter verba textus attulisse. Nunquam enim apud Ioannem est, Thomas, *qui dicebatur*, vt citat Pererius, sed *qui dicitur*, hoc est interpretatur Didymus, hoc enim significat hoc loco, illud: *Dicitur*, vt obseruat Theophylactus, quem sequitur etiam Maldonatus super eundem locum, & in cap. 11. Ioannis, vbi hoc modo concludit: Cum ergo dicit Euangelista, Thomas, qui dicitur Didymus, posteriore vocabulo prius interpretatur, quemadmodum si diceret Thomas idest Didymus. Igitur apertè constat non potuisse Euangelistam dicere Nathanael, qui dicitur Bartholomæus, in eo *In c. 2. Ioan.*

sensu,

ſenſu, quo dixit, Thomas, qui dicitur Didymus, quia vt dicebamus, falſiſſima eſſet Nathanaelis interpretatio.

Sed cur Ioannes interpretatur nomen Thomæ, non verò nomen Nathanaelis. Hoc ſanè ad rem, de qua agimus nihil facit, & Aduerſarij quoque ſi poſſunt, debent rationem aliquam afferre. Cur (quod obſeruauit Leontius) Euangeliſta nullius nomen Apoſtoli interpretatus ſit, niſi Thomæ? Certè aliquid Myſterij in eo latet, quod planè ignoramus. Scimus quidem vtramque vocem ſignificare geminum, ſed vt rectè Maldonatus. Cur ita vocatus ſit nihil conſtat. Et quamuis eſſet verum dictum fuiſſe geminum, ſiue quod ſimul cum fratre altero natus eſſet, vt ait Euthymius, ſiue quod nomen à maioribus ſuis accepiſſet, quemadmodum apud Romanos quoſdam ſpurios, alios fuſcos vocatos legimus, quamuis nec illi ſpurij, nec hi fuſci eſſent, vt ratiocinatur Maldonatus; quamuis inquam ſciremus ob has rationes dictum fuiſſe geminum, ſemper indagandum maneret cur Euangeliſta huius tantùm Apoſtoli nomen interpretetur, nam quod aliqui dicunt hunc tantùm Apoſtolum duo nomina habuiſſe eiuſdem ſignificationis in diuerſis linguis, quorum altero ab vna natione, altero ab alia vocaretur, eſt planè falſum; ſicut enim idem, qui ab Hebræis Thomas, à Græcis vocabatur Didymus, ideſt Gemellus, ita qui Petrus à Græcis, idem ab Hebræis vocabatur Cephas, ideſt lapis, & qui à Græcis Zelotes, idem ab Hebræis vocabatur Chananæus, ideſt Zelator. Quemadmodum etiam idem Iudas, qui à Chaldæis Thaddæus, ab Hebræis Lebbæus, quod ſonat Cor, vocabatur. Itaque vſitatum in Scriptura eſt, vt obſeruauit Sanctius in Act. Apoſtolorum, & pluribus commune, vt aliquis duo habeat nomina eiuſdem ſignificationis in diuerſis tamen linguis, quorum altero ab vna natione, altero ab aliis vocaretur.

Cur ergo Ioannes huius tantum Apoſtoli nomen interpretatur? Theophylactus in cap. 20. Ioannis; ideo nomen interpretatum putat, vt eius declararet mores, quod incredulus eſſet miniméque ſimplex. Quid eſt, inquit, quod dicitur Didymus? Interpretatio eſt nominis Thomas, meritò autem meminit interpretationis eius nominis, vt oſtendat nobis quod dubitatur quidam ſit, & id vitij à principio habuerit, vt & nomen indicat. Quàm diuerſa eſt hæc Theophylacti commentatio ab illa Leontij, nimirum inquit, vt Græci propter aliquam eius excellentiam factum intelligerent, ſed parcendum Theophylacto eſt, quia hoc dixit explicans illud Capitis vigeſimi, *Thomas autem vnus de duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Ieſus.* Non autem illud Capitis vndecimi: *dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: eamus & nos, & moriamur cum illo;* nam tunc oportuniùs fuiſſet dicere, quod ait Cornelius, dici Didymum, quaſi gemellum fratrem Chriſti, talem enim eo loco ſe oſtendebat, dum pro Chriſto, & cum Chriſto viuere, & mori paratum ſeſe offerebat, quod ex dilectione ſolent gemelli facere. Cæterùm quia non ſolum capite hoc vndecimo, & rurſus vigeſimo, in quibus peculiare aliquod Myſterium eſſe poterat, ſed capite etiam vltimo vbi myſterium nullum apparet, hoc idem repetit, ideo generalis aliqua ratio reddenda eſt, præſertim quod non ſolum ſanctus Ioannes, quotieſcumque hunc Apoſtolum nominat, cum interpretatione nominis, nominat, ſed quia nullus alius ex Euangeliſtis hoc fecerat.

VII. *Cur à S. Ioanne interpretatur nomen Thomæ*

Non diſplicet quod inſinuat Toletus videlicet Apoſtolum hunc, tempore quo *In c. 20. Ioan.*

M

Ioannes hæc ſcripſit, à Græcis dictum eſſe Didymum propter nominis Hebræi ſignificationem, retento tamen nomine Hebræo, nam etiam Thomas ab aliis dicebatur, ea de cauſa inquit Toletus, à Ioanne dicitur Thomas, qui dicitur Didymus, non ſolum, vt nominis Hebræi ſignificationem explicet Græco vocabulo, ſed etiam quia ſic à multis id temporis appellabatur.

Valde probabilis eſt hæc ratio, præſertim quod ſanctus Euangeliſta ſcripſit in Græcia, & longo poſt tempore; ſed quidquid ſit de cauſa eius nominis interpretandi, certa ſunt duo, quæ pertinent ad rem præſentem. Primum nullam fuiſſe rationem, cur nomen Nathanaelis Euangeliſta interpretaretur. Secundum, ſi interpretatus illud fuiſſet, nihil ad cognitionem Bartholomæi iuuiſſet, ſed potius ad eiuſdem Nathanaelis nominis illuſtrationem.

Sed demus Pererio Didymum fuiſſe alterum quoddam nomen, ſeu cognomen, in quem errorem ex ignoratione linguæ Hebrææ, vt ait, Lorinus, lapſus eſt etiam Nonnus paraphraſtico carmine in Ioannem. Demus, inquam, Thomam fuiſſe Binominum ſicut de facto erat noſter Nathanael Bartholomæus, fieri profectò facile poterat, vt tempore ſancti Ioannis vſus obtinuiſſet, vt alter ex nomine, & cognomine ſimul diceretur, alter tantum ex nomine, aut cognomine. Saltem illud eſt certum ne id quidem neceſſarium abſolute fuiſſe, vt quoties Thomas nominaretur, eſſe Didymus diceretur: quia tres Euangeliſtæ, qui ante Ioannem ſcripſerunt, ſemper Thomam, nunquam Didymum vocauerunt.

Addam aliam cauſam planè ſcripturalem, cur B. Ioannes Euangeliſta non expreſſerit Apoſtolum hunc ſub nomine Bartholomæi, ſed tantum ſub nomine Nathanaelis; cauſa eſt illa eadem prorſus, ob quam cæteri Euangeliſtæ expreſſerunt illum ſub nomine tantum Bartholomæi, non autem ſub nomine Nathanaelis. Illa erat, quia nomen Bartholomæi determinatum à Chriſto fuit ad ſignificandum Apoſtolum, quare tres Euangeliſtæ inducentes illum tanquam Apoſtolum rectè nomen factum Apoſtolicum vſurparunt. Hæc planè cauſa perſuaſit Ioanni, vt à Bartholomæi nomine abſtineret, quia ille, cui ſanè propoſitum non fuit, Apoſtolorum Catalogum contexere, deſcripſit vocationem Nathanaelis, non tanquam priuatæ perſonæ, ſed tanquam veri, & ſpiritualis Iſraël, hoc eſt Eccleſiæ, quare in Euangelica ſimul, & prohetica Scriptura Ioannis inducitur Nathanael, vt typum gerens totius Eccleſiæ. Per Philippum, quaſi per totum Apoſtolorum Collegium conuocatæ, vt alibi explicatum eſt. Eſt autem in more poſitum Sacræ Scripturæ, vt quando perſona aliqua inducitur ad grande aliquod repræſentandum, reticeantur in illa ea omnia, ex quorum reticentia plenior, & clarior exiſtat totius Myſterij repræſentatio. Afferam vnum, aut alterum exemplum. Si quæramus qua de cauſa factum fuit, vt Scriptura nihil aſtrueret de nomine Patris, & Matris, nihil de natiuitate, & morte Magni illius Melchiſedech, vt dicere de eo potuerit Apoſtolus, ſine Patre, ſine Matre, neque finem vitæ habens? Reſpondebit Apoſtolus: Magni myſterij causâ illorum omnium ſilentium factum eſſe, quod ſtatim indicat illis verbis. *Aſſimilatus filio Dei, manet Sacerdos in æternum*, quaſi diceret, ait Chryſoſtomus; quia Melchiſedech aſſumptus eſt ad Filium Dei ſignificandum, qui in terris, qua homo eſt, fuit ἀπάτορ hoc eſt ſine Patre; in Cœlis, qua Deus, & Dei Filius ἀμήτορ hoc eſt ſine Matre. Qui verè non habuit initium, neque finem dierum, ideo, vt ſignificationem hanc plenam habeat, & in eo appareat

Ad Heb. 7.

typus Christi, inducitur in Scriptura cum reticentia eorum omnium. *Ille siquidem*, ait Chrysostomus, *typus est.* *Hom.12.in c.7.*

Rursum si quæratur: Cur inter sanctos Patriarchas, qui Sacrificium Deo obtulisse in Scriptura commemorantur, non memoretur Isaac, quem sæpissimè ad imitationem suorum Patrum sacrificasse indubitatum est apud Doctores. Responsio illa affertur; quia in Scriptura introducitur Isaac typus Christi, in quantum victima rationalis, & voluntaria Mundi fuit, & ideo vt esset integra eius figuræ significatio, plenumque mysterium, nullo modo memoratur vt Sacerdos.

Simili planè ratione factum est in Euangelica simul, & prophetica enarratione Ioannis, quæ fuit vltima totius Sacræ Scripturæ, vt ait sanctus Hieronymus, *In Prologo.* & planè respondens primæ. Quia ergo persona Nathanaelis in hac Scriptura inducitur vt typus Ecclesiæ per Apostolos omnes vocatæ, ideo reticetur in ea nomen, per quod, vt Apostolus innotescit, & memoratur; neque mirandum est hoc Mysterium cæteros Euangelistas latuisse; illi enim à Spiritu Sancto assumpti sunt, vt maximè scriberent Acta vltimi, & penultimi anni prædicationis Christi, scilicet ea, quæ egit post incarcerationem Ioannis Baptistæ, vt obseruant Interpretes. Ioannes verò motus præcipuè fuit ad Mysteria Ecclesiæ describenda per enarrationem duorum primorum prædicationis Christi annorum, & vltimorum dierum, in quibus ostensa multiplicatione fidelium in Ecclesia, Christus iturus in *Ioan. 21.* Cœlum, Pastorem, suique Vicarium in illa regenda, Petrum instituit, & declarauit.

CAPVT XVI.

De promissione facta B. Nathanaeli Bartholomæo de visione Angelorum ascendentium & descendentium supra filium hominis.

Super verbis Euangelicæ Historiæ B. Ioannis à Versu 43. Capitis primi vsque ad finem.

I. *Visio Angelorũ ascendentium, & descendentium facta B. Nathanaeli Bartholomæo.*

IN *crastinum voluit exire in Galilæam: & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus. Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaïda Ciuitate Andreæ, & Petri. Inuenit Philippus Nathanael: & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. Vidit Iesus Nathanael venientem ad se: & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi tu es Filius Dei: Tu es Rex Israël. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis: videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.*

Huius Euangelici textus explicatio ad laudem B. Nathanaelis Bartholomæi mirifice omnino facit; operæ igitur pretium erit, illam hoc loco per partes proponere, & inuestigare; Sit ergo

CAPVT XVII.

Vtrum promissio de Angelis ascendentibus, & descendentibus facta fuerit Nathanaeli tanquam priuatæ personæ, an tanquam Ecclesiæ.

I. *Eadem promissio facta ne Nathanaeli vt personæ priuatæ, an vt Ecclesiæ.*

RECTE monent Sapientes viri, nihil magis prodesse ad assequendum genuinum sensum S. Scripturæ quàm eiusdem scopi, & intentionis solers inuestigatio, quia autem hæc in historiæ circumstantiis examinandis potissimum posita est, ideo vt ad germanam, & litteralem explicationem celeberrimi huius Oraculi viam aliquam perstruamus, totius vocationis Nathanaelis historiam euoluemus, ac principio illud in vniuersum tanquam maximè aduertendum proponimus, ita hic describi primam Christi profectionem in Galilæam ad conuocandam Ecclesiam, vt in tota commoratione in ea nullius alterius vocatio præter quam nostri Nathanaelis memoretur. Quæ animaduersio mihi primum eam mentem iniecit, voluisse Christum pro sua Sapientia vniuersum Ecclesiæ opus, de quo loquutus est Ioannes 17 *Opus consumaui, quod dedisti mihi vt faciam.* ita in hoc vno repræsentare, & inchoare, vt omnium Mysteriorum Ecclesiæ, breuissimum quidem compendium, sed plenum daret, ex quo illud consequens esse videtur, quod iam ex adjunctorum ponderatione demonstrare aggredimur in persona Nathanaelis ipsam Ecclesiæ personam introduci. Igitur *in crastinum* hoc est postridie illius diei, de quo proximè locutus fuerat Euangelista, qui dies, vt ex Euangelico textu ostendit Cornelius tertius fuerat eius Martij, qui proximè præcessit publicam, & manifestam prædicationem Christi. Sub initium ergo huius mensis cum esset in Iudæa, profectionem primam instituit in Galilæam, ad ædificium Ecclesiæ designandum & inchoandum, vt consentiunt omnes interpretes; nam quæ prædicta hactenus fuerant de Andrea, & fratre eius, pertinuerant ad fructum prouenientem ex prædicatione Ioannis, vt rectè obseruauit S. Thomas, ex hoc autem loco ait ille, incipit manifestare fructum prouenientem ex prædicatione Christi. Quia verò agebatur de prima Ecclesiæ vocatione solemniter repræsentanda, & inchoanda, mirum quàm profundis verbis vtitur Euangelista. *In crastinum*, inquit, *voluit exire.*

Initium primæ prædicationis Christi initium Martij erat, illius inquam felicissimi mensis, in quo beneplacitum semper fuit Deo, exire in eo. Exiuit iam olim primum per creationem, & mense Martio voluit exire: hoc enim Mense Mundum esse creatum, Patres omnes affirmant, vt videre licet apud Molinam. Exiuit secundo per Incarnationem, & mense Martio voluit exire, vt Catholica tenet Ecclesia; & cum iam tertio exire decerneret per illuminationem, & prædicationem, hoc etiam menseMartio voluit exire. Rapior, & vehemēter rapior ab illa voluntate, qua quotiescumq; exiit, voluit exire. Non fuit volūtas illa coacta, sed libera, non necessaria,

ſed ſpontanea: poterat non exire, & voluit exire, quaſi non haberet intra ſe, in quo totum ſuum amorem occuparet; verè Diuinus amor eſt extaticus, vt ait Dionyſius, quia amantem extrà ſe tradit, & in amatum facit exire, ſed quò voluit exire? vtique in Galilæam. Nunc vere ſcio, quod docuit Paulus, apparuiſſe benignitatem Saluatoris noſtri. Hoc eſt Benignitatis ingenium ait Baſilius, exire ad eos, qui maximè opus habent, non expectata, nec requiſita cauſa ex parte eorum. Nimirum tanta eſt Diuina bonitas, vt ipſa ſola ſufficiat ad omnem rationem, & cauſam exeundi. *Ad Tit. 3.*

Erat Galilæa illa, omnium Paleſtinæ partium abjectiſſima, quæ Galilæa gentium dicebatur, propterea quod populus, qui in ea habitabat, non ſolum Iudæus, ſed magna etiam ex parte gentilis erat. De his habitatoribus vaticinatus eſt Iſaias cap. 9. vt explicat Matthæus 4. *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis.* Sedebat propter longam conſuetudinem, in tenebris propter diuinorum ignorantiam, & in regione vmbræ mortis habitabat propter ſtatum peccati, quod eſt vmbra, & ſimilitudo æternæ mortis. Mors, ait S. Thomas in cap. 4. Matthæi, eſt damnatio in Inferno juxtà illud Pſalmi 40. Mors depaſcet eos, vmbra mortis eſt ſimilitudo ejus damnationis; Et quia peccatores jam ſeparati ſunt à Deo, in qua ſeparatione poſita eſt maxima pœna eorum, qui in Inferno ſunt; ideo peccatores ſimilitudinem, & vmbram habent futuræ damnationis. Regio autem hujuſmodi vmbræ Galilæa Gentium potiſſimum erat, tum quia plena erat populo gentium idololatriæ maximè dedito, & multis aliis ſceleribus, & criminibus, tum quia populus ipſe Iudæorum licet ab Idolatria eo tempore abhorreret, vitiis tamen, & peccatis grauiſſimis immerſus erat. *Tol. in c. 1. Luc.*

Sed quorſum in Galilæam voluit exire? Quia voluit, ait Rupertus, prophetiam implere. Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis; profectò habitantibus lux orta eſt, quia ipſi, ait S. Thomas, non ierūt ad lucem ſed lux exiuit ad eos. Et quoniam quando in Scriptura notantur tempora, Myſteria indicantur, vt docet Magnus Gregorius; non eſt prætereundum verbum illud: In Craſtinum. In Craſtinum, inquit Euangeliſta, voluit exire in Galilæam, hoc eſt craſtina die; ab illa nempe die ait Toletus, in qua intuitus Simonem Ieſus dixit: Tu vocaberis Cephas. Vix primo, ac fundamentali lapide præſignato, ſtatim ad præſignandum Eccleſiæ properat Ædificium; & ſane modus ille narrandi, inuenit Philippum, & dicit ei Ieſus: ſequere me, nihil præterea addendo, & reſponſum nullum expectando, oſtendit magni operis molitionem, cui properando recta tendebat, volens conjungere tempus tempori, & opus operi, quod ſanè aliud non fuit niſi rudimentum Eccleſiæ per Apoſtolos ad Chriſtum congregatæ. *In c. 4. Matth.* *Lib. 2. Mor. c. 2.* *In c. 1. Ioan.*

Atque hic eſt diligenter obſeruandum, duas has perſonas Philippum, & Nathanaelem ita ab Euangeliſta introduci, ſociari, & inter ſe comparari, vt in vna perſona Philippi repræſentaretur vniuerſus Apoſtolatus, per quem Chriſtus totam conuocauit Eccleſiam; in altera verò perſona veri Iſraëlitæ, vniuerſa Eccleſia deſignetur vniuerſali Apoſtolorum miniſterio conuocata. Vidit has duas perſonas Auguſtinus, ideo explicans illud: *Prius quam te vocaret Philippus, cum eſſes ſub ficu vidi te*, ſic facit Chriſtum loquentem; *ô tu Iſraëlita, ſine dolo* *Tract. 7. in Ioan.*

quisquis es: ô popule viuens ex fide, antequam te per Apostolos meos vocarem, aut cum esses sub vmbra mortis, ego te vidi: & in eodem tractatu. *O tu Ecclesia, ô tu Israël, si es populus Israel, in quo dolus non est, modo jam cognouisti Christum per Apostolos.* Vides Augustinum in Israëlita agnoscere vniuersum populum, & Ecclesiam Electorum, in Philippo Vniuersum Collegium Apostolorum, & verè potuit Philippus in prima ista Ecclesiæ vocatione totum Apostolatum repræsentare; quia ipse omnium primus à Christo exteriori voce dicente: sequere me, assumptus est ad prædicationem Apostolicam; cum reliqui ante ipsum non exterius per externam vocem Christi, quæ est vocatio propria Discipulorum, sed interius per internam ejus inspirationem, quæ est vocatio communis omni fideli, vt benè notat Toletus, vocati fuerint. Quare Philippo hoc decus, & hæc laus debetur, ait Cornelius, quod primus à Christo ad Ecclesiam vtique per verbum Dei congregandam, vocatus sit, & vide quàm egregiè statim totam formam Apostolicæ prædicationis expressit; cum enim illa posita sit, tum in illuminandis mentibus per Scripturas de Christo, tum in hominibus ad eundem inuitandis, & pertrahendis: Philippus homo, cæteroquin illiteratus, & rudis, professione Piscator, magnificum illud Exordium intonuit. *Quem scripsit Moyses in lege, & Propheta, inuenimus Iesum*, quo nihil erat ad illuminandum aptius, & duplici illo verbo perorauit. *Veni, & vide*, quo nihil ad conuersionem efficacius, in quo sane Philippus juxta suum Nomen omnium Apostolorum ora repræsentauit, Philippus os lampadis interpretatur, ait Rupertus. De Apostolis autem in Cherubinis illis stipatoribus Currus gloriæ Christi significatis dictum est. *Aspectus eorum quasi aspectus lampadarum*, quia scilicet, vt ait Augustinus: *Vniuersum Mundum illuminarunt, tanquam duodecim lampades Veritatis.*

Ezech. c. 1.
Serm 105 de

Quemadmodum ergo Philippus singulari ratione in hac prima prædicatione vniuersos Apostolos repræsentauit, ita Nathanael à Philippo sic repræsentante vocatus, vniuersam Ecclesiam, & spiritualem populum Israël figurauit, quod vt manifestius adhuc fiat, reliquas partes historiæ perpendamus.

Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Mirabar quid causæ esset, quod Christus tàm magnificis verbis exceperit Nathanaelem. Ecce, dignum vtique spectaculo ait Rupertus illum esse significat dicendo, ecce, & quid de eo prædicat? *In quo dolus non est.* De Christo ait Carthusianus testati sunt Isaias & Petrus, quod non est inuentus dolus in ore ejus, quanto ergo spectaculo dignus fuit iste Nathanael, quem Christus eisdem verbis laudauit, quibus ipse prophetico fuit ore laudatus, Apostolicoque laudandus? Obstupuit ad tàm magnam de viro isto laudem Augustinus; *audite*, inquit, *qualis iste fuerit. Dominus ipse perhibet testimonium, Magnus Dominus cognitus est testimonio Ioannis. Ecce. Beatus Nathanael cognitus testimonio veritatis. Ecce.* Magnum testimonium, ait Augustinus, hoc nec Andreæ dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, quod dictum est de Nathanaele. Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Quæritur causa. Nullam in præsentia oportuniorem inuenio, nisi quia Christus vidit venientem ad se non vnum tantum electum, sed omnem Ecclesiam Electorum. Propterea cum videret in vno cunctos, quos elegerat, sicut olim cuncta quæ fecerat, non sicut vnam

Isai. 53.
1. Petri. 2.
Tract. 7.

quamque separatim creaturam parcè laudauit quod esset bona. Sed sicut vniuersas in communi, & in vnum adunatas magnificauerat, & erant valde bona, ita venientem ad se Israëlitam totius spiritualis Israël Typum gerentem peculiari dignum spectaculo demonstrat, quali non inuenti sunt digni singulares discipuli. Ecce verè Israëlita, & nota quanta diuersitate agit Christus in præsignatione primi lapidis in Petro, & in præsignatione totius reliqui Ædificij in Nathanaele. Quia enim agebat de Petro, tanquam de singulari persona, defixit primo in illum obtutum. *Intuitus autem eum Iesus.* Secundo expressit substantiam personæ singularis per pronomen. *Tu.* Tertio addit nomen indictum in Natiuitate. *Tu es Simon.* Quarto adjunxit nomen Patris: *Tu es filius Ionæ*, voce vt vulgo vsurpabatur abbreuiata ad clariorem designationem indiuidui. Quinto denique repetiit pronomen singulare, super quod nouum super addidit nomen. *Tu vocaberis Cephas.* Vbi obseruat Toletus, Simoni non esse mutatum nomen, sed amplificatum, nec enim dictum est, non vocaberis Simon, sed vocaberis Cephas; seu Petrus, propterea dictus est semper Simon Petrus, vt magis appareret, nomen primatus cadere supra singularem personam suo antiquo nomine præsentatam; ex quibus omnibus circumstantiis personam designantibus, inferunt Catholici Doctores contra Lutherum, Caluinum & Magdeburgenses promissionem illam à Christo factam. *Et tibi dabo Claues Regni Cælorum*, non factum esse primò & immediatè ipsi Ecclesiæ, & per Ecclesiam ejus Pastoribus, sed immediatè Petri personæ. Contra verò cum agitur de Nathanaele, abstinuit Christus ab omnibus illis modis, quibus priuatam, & singularem personam designaret. Neque enim illum proprio vocauit nomine contentus communi Israelitæ, neque Israëlitæ tantum secundum carnem, qualis reuera illa persona erat, sed Israëlitæ complectentis non solum Iudæos, sed etiam Gentiles, quod indicatur per illud, *Verè.* Sicut enim juxtà doctrinam Apostoli, ait Carthelusianus quidam sunt filij Abrahæ secundum carnem tantùm, qui non reputantur in semine, qui non sunt digni vocari filij Abrahæ. Alij verò sunt filij Abrahæ spirituales per fidei imitationem, qui dicuntur vere filij Abrahæ, seu Abrahelitæ, quales sunt omnes etiam gentiles electi tempore gratiæ. Sic quidam sunt filij, & semen Israël secundum carnem tantummodo, qui non sunt verè Israëlitæ; alij autem secundum fidem, & gratiam, qui sunt, verè, Israëlitæ, videlicet omnes electi Deum fide formata, ac lucida intuentes: Itaque per illud, verè, sicuti omnes reprobos separauit, siue fideles, siue infideles, ita electos omnes congregauit, siue Iudæos, siue Gentiles, ita vt tota, & sola Domus spiritualis Israël commendaretur, & repræsentaretur: Atque hæc fortasse est ratio, cur non dixerit Christus, ecce verè Abrahelita, sicut commendauit aliquando Zachæum eo quod, & iste sit filius Abrahæ, sed dixit: *Ecce verè Israëlita*, seu vt legit Syrus: *Ecce verè filius Israël.* Quia ille filius, totius Typum gerebat Ecclesiæ, quæ non in Domo Abrahæ, sed in Domo Israël, seu Iacob fuit repræsentata. Quare Angelus non dixit de Christo, & regnabit in Domo Abrahæ, sed regnabit in Domo Iacob. Cujus litteralis ratio ea est, vt benè aduertit Toletus; Quia filij Iacob omnes quotquot fuerunt, (fuerunt autem duodecim, totidem Tribuum Patres, & Patriarchæ,) omnes inquam, vnus peculiaris Dei populus facti sunt. Filij autem Abraham, quamuis essent suarum familiarum, ipsi quoque Pa-

Bellarm. l. 1. de Rom. Pont c. 12.

Rom. 6. Galat. 4.

Luc. 19.

tres, & Duces, non omnes peculiaris Dei populus fuerunt.

Sed fortasse quispiam negabit vidisse Christum ad se venientem, in vno filio totam Domum Iacob; quia vox illa: *Tu es filius Dei. Tu es Rex Israel,* Vox illa, vox Iacob non est. Si enim est verum quod sentit Toletus, sequutus Chrysostomum, quod quando dixit Nathanael: Tu es Filius Dei, confessus est illum eo modo, quo Iudæi communiter futurum Dei Filium Messiam credebant. Illi enim, quibus Trinitatis, & Incarnationis Mysterium non erat adhuc sicut sanctis Prophetis reuelatum, credebant quidem Messiam Filium Dei futurum eminenti quadam filiatione supra omnem adoptionem etiam Angelorum, non autem distinctè intelligebant filium esse naturalem, & consubstantialem Deo. Quod autem Nathanael sic vocauerit Filium Dei, ex sequenti confessione manifestius

Matth. 16. fit, ait Toletus. Si enim Filium Dei nouisset, vt Petrus, quando dixit: Tu es Filius Dei viui, non Regem Israël, sed totius Orbis Regem, & Dominum proclamasset, at ille communem sequens opinionem Iudæorum, existimantem Regem temporalem, & merum hominem in Israël futurum, vocat Regem Israël, quare licet eisdem confessionis verbis vsus fuerit cum Petro, non tamen idem sensit cum eo; ideo Petro eadem omnino verba proferenti, sed altiori sensu respondit Christus: Beatus es Simon; nihil autem tale respondit Nathanaeli.

Verum si sensum ad verborum sonum exquiramus, dicemus omnino. Vox

Apud Cornel. plane, vox Iacob est, vox Ecclesiæ Christi est. Tu es Filius Dei ita illam agnouit totum nec fusius in superioribus capitibus explicauimus Concilium Constantinopolitanum Oecumenicum in Constitutione Vigilij Papæ ad quintam collationem pertinente; vbi Anathema dicit iis, qui verba Nathanaelis: Tu es Filius Dei, Tu es Rex Israël ab ipso dicta volunt Christo, tanquam Domestico Dei, vt non ipse sit Deus. In qua definitione. Concilij illius grauissimi Petrus sequuti sunt regulam sacræ Scripturæ contra Arianos, vt quotiescumque Christus simpliciter Filius Dei nominatur, verus, & naturalis Dei Filius esse intelligatur. Quod in re nostra videtur Christus ipse intellexisse, ita enim respondit, quod optimè notat Maldonatus, vt non obscurè significet, Nathanaelem, quidquid credere de ipso oportebat, credidisse. *Quia dixi tibi: vidi te sub ficu, credis.* Cui enim Christus affirmando dicit, *credis*, profectò credidit, quod credere oportebat; illud autem fuit, quod planè confessus est: *Tu es Filius Dei.* Quod autem non subdit: Tu es Rex Vniuersorum, sed *tu es Rex Israel*, mirandum non est, quia Messias Rex Vniuersorum, peculiarius, & propriè promissus erat, non vnisis, sed Israëli, tanquam populo, & hæreditati suæ. Immò si cum antecedentibus conferatur confessio illa, Rex Israël, nescio quam emphasim habet, qui enim laudatus à Christo Israëlita fuerat, & verus filius Magni illius Israël, famulum se profitetur Regis Israël, seu Regis Domus Iacob, quæ est Ecclesia juxtà di-

Luc. 1. ctum; *& regnabit in Domo Iacob in æternum.* Sed quid est, quod pro eadem confessione laudauit Petrum Christus, non laudauit Nathanaelem? Afferam, & hujus aliquam rationem. Si prius statuamus non fuisse illam causam præcise, quod Petrus Filium Dei naturalem confessus est: Si enim ea præcisa causa fuisset, laudatus idem Petrus fuisset, cum dicente aliquando Christo: Numquid & vos vultis abire, eandem prorsus fecit fidei professionem. Tu es Christus Filius Dei, quod narratur Ioan. 6. fuit vtraque confessio æquè plena, vt enim docet S. Thomas:

S. Thomas: In fide nostra duo principaliter credenda sunt, scilicet Mysterium Trinitatis, & Incarnationis, quæ duo vtrobique, & eodem modo Petrus confessus est, Mysterium quidem Trinitatis, cum dicit: Tu es Filius Dei; in hoc enim, quod dicit eum Filium Dei, facit mentionem de persona Patris, & filij simul etiam Spiritus Sancti, qui est amor Patris, & Filij, & nexus vtriusque. Mysterium verò Incarnationis, cum dicit: Tu es Christus. Cum ergo Petrus vtrobique eandem perfectissimam fecerit confessionem; cur non vtrobique eandem retulit laudationem? Ratio profectò aliunde quàm ex perfectione confessionis petenda est, & fortasse quam differentiam dabis inter Petrum, & Petrum, dabo ego inter Petrum, & Nathanaelem. Cæterum huiusmodi laudationes adhibebantur a Christo cum necessariæ Instituto essent, & quia Matthæi decimo sexto, Institutum Christi erat, Petrum ad Pontificatum præparare, & dicturus illi singulariter erat coram omnibus: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, voluit tantæ dignitatis meritum præmonstrare, quod neque in altera Petri confessione, neque in præsenti Nathanaelis habet locum. Adde quod Petri confessio, quæ præcessit, fuit quasi propositio, & Christi laudatio fuit quasi responsio; at in re nostra opposito quodam modo res habuit, sed non minori Antithesis elegantia. Laudatio Christi, quæ præcessit, fuit quasi propositio, & Nathanaelis confessio, fuit quasi responsio, quasi dicat Nathanael: Tu dixisti mihi quia verus sum Israelita, seu filius Israël, & ego dico tibi, quia tu es Deus Israël Filius Dei; ad eum ferè modum, quo Christus Petro: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: tu qui filius Iona es, Filium Dei me esse dixisti; & ego dico tibi quia es Petrus Vicarius Filij Dei. Sed si originem tantæ confessionis indagabimus, nouum argumentum emerget, quo confirmemus promissionem factam Nathanaeli, factam illi esse tanquam Ecclesiæ. *Vnde talem vocem protulit*, ait Augustinus, *qualem tanto post Petrus?* Quid tàm grande *Christus dixit, cum illud tantum dixit: Vidi te sub ficu; hoc sanè pro tota causa attulit Christus ipse. Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis.* An in eo verbo habuit argumentum Diuinitatis? At hoc infallibile non erat, neque cogebatur Nathanael, vt rectè Toletus, ex ea reuelatione secreti, Christum scrutatorem credere vt Deum, nam reuelare cordium quoque arcana possunt ex instincto Diuino, etiam Prophetæ, quemadmodum Elisæus reuelauit secretas insidias Regum Israël. Quid ergo vidit ipse, cum se visum sub ficu audiuit. Vidit se visum in lumbis Adæ sub illis vtique foliis ficus, ex quibus primus peccator lumbaria succinctoria consuit sibi, ibi cum toto genere humano se visum vidit, & quidem captiuum vidit, & miserè sedentē in vmbra mortis.

Tract. 7. sup. Ioan.

Reg. 4. c. 6.

Quod dictum audiuimus Nathanaeli, ait August. Serm. 40. de Verbis Domini, non ad ipsum pertinet solum ipse quippe Dominus Iesus sub ficu vidit omne genus humanum; isto enim loco intelligitur per arborem fici significasse peccatum, non vbique hoc significat, replicat Augustinus, sed hoc loco, vt dixi. Et quidem in sensu litterali, primario, & principaliter intento. Est enim Scripturæ Canon, vt quando ea, quæ proponuntur, maiora sunt, quàm vt plenè conueniant rebus, quas verba significant, tunc potissimum in sensu litterali primario conueniunt, non rebus significatis per verba, sed rebus significatis per res à verbis expressis. Sic sæpè dum grande aliquid Prophetæ loquuntur de Hierusalem, non loquuntur in sensu litterali de terrena, sed de spiritali, hoc est Ecclesia, quam ter-

rena figurabat, vt docet S. Hieronymus in cap. 30. Isaiæ. Quare cum habeamus Nathanaelem ex illo verbo, vidi te sub ficu magnum aliquid intellexisse, vnde illam protulit vocem: Tu es Filius Dei, dicendum est Christum locutum esse more Prophetarum, & à ficu Nathanaelis, tanquam à typo, ad ficum, seu vmbram peccati primi Parentis, tanquam ad antitypum ascendisse, ibique litteraliter hæsisse cum allusione tantum ad typum.

Sed quonam oculo se visum intellexit, sub ficu primi Parentis, oculo vtique, ait S. Thomas piissimæ misericordiæ, qui est oculus gratuitæ electionis, quo visa fuit Ecclesia. Ipsa enim Diuina prædestinatio oculo pietatis respicit prædestinatos sub peccatis viuentes. Isto oculo amantissimo se visum, hoc est electum se in Ecclesia ex perditionis massa cognouit. Videre enim in Scripturis aliquando idem est, quod eligere, vt ex Gregorio obseruat Maldonatus. Et quia nihil est, quod rapiat ad amandum magis, quàm se amatum videre: ad vnicum illud verbum: Vidi te, agnoscens vocem, & oculum promissi Saluatoris, & Redemptoris Israël. Statim, ait S. Thomas ad hoc conuersus, & virtutem Diuinitatis in Christo cognoscens, in vocem confessionis, & laudis prorumpit, dicens: *Rabbi tu es ille Filius Dei, tu es ille Rex Israel.* Sic enim non sine emphasi cum duplici articulo in Græco legitur. Ille videlicet filius, veteri promissus homini, tanquam nouus Pater futuri Sæculi, ille Rex Israël, qui visitabit, & faciet redemptionem plebis suæ. Atque hic illud obseruo, post istam Nathanaelis confessionem, qua Christus prædicabatur ille Filius Dei, cœpisse Christum cum duplici isto articulo appellare se filium hominis. Hoc enim loco primum quod semper ferè deinceps factum est, per nimiam illam charitatem suam, qua dilexit nos, & honorabile fuit nomen nostrum coram illo, quamuis se Regem ostendat Angelorum, non confunditur fra-

Ad Heb. 2. trem se nostrum vocare, & filium hominis, & dicit ei, ei nimirum qui dixerat: *Tu es Filius Dei. Videbitis Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.* Filium hominis dicit, ait Ribera, & quidem cum duobus articulis, vt certum filium, & certum Patrem ostendat, idest, vt intelligatur ille filius, non hominis confusè, sed illius hominis determinatè, videlicet Adam primi Parentis, qui illi promissus fuerat, vt eius peccatum deleret, & naturam humanam repararet,

1. Cor. 15. essetque alter generis humani Pater; ideo enim dicitur secundus Adam, siue nouissimus Adam: hæc Ribera.

Ex hactenus obseruatis manifestum videtur in vocatione Nathanaelis voluisse Christum totius Ecclesiæ vocationem adumbrare, vt sicut vocationem Petri ad Pontificatum, illiusque quasi formationem in Pontificem, non statim, sed paulatim perduxit. Primo illud tantum præsignando. Tu vocaberis Cephas, quod narrat Ioannes 1. Secundo promissum nomen imponendo, & confirmando. Tu es Petrus, & rursus claues illi non dando sed promittendo. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum. Quod habetur Matth. 16. Ad extremum, claues reipsa dando post Resurrectionem. Pasce oues meas, vt legimus Ioannis 21. Ita totius Ecclesiæ, quam formaturus erat iuxtà Isaiæ vaticinium ex Galilæa, voluit primo ipso in eam ingressu, & primo ipso die rudimentum aliquod facere, vt quod in primo creationis Mundi fecerat die; totum opus, quod paulatim deinceps distincturus erat. Primo etiam primæ vocationis die præsentaret. Et ideo non sine Mysterio statim sequenti die ad vocationem Nathanaelis, quæ fuit quinta Martij vt ostendit

Cornelius, celebratæ ſunt Nuptiæ in Cana Galilææ Ciuitate illius; & die tertia ait B. Ioannes factæ ſunt Nuptiæ, tertia videlicet ab illo craſtino, quo in Galilæam exiuit, vt Origines docet: hoc enim eſt vltimum tempus à Ioanne nominatum.

In quibus nuptiis Eccleſiæ nuptiæ fuerunt adumbratæ, illis tantum in nuptiali Conuiuio nominatis, qui ad Cœnam nuptiarum agni vocati ſunt; ſed de Myſterio harum nuptiarum, quo primum triduum exterioris vocationis Eccleſiæ completum eſt, redibit fortaſſe Sermo: interim illud maneat, promiſſionem de Cœlo aperto videndo, & Angelis aſcendentibus, & deſcendentibus factam Nathanaeli fuiſſe, non tanquam priuatæ perſonæ, ſed tanquam Eccleſiæ. Et ideo ad nouum Eccleſiæ ſtatum totum hoc Chriſti vaticinium pertinere, id quod ſenſerunt graues Doctores, Cyrillus, Auguſtinus, Beda, Rupertus ex antiquioribus; è recentioribus verò, Franciſcus Toletus, & Franciſcus Lucas, ambo maxime litterales. Quamuis enim Authores hi, non explicent in ſenſu proprio, & rigoroſo Angelorum aſſenſum, & deſcenſum ad filium hominis, conueniunt tamen in eo, vt prophetiam iſtam extendant ad totum tempus Eccleſiæ; quomodo autem in ſenſu planè litterali in Eccleſia nunc verificetur, iam aggredimur examinare.

CAPVT XVIII.

Quomodo in ſenſu litterali verificetur in Eccleſia promiſſio Chriſti Domini, de Angelis deſcendentibus, & deſcendentibus ſupra filium hominis, & quando impletum eſt hoc Oraculum.

Proponuntur aliorum Sententiæ.

MAGNIFICVM planè Oraculum, & quo in tota Sacra Scriptura vix, aut ne vix quidem illuſtrius ſit reperire. *Amen, amen dico vobis videbitis Cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis.* Hic primo illa præfationis voce vſa eſt Patris Sapientia. (*Amen dico vobis*) per quam, attentionem magnam excitaret, ex magnitudine videlicet dicendorum ad eum planè modum, quo priuſquam eſſet incarnata iam olim dixerat: *Audite me quia de rebus magnis locutura ſum.* Neque ſolum hoc loco primum hanc vocem adhibuit, quod obſeruare facile fuit ex tota Chronotaxi geſtorum Chriſti, ſed illam geminatam adhibuit non vnico, *Amen,* ſed duplicato, *Amen, Amen.* In quo eſt animaduerſione, & inueſtigatione non indignum; quonam tandem myſterio factum ſit, vt cum in cæteris Euangeliſtis illa vox ſimplex reperiatur ſemper, in ſolo Ioanne ſemper duplicetur.

I. *Hæc promiſſio quomodo litteraliter verificetur in Eccleſia?*

Sap. 10.

II. *Cur ſolus S. Ioannes geminet, Amen, amen.*

Mouet hanc quæſtionem Rupertus, & illam affert cauſam, quia, inquit, *quæ à Ioanne referuntur, maiora, & diuiniora ſunt; & idcirco concitatiore, ideſt geminato ſemper affirmationis clamore magis attentum efflagitant auditoris animum.* Verum huic cauſæ non immerito repugnat Maldonatus. Quia, inquit, ſæpè Ioannes de iiſdem rebus cum aliis agens, ille geminat, alij non geminant, & alij nun-

In c. 3. Ioan. *Ratio Ruperti.*

quam, cum sæpè de grauissimis agant rebus, ille semper, cum aliquando de rebus non maioribus quam alij agat, ex quo tandem infert Maldonatus, geminationem illam non ex mysterio aliquo, sed ex proprio Euangelistæ ingenio, vel etiam loquendi familiari consuetudine profectam esse.

Ratio Cornelij. Cornelius diuersitatem illam potissimum refert ad prærogatiuam personæ S. Ioannis, præsertim tempore, quo Euangelium scripsit; tunc enim ex omnibus Apostolis, solus ipse erat superstes, & solus manserat veluti Ecclesiæ os, & Oraculum, propterea quasi auctoritate pollens, quasi senum senior, quasi Patriarcharum Patriarcha dicit, Amen, Amen. Qua etiam geminatione, ait ipse, insinuatur gemina certitudo, quam Euangelista in scribendo habuit; cognouit enim quod scripsit per duplicem cognitionem naturalem, & Diuinam, per experientiam, & per reuelationem. Verum ratio petita à conditione personæ non habet hoc loco pondus; neque enim agit hic S. Ioannes, aut Theologum, aut Prophetam, aut Patriarcham Ecclesiæ, sed tantum Euangelistam, & simplicem enarratorem dictorum Christi. Vel ergo Christus verè geminabat, Amen, Amen; & tunc quærimus cur reliqui Euangelistæ nunquam illud referant geminatum, si verò non geminabat, cur Ioannes, & solus, & semper geminatum referat, neque enim hîc ipse loquitur, sed Christum loquentem inducit. Et sanè quod Christus verè geminauerit, siue ad ostendendam rerum grauitatem, sublimitatem, & certitudinem, siue quamcumque ob aliam causam, & fatetur Cornelius, & fatendum ab omnibus est. Cur autem cæteri Euangelistæ breuitati studentes, vt Cornelius loquitur, vnico Amen vtrumque Christi Amen complexi sint, Ioannes verò huic in ea voce compendiò non studuerit, sed vt à Christo erat prolata, iterare semper amauerit. Hoc sanè inuestigatione dignum omnino est, neque enim Maldonato assentiri possunt, vt credant vacare omnino mysterio, quod tantus Euangelista non semel, aut iterum, sed semper; nec in grauioribus tantum rebus, sed etiam minus grauibus constantissimè vsurpauit, & quidem post visa, & studiosè obseruata trium aliorum Euangelia, quæ ad se, antequam suum scriberet allata (quod refert Toletus) admiratus laudauit, & confirmauit. Quare certissimum *Argum. in Io.* mihi est Ioannem, qui in scribendo Euangelio cæterorum postremus fuit, aliquid in illa voce post omnes alios de nouo cognouisse, ob quod nullo modo prætermit- *Ratio Autoris.* tendam, aut non iterandam iudicaret. Neque mirum videri potest id contigisse; nam Euangelium, quod vltimum opus ipsius fuit aggressus est scribere non multo post reditum ab exilio Pathmos, vbi Apocalypsim accepit tot habentem Sacramenta, quot verba, vt ait S. Hieronymus; Constat autem hoc præcipuè verbum, de quo agimus fuisse in Apocalypsi Sacramentũ, in quo reuelatum fuit Ioanni nouum nomen Christi; sic enim habetur in septima, & vltima Christi Epistola, quam iustus *Apoc. 3.* fuit Beatus Ioannes scribere ad Episcopum Laodicensis Ecclesiæ: *Scribe, hæc dicit, Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei.* Quasi prius dixisset *Exod. 3.* Ioannes illud Moysis: si dixerint mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis? Sic di- *Primas. apud* ces: hæc dicit, Amen, hoc est, hæc dicit ille, cuius nomen est, Amen. *Hoc loco*, ait *Perrer. in Apoc.* Primasius, *Dominus, Amen, vocatur, quod referendum est ad Diuinitatis essentiam, de qua Deus Moysi dixit: Sic dices filiis Israël, qui est misit me ad vos.* Et rectè quidem in eo, quod dicit Dominum in hac Epistola vocari, Amen, quod non sit Aduerbium, sed nomen, vt benè Carthusianus, Ribera, Cornelius, & alij.

Sed quod hoc ad solam Diuinitatem sit referendum, auctores isti planè dissentiunt; sicut enim id, quod sequitur, *Testis fidelis, & verus, qui est principium Creaturæ Dei*, de Christo non tantùm, quà Deus est, sed etiam quà homo est intelligitur, ita nomen hoc reuelatum de Christo etiam vt homo est, in quo sensu nomen plane nouum dici potest, quia vt rectè Ribera Nomina, quæ Filio Dei dantur vt homo est, neque ab æterno, neque ab initio Creaturæ, sed à tempore quo homo factus est ei conueniunt, atque adeo noua sunt.

Cum ergo solus Ioannes ex cujus Apocalypsi, & Euangelio, vt docet S. Chrysostomus, Angeli ipsi Cherubim, & Seraphim plurima didicerunt, hujus vocis mysterium, tanquam nominis noui cognouisset. Hinc factum existimo, vt quod loco Mysterij erat, explicatè, nec solum ex ore, sed tanquam os ipsum Christi geminare pronuntiaret; quam etiam causam insinuasse videtur super hoc loco Rupertus: *Potest*, inquit, *& sic rectè intelligi, quod, Amen, dictum sit pro ipso nomine veritatis, quæ est ipse Filius Dei iuxtà illud in Apocalypsi: Hæc dicit, Amen, & sic dicit, Amen, Amen dico vobis, vt intelligas Christum dixisse: Ego Veritas veritatem dico vobis.*

Magna ergo commendatio, & laus est hujus loci, quem aggredimur explicare, quod in ipso primum hoc tantæ vocis Mysterio vsus est Christus, vt propterea magna etiam sit in nobis attentio excitanda, & studium acuendum, vt quæ sub tanti Oraculi verbis latent, percipiamus.

Quando impletum est hoc Oraculum.

Sed facit obscuritatem non exiguam, quod non satis appareat quandonam hujusmodi oraculum impletum sit, & sanè si editum fuisset ante Baptismum Christi, referri facile posset ad illud Lucæ: Iesu baptizato, & orante apertum est Cœlum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut Columba in ipsum, & vox de Cœlo facta est: Tu es Filius meus; tàm enim Columba visa, quàm vox audita Angelico ministerio firmata est, atque ob id fortasse Cœlum tunc apertum esse dicitur, quia illinc Angeli descendere, & illuc ascendere visi sunt. III. *Promissio Christi quando impleta est? Luc. 3.* IV. *An in Iordane.*

Verum hunc Christi sermonem non ante, sed post Baptismum contigisse manifestum est ex serie gestorum Christi, & ex iis præsertim, quæ per singulos dies enarrat Ioannes ipse capite primo.

Rursum si hæc Christi Prophetia fuisset exposita saltem ante tentationem in Deserto, quiesceret aliquantulum etiam animus in eo, quod scribit Matthæus: *Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei*; quamvis enim tunc non dicantur Angeli, ascendisse, & descendisse, sed tantùm accessisse, quod Chrysostomus refert ad Mysterium, vt scilicet significaretur, ait ipse, quia Angeli semper ad ministerium Christi erant in terris, tamen cum habeamus ex hoc loco insigne Angelorum ministerium possemus interpretari verba Christi, vt nihil aliud sint, quàm metaphorica quædam ministrorum descriptio, qui cum Regi ministrent expeditos videas alios per scalas ascendentes, ferentes fercula, aut aliud quidpiam, alios contra descendentes, eademque referentes, quæ explicatio Maldonati est, & non importunè traducta ad præsens ministerium cœlestis conuiuij V. *An in Deserto. Matth. 4.*

exhibiti Christo, ad quem, cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & postea esuriisset, accesserunt Angeli, cibos, vt ait Titelmanus, quibus famem sedaret corpusque reficeret diligenter ex Patris voluntate ministrantes.

In cap. 4. Matth.

Sed eodem plane vitio laborat posterior hæc Commentatio, nam ex eadem Chronotaxi factorum Christi apertè constat, colloquium hoc contigisse non solum post Baptismum, sed etiam post jejunium quadragenarium, immò & post legatos missos ad Baptistam, vt notat Epiphanius.

Hæresi. 51.

VI. *An tempore Passionis, Resurrectionis & Ascensionis. Luc. 22. 43. Luc. 24. 4.*

Scio non defuisse Doctores, & quidem magni nominis, qui hoc Vaticinium referrent, vel ad tempus Passionis, quando apparuit Angelus confortans eum, vel Resurrectionis, quando illi duo Angeli ad sepulchrum visi sunt. *Ecce duo viri steterunt secus illos in veste refulgenti*, vel Ascensionis, quando duo itidem Angeli in vestibus albis apparuerunt: *Ecce duo viri astiterunt juxtà illos in vestibus albis.*

Sed verè expositiones hujusmodi, non videntur implere majestatem Oraculi, quod sanè non priuatum non obscurum, non paucorum Angelorum significat ministerium. *Videbitis*, inquit, *Cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.* Ideo Caietanus, vt se hac difficultate expediret, affirmauit quidem Vaticinium istud planè magnificum, impletum omnino fuisse viuente adhuc Christo. Cæterum non fuisse ab Euangelistis enarratum: nullibi enim, ait ipse, legitur Discipulos Christi vidisse Angelos Dei (non Angelum Dei) vtroque fungi officio, scilicet ascendendi, & descendendi super Iesum; & quamuis legamus post Resurrectionem multos Angelos apparuisse, sed non supra filium hominis, & in Ascensione, Angeli apparuerunt Discipulis, sed non super filium hominis ascendentes, & descendentes, & breuiter concludit ipse certum, & quod hoc viderunt Christi Discipuli, quando autem, & quoties scriptum non est.

VII. *An necessario intra tempus Vitæ Christi.*

Caietanum sequuti sunt recentiores aliqui, inter quos est noster Cornelius. Qui præterea addit rationem, immò necessitatem dicendi prophetiam illam adimpletam omnino fuisse intrà tempus Vitæ Christi. Quæ necessitas erat sine dubio tangenda; neque enim satis est dicere multa fuisse silentio prætерita à sanctis Euangelistis, vt dicamus, & hoc ex illis esse, nisi quando rem factam intrà certum tempus, veritas prophetiæ necessario postulat; hanc igitur necessitatem attingens Cornelius, sic habet: Quia Christus Nathanaeli, & Philippo specialiter promittit hanc Angelorum visionem ad inchoatam eorum in se fidem augendam, & roborandam; nec in Baptismo, Passione, Resurrectione, vel Ascensione Christi, vel aliàs propriè apparuerunt Angeli; ascendentes, & descendentes ad Christum: hinc planius, simplicius, pressius, & germanius dicemus peculiarem, & publicam hanc fuisse visionem Angelorum, viuenti Christo propriè, vt verba sonant, factam, æquè ac eadem facta est Iacobo, qui fuit Typus Christi. Quare illa visio Iacobi similem Christo obuenturam Angelorum visionem (de qua hic agitur) præsignificat; vbi autem, & quando contigerit, non narrant Euangelistæ, vti, & alia multa Christi Acta silentio præterierunt. Hæc Cornelius.

Gen. 28. 12.

Et quidem ego libenter admitto, quod obiter tangitur, visionem Iacobi præsignificasse similem Angelorum visionem, de qua hic agitur obuenturam

Christo; sed vtrum Christo in viuis ambulanti, & vigilanti, an potius quasi sub specie mortui veluti jacenti, & dormienti supra lapidem erectum in Altare. Hoc profectò erit grande Myst rium paulopost euoluendum. Interim dico veritatem promissionis factæ Nathanaeli, & Philippo, non postulasse vt visio ista contingeret antequam mysticus noster Iacob veniret ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum. Ratio in promptu est, quia illa tam magnifica promissio facta fuit Nathanaeli, non tanquam priuatæ personæ, sed tanquam Ecclesiæ, vt sæpissimè factum est in Euangelio juxtà illud: *Quod autem vobis dico, omnibus dico:* super quem locum Augustinus: *Non solum illis dixit, quibus audientibus loquebatur, sed etiam illis, qui fuerunt post illos ante nos, & ad nos ipsos, & qui erunt post nos vsque ad nouissimum ejus Aduentum.* Hæc autem in casu nostro, vel ipsa verba Textus indicare videntur. *Et dicit ei: Amen, Amen dico vobis, videbitis Cælum apertum:* conuersus ad Nathanaelem direxit illi sermonem; ideò legimus, *& dicit ei*, sed quia non ei tanquam priuatæ personæ, ideo non subdit: *Amen, Amen dico tibi, videbis*, sed *Amen, Amen dico vobis, videbitis.* Aspice, ait, Cyrillus Nathanaelis fide posita, ad omnes communiter vertit sermonem. Ex quo patet, neque promissionem illam fuisse specialem, quod asserebat Cornelius, neque de visione oculi corporei, sed oculi spiritualis, & longius, latiusque aspicientis, qui est fides, neque vrget, quod tandem indicare videbatur Cornelius, promissam scilicet visionem corporalem ad inchoatam Nathanaelis in se fidem augendam, & roborandam. Nam quidquid sit de fide Nathanaelis circa diuinitatem, de qua supra disputauimus, certè ad illam confirmandam, ait Chrysostomus, futurum à præterito probauit Christus. Non dicit futurum ab euentu credendum reliquit, quia tunc præsentem fidem de Diuinitate à Nathanaele exigebat, sed dicit futurum à præterito probauit. Interroganti enim illi: Vnde me nosti, respondit Iesus, & dixit ei: priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Ecce hoc erat præteritum, & occultum; ab hoc autem præterito confirmat futurum, & per promissionem ita confirmatam, inchoatam Nathanaelis in se fidem auget, & roborat.

Gen. 20. 11.
Marc 13.
Aug. ad Hes.
Cyrill. c. 21.

Cum ergo veritas verborum Christi non exigat spectaculum hoc esse datum viuente Christo, & Euangelistarum nullus, de eo faciat mentionem; non video cur non sit sacro Interprete dignius diligenter examinare, vtrum ad tempora consequentia pertinere possit.

VIII. *An implendum in die Iudicij.*

Maldonatus ex vna parte videns nullum esse fundamentum in Scriptura affirmandi Vaticinium hoc esse impletum viuente Christo; & ex altera existimans contineri in eo testimonij publici, atque conspicui Diuinitatis magnificam promissionem, rem totam rejicit ad vltimum Mundi diem, quando vt est apud Matthæum: Filius hominis veniet in Majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo. Nec dubito, inquit, hunc esse verum sensum, nam in Ascensione Christi, quæ vna, præter hanc, opinio videtur esse probabilis; viderunt quidem Apostoli Angelos, sed nec specie Angeli viderunt, nec ascendentes, & descendentes, & est credibile Christum argumentum Diuinitatis suæ omnium certissimum afferre voluisse: hæc ille.

Matth. 25 31.

Sed verè consideranti cuique vtrumque Oraculum apparebit facilè longè diuersum; nam ibi apud Matthæum prædicuntur Angeli venturi cum eo. Hic vero apud Ioannem prædicuntur ascensuri, & descensuri supra eum. Neque

verò vim magnam facio in illud, ſuper, nam quod didici à Ribera, præpoſitio
Rib. in c. 1. Ioa. ſuper, more Hebræorum, aliquando ſignificat, propter, vt 2. Regum: *doleo ſuper te frater mi Ionatha*; aliquando ſignificat, ad, vt Lucæ 3. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem*, & quod conceſſerim Maldonato, aliquando ſignificat juxta, ſicut ſolent Miniſtri Dominum cingere; ſed totam vim facio in eo, quod vt cumque explicetur illud *ſuper*, videndi tamen ſunt ſemper verè aſcenſuri, & deſcenſuri. At, inquit, Maldonatus aſcendentes, & deſcendentes, cum dicit, nihil aliud ſignificat quàm miniſtrantes; itaque fruſtra quæritur quomodo illi aſcendunt, & deſcendunt: nec enim verus aſcenſus, aut deſcenſus, ſed verum miniſterium ſignificatur. Hæc reſponſio ſuas habet difficultates, & ſanè ſi ſolida omnino eſt, fruſtrà impugnauit Maldonatus opinionem Titelmanni de tempore Aſcenſionis, illo argumento, quia non viderunt tunc Apoſtoli Angelos ſub ſpecie Angeli, quod fortaſſe eſt verum, nec aſcendentes, & deſcendentes, quod eſſet falſum juxtà explicationem factam: quandoquidem aſcendere & deſcendere nihil aliud ſignificat, quam miniſtrare. Sed quidquid ſit de cohærentia hujus reſponſionis certe non videtur vera. Aliud enim eſt aſcenſum, & deſcenſum hoc loco ſignificare verum miniſterium, aliud, verum miniſterium non ſignificare hoc loco per verum aſcenſum, & deſcenſum: primo vltrò admitto, ſecundum nego, & pernego. Nam eadem ratione poſſet quis dicere, neque B. Iacob vidiſſe Angelos aſcendentes, & deſcendentes, ſed tantum cognouiſſe ex Cœleſti Regia, omnia ad hunc Mundum mandata proficiſci, & naturam corpoream per Angelicam gubernari, idque à Moyſe explicari per illas voces, aſcendentes, & deſcendentes, quod omnino eſſet, verba Scripturæ à propria ipſorum ſignificatione nimium detorquere: Ita enim ſignificant Angelorum miniſterium, vt illud per tale objectum ſignificent, nimirum per aſcenſum, & deſcenſum. Vidit ſine dubio inſtantiam hanc Maldonatus, ideò fortaſſe ſubdit: ſi quis tamen contentioſius vrgeat, oportere, vt verè alij aſcendant, alij deſcendant. Reſpondebo aſcenſuros alios à loco judicij in Cœlum nuncia ad Patrem Chriſti deferentes, deſcenſuros verò alios, qui cum Chriſto venerint, & illi aſſiſterint judicanti.

Sed non ſatis intelligo, quo ſenſu, quove conſilio dicit aſcenſuros alios à loco judicij in Cœlum nuncia ad Patrem Chriſti deferentes, fatemur quidem omnes
Pſal. 112. v. 5. Deum Patrem in Cœlis habitare: nam quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in Cœlis habitat cæterum dicitur Deus Pater eſſe in Cœlis, quia quamuis vbique ſit, ibi tamen ſuam gloriam Angelis, ac Beatis manifeſtat: at eo die, vt Propheta loquitur: Aduocabit Cœlum deſurſum, hoc eſt omnes omnino Cœli habitatores, vt ex-
Matth. 25. plicat Bellarm. juxta Chriſti Oraculum. Cum venerit filius hominis in Majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo. Omnes, ait, ergo in die judicij infert Cornelius, ne vnus quidem Angelus manebit in Cœlo. Ergo Pater erit in Cœlo eo die ad eum modum, quo vbiq; eſt; modo autem ſpeciali dicetur potius eſſe in ipſo loco judicij, quia ibi omnis Trinitatis gloria potiſſimũ elucebit. Quid ergo ſignificat illud, aſcenſuros à loco judicij in Cœlum, nuncia ad Patrem Chriſti deferentes? Sed quoniam reſponſio iſta videtur excogitata ad ſaluandam proprietatem verborum illorum: *aſcendentes, & deſcendentes*. Dico neque illam ſaluare, qui non dicitur aſcendentes ad Patrem, & deſcendentes ad Filium hominis, ſed aſcendentes, & deſcendentes ad filium hominis.

Atque

Atque hinc desumo argumentum generale contra omnes sententias hactenus indicatas, quia extrà Mysterium Sacrosancti Sacrificij, quæ erit nostra sententia, nullo modo saluari potest veritas verborum Christi, si in sua proprietate rigorosè accipiantur, quia huiusmodi ascensus, & descensus præsupponit filium hominis esse simul sursum, & deorsum, vt sensus sit ascensuros ad filium hominis, & rursus ad eundem filium hominis descensuros. Extrà autem Mysterium Eucharistiæ, nusquam est filius hominis, & simul sursum, & deorsum. Dixi si rigorosè accipiantur, & loquamur de filio hominis secundum humanitatem, nam cæteroquin Christus etiam cum esset in terra, dixit illud Ioannis 3. *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, filius hominis, qui est in Cœlo. In terra erat*, ait Augustinus, *& in Cœlo se esse dicebat. Filius hominis, qui est in Cœlo. Vt intelligamus*, ait August. tract. 17. in Ioan. *Vnam personam esse Christum Deum, & hominem, non duas, ne fides nostra non sit Trinitas, sed Quaternitas.* Sicut ergo fatendum est etiam ante ascensionem in Cœlum, filium hominis fuisse in Cœlo, ita nec possumus negare etiam post ascensionem de terra filium hominis esse in terra, etiam extrà Mysterium, quia filius hominis, & filius Dei non sunt duo filij, sicut nec duo Christi; cæterum quia naturæ duæ sunt, dicimus secundum humanam naturam, non esse simul sursum in Cœlo, & deorsum in terra; sed vel tantùm deorsum, vt quando agebat in terris: & sedebit in loco Iudicij; vel tantum sursum, vt fiet post diem Iudicij, quando subtracta scala, & clausa porta Cœli, Angeli non habebunt amplius, ad quem descendant.

Sed vtrum in eo rigore seu potius proprietate omnia, & singula præsentis oraculi verba sint accipienda, dubitare quis meritò possit, tum quia non videtur tanta vis facienda in minutis, cæteroqui voculis, dictionisque particulis, tum quia plerique sacrorum Interpretum, magnum in ea loquendi forma Mysterium non agnouerunt. Video non defuturos, qui hæc dicant, sed quid respondit Magnus Basilius pro quibusdam syllabis Sacræ Scripturæ; *non propterea*, inquit, *quod alicui videbuntur minuta, ob id videri debent & negligendæ; immò quoniam difficilis est inuentu, veritas vndique nobis est vestiganda.* Plerunque quædam, ait Basilius, sic minima sunt, vt eadem sint magna, prolationis quidem compendio exigua; atque ob id fortasse contemptui obnoxia, sed rerum significatarum vi magna, ad similitudinem sinapis, quod cum sit minutissima inter arida legumina, si iusta cura adhibeatur, explicat vim in ipso latentem, & exurgit in altitudinem suo se robore sustentans. Quæ sanè sicubi habeat locum, habeat profectò maximum in Verbis Christi. Sed præter hæc, quæ generalia nimis fortasse videbuntur, habeo horum ipsorum Verborum interpretem Augustinum, qui non semel, nec perfunctoriè demonstrat Angelorum hunc ascensum, & descensum ad filium hominis præsupponere ipsum filium hominis, secundum suum corpus, esse sursum, & esse deorsum. Ecce Augustini verba Serm. 40. de Verbis Domini. *Si Angeli*, inquit, *descendunt ad illum, hic est, si ascendunt ad illum sursum est, si autem ad illum ascendunt, ad illum descendunt, & sursum est, & hic est. Nullo pacto fieri potest vt ad illum ascendant, & ad illum descendant, nisi & ibi sit, quo ascendunt, & hic sit quò descendunt.* Hæc Serm. 40. Sapiebat huiusmodi cogitatio Augustino, idcirco sæpissimè eum reuoluebat. Quare Sermone 41. eundem commemorans locum, & resumens. *Non diceret ascendentes ad filium hominis, nisi sursum esset*,

De Spiritu Sancto. c. 1.

In Euang. S. Ioann.

non diceret descendentes ad filium hominis, nisi deorsum esset, ipse sursum ipse deorsum. Vides acceptionem horum verborum in hac litterali, quam sonant proprietate non esse ita scrupulosam, vt sacro interprete non sit digna, & quod in

Lib. de in Proœm. vniuersum adnotauit Basilius conari in quaque dictione Scripturæ, quid in quaque syllaba reconditi sensus lateat, perscrutari eorum tantùm esse, qui de sacris Litteris magnificè sentiunt, in quo planè omnes Ecclesiæ Patres excelluerunt, qui in suis Commentariis demonstrarunt id, quod Hieronymus dixit illis verbis: Singuli sermones, syllabæ, apices, puncta in Diuinis Scripturis plena sunt sensibus. Sed discutiendum hoc loco esset, qua ratione Augustinus sua interpretatione præluceat nostræ sententiæ. Nam ipse ita ad propositam quæstionem vbique respondet, vt nullo modo recurrat ad Mysterium Eucharistiæ. Fateor Augustinum aliam à nostra inire viam expediendæ difficultatis, nostræ tamen non repugnantem, immò ex vna, quæ hic præcipua est parte fauentem, quia ipse præsupponit hæc verba pertinere ad statum præsentem Ecclesiæ post Christi in Cœlum ascensionem secundum humanitatem: ideo illud primum, quod filius hominis sursum sit declarat per illam Domini vocem ad Paulum: Saule, Saule quid me persequeris.

Serm. 40. *Qui ait, Saule, Saule, vnde clamat? de Cœlo? Ergo sursum est.* Itaque in explicando ascensu ad filium hominis habebimus expressè pro nobis Augustinum, in explicando autem descensu ad eundem filium hominis, satis ad propositum nostrum erit, si contrarium non habeamus, nam ipse ita recurrit ad Corpus Christi mysticum, quod est in terra, vt de corpore reali sermonem non habeat, quod profectò non est interpretationem dogmaticam negare, sed moralem inculcare.

Serm. 41. *Ipse*, inquit, *sursum, ipse deorsum, sursum in se, deorsum in suis, sursum apud Patrem, deorsum in nobis; vnde, & vox illa ad Saulum, non diceret Saule, Saule, nisi quia sursum erat; non diceret, quid me persequeris, qui sursum erat, nisi esset & deorsum, sursum enim Saulus non persequebatur; timete Christum sursum, agnoscite deorsum. Habe Christum sursum largientem, hic agnosce indigentem. Hìc pauper est, ibi diues est.* Ostendit igitur hic Augustinus, filium hominis esse deorsum ratione sui corporis Mystici, quod est Ecclesia, quod sæpius admonet, alibi facit præcipuè cum ad populum diceret.

Neque mirandum est Augustinum à propria, & primaria significatione filij hominis deflectere voluisse ad secundariam, & mysticam, intelligendo scilicet de corpore illius, quod est Ecclesia, quando hoc etiam loco per Angelos ascendentes, & descendentes voluit viros Apostolicos intelligere ascendentes quando perfectis perfecta prædicant, descendentes, quando paruulis, & imperitis simplicia, quæ intelligere possunt insinuant. Verum enim verò sicut in sensu proprio, & litterali per Angelos intelliguntur beati Spiritus, qui sensus proculdubio non excluditur ab Augustino, sed præteritur, ita licet prætereatur hoc loco ab Augustino acceptio filij hominis deorsum secundum eandem proprietatem naturæ, per quam est sursum, non propterea fit vt ab illo huiusmodi acceptio excludatur.

Quod si quis roget, quando Christus loquutus est de Angelis descensuris ad filium hominis, sensit ne iuxtà sensum explicatum ab Augustino, an iuxtà sensum à

Lib. 12. Conf. c. 31. nobis indicatum? Producam in medium pro responsione iudicium ipsum Augustini; quæ nimirum sint partes boni interpretis inter duos litigantes de germano sensu Scripturæ. Si enim alter dicat hoc sentit Moyses, quod ego, & alter dicat, im-

mò & illud quod ego, religiosius me arbitror dicere ait Augustinus. Cur non vtrumque potius, si vtrumque verum est? Et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non; & illud vidisse credatur, per quem vnus Deus sacras Litteras vera, & diuersa visuris multorum sensibus temperauit. *Sensit ergo* concludit Augustinus, *sensit ille omnino in his verbis, atque cogitauit, cum ea scriberet. Quidquid veri hic potuimus inuenire, & quidquid nos potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inueniri potest.* Ecce iudicium Augustini. Quod sitam magnificè sentit Augustinus de verbis Moysis, quid dicendum de Verbis Christi, qua ratione negabimus ea sensibus omnibus veris plena fuisse? *Ego certè*, ait Augustinus, *si ad culmen authoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, vt quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam vt vnam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, vt excluderem cæteras, quarum falsitas, me am posset offendere.* Si ergo Augustinus, si vnusquisque mortalium sic mallet scribere, aut loqui, vt quidquid veri in eius verbis posset quis inuenire per totam æternitatem, eius verba de facto resonarent. Cur non dicemus de Christo, qui est Verbum Patris primordiale, talia de facto verba sibi condidisse, & vsurpasse? Sentit ergo Augustinus quod Christus sensit, quia verum sensit; sed quia Augustinus etiam sensit sensisse Christum quidquid præterea sensuri essent, quicumque vera sentirent. Ideo dicimus ex eiusdem Augustini consequentia Christum iuxtà nostrum quoque sensum sensisse, quia & nos vera sentimus. Vter autem sensus sit prior, & potior ex dicendis constabit.

CAPVT XIX.

Proponitur breuiter historia quæ dedit occasionem præsent vaticinio.

VT viam sternamus ad germanam & litteralem explicationem huius loci, repetenda historia est, quæ dedit occasionem vaticinio. Nihil enim magis confert ad assequendum genuinum sensum Scripturæ, quàm eiusdem scopi, & intentionis inuestigatio, quæ profectò in historiæ circumstantiis examinandis posita est. Ergo Nathanael veritatis testimonio verus Israëlita, qui scilicet non solum secundum carnem, sed etiam secundum spiritum filius erat Magni illius Patriarchæ, qui Iacob in natiuitate à parentibus, ætate autem matura Israël ab Angelo nominatus fuit. I. *Quæ præsentis vaticinij fuerit occasio.* *Genes. 32.*

Is magno tenebatur desiderio inueniendi Messiam illum promissum in lege à Moyse, & Prophetis, quem iam in terris visum esse fama vulgauerat, vel ex illo Baptistæ testimonio: Medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis. *Ioan. 1.*

Cumque aliquando solus remotis arbitris ad arboris vmbram secum ipse tantum negotium animo reputaret: Ecce tibi Philippus, qui sequutus erat Christum vsque Canam Galilææ, quæ erat patria Nathanaelis. Inuenit Philippus Nathanael, & quidem, vt ait Cyrillus, non casu aliquo, sed multo quæsitum studio inuenit; immò si diligenter aduertamus, ex Christi peculiari consilio, voluntate, *l. 2. c. 14.*

& instructione id factum esse censebimus, neque ob alium finem Christum è Iudæa in Galilæam voluisse descendere existimabimus, & iussisse Philippum sequi, nisi, vt illum verum quæreret Israëlitam. Accipe verba textus. *In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum; & dicit ei Iesus: sequere me*, & statim commemorata Philippi Patria, quæ erat in Galilæa, subdit Euangelista: *inuenit Philippus Nathanaelem;* itaque Galilæam cogitans, iussit Philippum sequi, qui sine dubio, vt benè Toletus tunc Christum euntem in Galilæam sequutus est; ad quem autem finem dixerit illud: *sequere me*, nihil præterea addendo, & responsum nullum expectando, manifestum fit ex proximo ministerio. Cum enim peruenisset Canam, tunc statim quæsitum iuit Nathanaelem, qui erat de Ciuitate illa, & inuentum ad Christum duxit. Neque pigeat te lector iterum obseruare illud: *In crastinum voluit exire*, nam quando in Scriptura notantur tempora, vt monet Gregorius, mysteria indicantur. In crastinum ergo, seu crastina die, ab illa nempe die vt probat Toletus, in qua Petro dixit: *tu vocaberis Cephas*, quod nomen Syriacum, non qualemcumque lapidem, sed magnum lapidem, qualis in fundamento ponitur significat. Primo, ac fundamentali lapide designato statim ad Ecclesiæ ædificium designandum exire voluit. Ideò non per se, ipse, sed per Philippum, quasi missum ad exitum viatum vocauit Nathanae-

Tract. in Ioan. lem tanquam verum Israël, & tanquam suam Ecclesiam vt videbimus cum Augustino. Ego pro magnitudine veri, ne casu accidisse putes, ait Rupertus, voluntatem Christi Euangelista præmisit. Voluit quasi diceret, volens omnino pro-

Isai. c. 9. phetiam Isaiæ implere dicentem, sicut illam explicat Matthæus de Christo inci-

c. 4. piente ædificare Ecclesiam in Galilæa *terra Zabulon, & terra Nephthali, Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam*, volens hanc prophetiam implere. Exiuit, quo verbo Ecclesiam generaliter quoque conuocandam insinuat, & ideò fortasse non ad Galilæam inferiorem, sed ad superiorem exiuit, quæ Galilæa Gentium dicebatur, tùm quia erat vicina Gentibus Tyriis, & Sidoniis, tùm

3. Reg. 9. quia ea illius pars, quæ à Salomone data fuit Hiran Regi Tyri, à gentibus habitabatur vt communiter docent Interpretes & de ista loquitur Isaias, quod vidit lucem magnam, & habitatoribus in regione vmbræ lux orta est eis.

Benè ergo vt historiam prosequar, quærens Philippus Nathanaelem inuenit, ait Rupertus, vt eum participem præsentis faceret gaudij, & iuxtà nomen suum (Philippus N. interpretatur os lampadis) proximum suum illustraret. Festinat lumine boni nuncij. *Quem scripsit*, inquit, *Moyses in lege, & Prophetæ inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth*, Magni profectò nuncij baiulus Philippus fuit. *Inuenimus*, vox est afferentis rem nouam, & magni momenti, & pretij, & studio, desiderioque expectatam, atque cupitam; neque dubium esse potest, quia verus Israëlita, qui expectabat consolationem Israël, ad illam vocem gaudio perfunderetur sed viro perito in Scriptura ait Chrysost. difficultates iniciebat Sermo Prophetæ Christum de Bethleem futurum prædicentis, ideo Nazareth audiens non negando sed admirando potius, & dubitando. Ait à Nazareth potest aliquid boni esse, res erat non ita facilis vt posset solui à Philippo, neque enim tunc sciebat triplicem illam distinctionem de Patria Christi, de Bethleem, in qua natus, de Nazareth, in qua educatus, & de Capharnaum, in qua domicilium suæ prædicationis posuit ex illa tamen ignoratione non exiguum fructum percepit vter-

que, uam & Philippus ne ſe in ea, quæ neſciret in gereret, humili, prudentique vſus conſilio ad Chriſtum, qui verè Doctor erat venire inuitat, à quo totius nodi ſolutionem acciperent. *Veni*, inquit, *& vide* quibus verbis Philippus Doctorem mirifice commendauit; eſt enim ſenſus, vt ait Cyrillus lib. 2. cap. 15. *Si videris ſolummodò, ſi ſermonem cum eo conferas facillimè mihi aſſenties, ipſum procul dubio eſſe, qui expectatur.* Credere autem oportet, ſubdit Cyrillus, ineffabilem quandam gratiam in ſermone, ac Verbis Chriſti fuiſſe quibus auditorum animi magna jucunditate allicerentur. Nathanael verò partim ſua admiratione impulſus, partim à Philippi verbis allectus venire non detrectauit, in quo jure admiratur Toletus (qui Nathanaelem cum aliis doctum fuiſſe opinatur contra id quod ſupra probauimus,) prudentem hominis humilitatem. Vir doctus, in ſcripturis verſatus, audit ab homine illiterato rem nouam, & ſummi momenti, ſcit ſcriptum per Prophetam Chriſtum de Bethleem Iudæ venturum, audit Galilæum, & de Ciuitate infima prudenter admiratur, ac dubitat; & tamen non ſolum non omnino negat, non ſolum non exprobat Philippo ipſum deceptum eſſe, ſed duci ab illo patitur, vt videret, & diſceret veritatem. Venit ergo Nathanael ad Chriſtum, & quidem ſine dolo, non ſicut cæteri Scribæ, legiſque Doctores calumniandi ſtudio, & contradicendi, ſed humiliter addiſcendi.

Sed quid ad tanti diſcipuli aduentum Magiſter veritatis? *Vidit Ieſus Nathanaelem venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.* Vidit plane oculo benigniſſimo, & læta hilarique fronte, quod tanta verborum commendatio oſtendit, aduenientem excepit.

Ecce dignum vtique ſpectaculo illum eſſe ſignificat, ait Rupertus, dicendo: Ecce, ecce inquit verè Iſraëlita, & addendo: Verè opportunam facit Iſraëlitarum diſtinctionem, neque enim omnes, qui ſecundum carnem ex Iſraël ſunt, hi ſunt Iſraëlitæ, ſed ille tantùm tanquam verus filius Iſraël, Electorum Eccleſiam repræſentare poteſt, in quo dolus non eſt, qui ſcilicet recto, & mundo corde Patrem Deum, & qui miſſus eſt, Ieſum Chriſtum videre, & cognoſcere ſitit. *Talis eſt populus Chriſtianus*, ait Auguſtinus, *qui ſi minus in hoc ſæculo eſt Iſraël, hoc eſt videns Deum in re, eſt tamen Iſraël in ſpe.* *Aug. ſerm. 40.*

Verum hic merito extollit Auguſtinus perſonam Nathanaëlis ex tanto Chriſti teſtimonio. *Magnum teſtimonium hoc*, ait Auguſtinus, *nec Andreæ dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, ſed dictum eſt de Nathanaele: Ecce verè Iſraelita. Quid ergo facimus, fortaſſe deberet iſte primus eſſe in Apoſtolis, & non ſolum primus non inuenitur in Apoſtolis, ſed nec medius, nec vltimus inter duodecim Nathanael, cui tantum teſtimonium perhibuit Filius Dei.* *Tract. 13. in Ioan.*

Quid ad tale teſtimonium Nathanael reſponderit videamus. Profectò non intumuit laudibus, ait S. Chryſoſtomus; neque his obuiam factus eſt, ſed perſcrutari pergit, vt de eo certi aliquid intelligat, ideò dixit: Vnde me noſti? Hic incipiunt Myſteria. *Reſpondit Ieſus, & dixit ei: priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te.* Mirabilis planè res, ad illam vocem *vidi te ſub ficu*, prorupit ſtatim Nathanaël in excellentiſſimam confeſſionem. *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael.* Primo *Rabbi* Doctorem, & Magiſtrum vocat, non qualemcumque, vt enim obſeruat Toletus in cap. 1. Ioan. apud Hæbræos Rabbi excellentioris eſt ſignificationis, quàm apud Latinos, & Græcos Magiſter, quia

est à verbis Rab, quod significat multiplicare, quare homo multa scientia, & virtute præditus, & propterea ab Euangelista veterum est vbique Rabbi, quod dicitur, interpretatur Magister. Secundo, Filium Dei prædicat, nec qualemcumque, sed illum, quem scripserat Moyses in lege, & Prophetæ. Ideo prædicauit cum articulo, *Tu es ille Filius Dei.* Tertio, Regem Israel appellat, illum intelligendo, de quo Zacharias, *Ecce Rex tuus venit*, ideò hic etiam additus est articulus, *Tu es ille Rex Israel.* Sed quid magnum vidit Nathanael, cum se sub ficu visum audiuit, profectò non solum nouit se latentem sub ficu visum à Iesu, sed se, totumque genus hominum in Adæ lumbis inclusum, & sub peccato captiuum, quod per ficulneam significatur ex D. August. cujus foliis contra peccantem Adam fuisse subtectum. Propterea Christus Dominus subdidit Nathanaeli. Propterea *maius his videbis. Magnum vidisti, maius videbis. Amen, Amen dico vobis, videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis. Aspice*, ait Cyrillus, *Nathanaelis fide poleta, ad omnes communiter vertit sermonem. Angelos autem sursum, atque deorsum ad filium hominis venturos annunciat, mandatis videlicet suis ad salutem credentium ministrantis.*

CAPVT XX.

Explicatur authoris scientia de Angelis ascendentibus, & descendentibus supra filium hominis.

Et declaratur quomodo Angeli ministrent Sacrosancto Eucharistiæ sacrificio.

EX hactenus prænarratis, & ponderatis historiæ circumstantiis, manifestum est Prophetiam istam de Angelis ascendentibus, & descendentibus super filium hominis pertinere ad statum Ecclesiæ, qui status non est captiuorũ sub ficu Adami, sed filiorum sub cruce Christi. Quare non est facienda vis in illa voce: *Videbitis* quasi visio aliqua intuitiua, aut imaginatia Angelorum promissa fuerit discipulis tunc viuentibus Etenim juxta phrasim Scripturæ, idem est: Videbitis cœlum apertũ, ac si dicatur: Et erit omnibus mirantibus, & gaudentibus Cœlum apertum: Sicut enim, quod viderat magnum Nathanael, non oculo sensus vidit; ita quod illi, & omnibus à se visum est promittitur, non ad oculum sensus pertinet, sed ad oculum longè acutiorem, & certiorem, qui est oculus fidei.

Et quoniam, quod hactenus ostensum est, totum hoc Christi Oraculum ad statum Ecclesiæ pertinet, vt videamus quàm perfectè impletum sit; examinabimus illa duo. Primo, quando, & quomodo apertum sit Cœlum, & quotidie aperiatur. Secundo, quando, & quomodo Angeli Dei ascendunt, & descendunt ad filium hominis.

Et primo certum est, illo ipso temporis momento quo cruentum Redemptionis humanæ sacrificium consumatum est; cum scilicet *Iesus iterum clamans voce magna emisit spiritum.* Cœlum tot sæculis clausum, à summo vsque deorsum apertum esse. Signauit tunc temporis circumstantiam Euangelista, quod obseruauit Au- *Matth. 27.*

gustinus. Cum enim dixisset: *Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum*, continuò subjecit: *Et ecce velum Templi scissum est. Quo verbo*, inquit, *Augustinus satis expressit tunc esse scissum, cum Iesus emisisset spiritum.* Quid autem hoc significaret, explicauit Apostolus ad Hebr. quod vbi causam mysterij reddens, cur Sanctum Sanctorum semper esset clausum, & velatum, ita vt nemo ex minoribus Sacerdotibus illuc vnquam ingredi posset. Hæc ait. *Hoc significante Spiritu sancto non dum propalatum esse Sanctorum viam*, hoc est vt benè Anselmus cum communi, non dum esse apertum, & patefactum hominibus iter, quo possent peruenire vsque ad Sanctum Sanctorum, id est intrare secreta Cœlorum. Quod autem hæc via ad Sanctum Sanctorum Cœli aperta sit primo quando summus Pontifex noster Iesus obtulit se in Cruce oblationem, & hostiam pro peccatis totius mundi; significauit ibidem Apostolus commemorando solemnem illum introitum in Sancta Sanctorum in die expiationis quando peccata totius populi Pontifex expiabat per cruentum sacrificium. Per illum enim suum introitum non sine sanguine in interiora veli prædicebat, & prædicabat Christum per proprium sanguinem aperturum nobis Cœlum; Vnde illo in cruce moriente, Velum Templi scissum est, qua re indicabatur Cœlum antea nobis velatum, clausum, & imperuium per mortem Christi pandi, & aperui. Quia enim vt ait Euthym cap. 63 in Matth. *Interiora Veli, figura erant Cœli, exteriora verò terram figurabant.* Scissum enim Velum significabat, diuisum jam esse medium parietem inter Cœlum, & terram, qui inter Deum erat, & homines, & factum esse Cœlum hominibus peruium, soluto enim per illum obstaculo medio; atque hinc factum est, vt quod dici non potuisset ab initio Abeli innocenti, dici potuerit postea latroni pœnitenti paulo videlicet ante consummationem sacrificij: Hodie mecum eris in Paradiso. Hodie omnino ante solis ocubitum. Et sane est contemplatione dignissimum, qua ratione quod agebatur in Templo visibili erat imago eorum, quæ in Ecclesia inuisibili agebantur. Etenim illo ipso temporis momento, quo Sanctum Sanctorum per Veli scissionem apertum est; quod sanè fuit illud, in quo sacerdos noster emisso spiritu descendit ad Inferos, illo inquam ipso momento communicata est animabus omnibus Sanctorum. Gloria visionis Beatificæ, & patefacta est illis absque vllo Velo diuina essentia, jussis interim Principibus Cœli ad indictam diem suas portas attollere, & portis ipsis æternalibus eleuari ad introitum Regis Gloriæ ascendentis in altum, & captiuam secum ducentis captiuitatem.

Aug. lib. 3 de Con. cap. 19.

Hoc nimirum ait Rupertus verbis illis Christus videndum repromisit *Amen, Amen dico vobis, videbitis Cœlum apertum, scilicet per Passionem suam Cœlum esse aperiendum, futuramque Angelorum, & hominum concordiam, quia prius inter se discordes fuerant, clauso hominibus Cœlo & substracto pariete inimicitiarũ propter originale peccatũ. Non enim fuerat hactenus ille Angelorũ & hominũ consensus, vt venientes sancti Angeli, exeuntes de corporibus animas beatorũ hominum per patentes portas Cœli inferrent, vt nunc faciunt venerãtes, & adorantes in Rege, ac Deo suo naturam hominũ.* Hæc Rupertus, qui benè explicat qua ratione verum est, esse jam Cœlum apertum. Sed (quod potissimum hoc loco propositum erat) qua ratione Angeli Dei ascendant, & descendant, non quocumq. modo, aut ministerio propter homines, sed ad filium hominis, hoc tandem est explicandum.

Ephes. 2.

Dicimus ergo quod ſicut Cœlum apertum habemus per ſacrificium humanæ Redemptionis, ita Angelorum aſcenſum, & deſcenſum ad filium hominis habemus per Sacroſanctum Euchariſtiæ Myſterium, in quo eſt ſacrificium Chriſtianæ Religionis. Ad verificandum enim hujuſmodi Oraculum in ſua proprietate requiruntur illa duo, quæ per verba ſignificantur. Primum eſt vt filius hominis, qua homo eſt, & ſurſum, & deorſum ſit. Secundum vt Angeli ad illum aſcendant ſurſum, & ad illum deſcendant deorſum.

Et primo quod per hoc Myſterium filius hominis, qui in propria ſpecie ſurſum eſt, idem per hoc Myſterium ſit deorſum, quamvis ſub alia ſpecie, eſt ſententia fidei, quam explicat Trident. ſeſſ. 13. c. 1. & contra hæreticos probat Bellarminus, ex Verbo Dei, & ex teſtimoniis Patrum. Quod autem extra hoc Myſterium Chriſtus vel tantum ſurſum ſit, vel tantum deorſum, docent Doctores Catholici contra Vbiquiſtas, qui aſſerebant Chriſti Corpus per vnionem ad Verbum ſemper reipſa, & de facto fuiſſe ſurſum, & deorſum; immò vbique, nec poſſe redigi ad vnum locum.

Tom. 2. contro.

Hæc ſimultanea filij hominis, & ſurſum, & deorſum exiſtentia, & præſentia ſurſum ſub ſpecie viuentis, deorſum verò ſub ſpecie non viuentis, videtur per luculentiſſimam figuram adumbrata, pariter, & promiſſa, Geneſ. 20. vbi de Patriarcha Iacob jacente, & dormiente ſuper lapidem, quem deinde erexit, & conſecrauit in Altare, dicitur: *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cœlum & Dominum innixum ſcalæ.*

Ecce hic habes duos, alterum ſurſum innixum ſcalæ, alterum deorſum jacentem in lapide. Qui ſurſum incumbembat, filius hominis futurus erat, qui deorſum jacebat Domini Saluatoris Typum gerebat. *Sed ſi Iacob*, inquit, Auguſtinus, *in terra dormiens, Dominum figurabat. Quid eſt quod in Cœlo Dominus ſcalæ innixus incumbembat? Quomodo Chriſtus Dominus & in cacumen in Cœlo, & in Beato Iacob eſſe videbatur in terra?* Quidquid ad hoc dubium reſpondeat Auguſtinus, ſatis ſuperque ſit nobis pro reſponſione Myſterium. Sicut enim Beatus Iſaac ſingulariter Chriſtum repræſentauit, in quantum Victima fuit ſacrificij Redemptionis; Et Beatus Iacob ejuſdem Chriſti expreſſiua figura extitit, in quantum Victima eſt ſacrificij Religionis, ſentit ſenex Pater peculiarem odorem ejus victimæ. Et vt verbis Bernardi vtar: *præſenſit Chriſtum ſenex caligans viſu, ſed odoratu ſagax, quem videlicet Iacob, quaſi plenus, & fœcundus ager jam virtute continebat. Ecce inquit odor filij mei ſicut odor agri pleni.* Sed qualis fuit odor ille agri tantopere commendati, vtique odor Veſtimentorum hoc eſt ſpecierum Panis, & Vini fuit, *vt ſenſit veſtimentorum illius Pagantium.* Huc reuoco ſententiam Toſtati ſuper hunc locum; Odorem ſcilicet agri pleni, non per ſe delectabilem, aut jucundum eſſe, ſed tantū per accidens, quia plenitudo ejus ob abundantiā frumenti, & vini eſt homini ſuper omnem ſuauitatē odoris jucunda, & delectabilis, alioquin nec frumenta, nec vineæ præcipua agri bona jucundum per ſe ac ſuauem odorem reddunt. Sed quidquid ſit de hac opinione Toſtati, quam examinat Pererius, certe Thargum Hieroſolym. interpretatur odorem illum, odorem ſacrificij. Ex iis, inquit, quæ tandem offeruntur in monte vbi erat Domus Sanctuarij ſiue Templum cui benedixit Dominus, quam quidem benedictionem ſtatim explicat per abundantiam frumenti,

Serm. 47. ſup. Cant.

Gen. 27.

In cap. 27. Gen.

frumenti, & vini. *Frumentum & vinum* ait Theodoretus *Ænigmata sunt Diuinorum Mysteriorum* & Augustinus, eius est multitudo, quam colligit frumentum, & vinum in Sacramento Corporis, & Sanguinis eius. Sed quid est quod palpato eo, dixit Isaac: vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esaü? An non & illud significat, quod obseruauit quoque Cornelius ex omnibus sensibilibus quæ sunt in Eucharistiæ sacrificio solam vocem esse Iacob, seu Filij Dei? Dum enim dicitur: Hoc est Corpus meum, Mysticus vtique Iacob noster loquitur, qui falli, aut fallere non potest. Cætera fallerent omnia, quia sunt Esaü, color enim, sapor, & cætera omnia panis, & vini sunt, sola illa vox, vox Iacob est. Sed fortasse est vox Iacob, vt Sacerdos est, vt in propria specie est, vt in forma viuentis, & videntis, immò, & loquentis, denique, vt in cacumine scalæ in Cœlo est, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi, ita planè, nam in quantum victima Altaris est, ipse Dominus in Iacob, & iacente, & dormiente, quasi sub specie non viuentis est. Itaque Dominus sursum, & deorsum est. *Quæst. 11 in Genes. lib. 16. de Ciuit. c. 37.*

Constitutis autem his quasi cuiusdam viæ terminis, Christo videlicet sursum in Cœlo, vt Sacerdos in æternum est, & Christo pariter in Altari vt victima Mundi est, facile erit ostendere Angelos Dei ascendisse, & descendisse ad filium hominis.

Et primo probamus hoc est Mysterio Angelorum ascendentium, & descendentium per scalam Iacob hoc argumento.

Illud est verbis Christi prædictum vero Israëlitæ gerenti typum Ecclesiæ, quod fuit ostensum B. Iacob, qui post benedictionem appellatus est Israël: Atqui Beato Iacob ostensum fuit Mysterium Angelorum ascendentium à Christo sursum, & descendentium à Christo deorsum in tremendo Eucharistiæ Mysterio. Ergo hoc prædictum fuit verbis Christi, atque hoc de facto contingit in tremendo Eucharistiæ Mysterio. Singulæ propositiones sunt probandæ. Ac maior quidem propositio nititur vnanimi consensu omnium Patrum, qui docent Christum suis verbis allusisse visioni Iacob, eamdemque significationem vtrobique inclusam esse. Satis sit nunc vnus pro cunctis Augustinus. Qui pluribus in locis disputat super hoc argumento, & primo Sermone 40. de Verbis Domini in Euang. S. Ioan. *Recolamus*, inquit, *veterem Historiam conscriptam in libro Sancto, idest in Genesi, quando Iacob obdormiuit, viditque in somnis scalam: Somnium hominis non scriberetur, nisi magnum in illo aliquod figuratur? Modo autem istum Nathanaelem attendite per cuius occasionem Dominus Iesus exponere nobis voluit visionem Iacob. Quando audis: Ecce vir Israëlita, veniat tibi in mentem Israël, cum venerit in mentem tibi Israël, veniet tibi in mentem somnium illius, in quo somnio vidit Angelos Dei ascendentes, & descendentes. Si ergo Iacob vidit scalam, qui est & Israël appellatus est autem, & Nathanael ille vere Israelita; ideo dixit somnium Iacob; cui dixit? ei quem appellauit Israelitam, quasi diceret: cuius nomine te appellaui, ipsius somnium in te apparebit, noli festinare mirari, maiora horum videbis. Videbis Cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes ad filium hominis. Ecce quod vidit Iacob, ecce quare perfudit lapidem oleo Iacob; ecce quare Christum Prophetam significauit, & figurauit Iacob: illud enim factum prophetia erat.*

Idem Augustinus libro 12. contra Faustum c. 26. tom. 6. *Cum Nathanel tanquam lapidem illum habens ad caput, confessus cum esset Filium Dei, & Regem*

Iſraël, iſta confeſſione quodammodo vngens lapidem, ideſt ipſum eſſe confitens Chriſtum, ibi opportunè Dominus, & illud commemorauit, quod tunc vidit Iacob, qui poſt benedictionem appellatus eſt Iſraël, & dicit ei: Amen, Amen dico vobis, videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ad filium hominis.

Præterea lib. 16. de Ciuit. c. 30. *Scalam iſtam intelligitur ipſe Saluator nobis in memoriam reuocare in Euangelio, vbi cum dixiſſet de Nathanaele eſſe verè Iſraelitam, quia Iſrael viderat iſtam viſionem (ipſe eſt enim Iacob, eidem ait: Amen, Amen.*

Conſtat ergo ex verbis Auguſtini illud propoſitum eſſe Nathanaeli habenti iam ad caput myſticum lapidem, ſeu confitenti illi eſſe Chriſtum. Quod per ſcalam, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes oſtenſum fuit Beato Iacob.

Quod autem Beatus Iacob viderit tunc in ſomnis Myſterium hoc Euchariſticum, quæ erat minor propoſitio argumenti noſtri, oſtendo tripliciter. Et primo ex Capite 10. Sapientiæ, vbi de Beato Iacob fugiente iram fratris ſui, & ex itinere, cœleſtem illam ſcalæ viſionem habente dicitur, *Oſtendit illi Regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum.* Quid eſt illud *Sanctorum?* obſeruant omnes Interpretes, vocem illam *Sanctorum* non eſſe maſculini generis, ſed tantum neutrius, neque Sanctos, aut Angelos, aut homines ſignificare, ſed ſignificare, Sanctuaria, ſeu loca Diuino cultui, & Sanctis Sacrificiis deputata, & conſecrata. Ita & idem fuerit dicere, dedit illi ſcientiam, ſeu, vt eſt in Græco; Viſionem Sanctorum, ac dedit illi viſionem Sanctuariorum; Templa enim, & Altaria à Sacrificiorum ſanctitate, modo appellantur in Scriptura *Sanctificium*, vt Pſalm. 77. *Et ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra.* Modò *ſanctificatio*, vt Mich. 1. *Et intrauit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit Altare aureum;* modò *Sanctuarium*, vt Exod. 15. *Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Modò *Sanctum*, vt Pſal. 62. *Sic in ſancto apparui tibi.* Modò *Sancta*, Pſal. 133. *In noctibus extollite manus veſtras in Sancta.* Modò *Sanctum*, vel *Sancta Sanctorum*, qua geminatione quidquid eſt valde Sanctum, & Deo maxime dicatum exprimitur in Scriptura iuxtà quem ſenſum accedentes ad Altare oramus, vt *ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introïre.* Dedit ergo Deus Beato Iacob ſcientiam, reuelationem, & viſionem Sanctuariorum, illorumque ſummum Pontificem futurum oſtendit, & Dominum innixum ſcalæ, qualem propemodum deſcripſit Apoſtolus ad Heb. 1. *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera Sedis, magnitudinis in Cœlis Sanctorum Miniſter.* Ecce iterum in eadem acceptione, Vox. *Sanctorum*, quam explicans S. Thom. *Sanctorum*, inquit, *ideſt Sanctarum Ædium, ſeu Sanctuariorum*, & vt legit Syrus, *Domus Sanctæ*, quæ eſt domus Dei. Ex eo autem, quod B. Iacob habuerit cognitionem Templorum, & Altarium ſpectantium ad Pontificatum Chriſti, manifeſtum fit habuiſſe reuelationem Sacrificij Chriſtianæ Religionis. Templum enim ordinatur ad Altare, Altare autem ad Sacrificium, quod quia ſoli Deo offerri poteſt, ideo ſoli Deo erigi poteſt Templum, & Altare.

Secundo hoc idem oſtendo ex verbis iſtis B. Iacob euigilantis, quibus videlicet ſatis declarauit, quod vidit. *Cumque euigilaſſet Iacob de ſomno, ait: Verè Dominus eſt in loco iſto. Quàm terribilis eſt locus iſte. Non eſt hic*, ſubaudi locus,

aliud nisi domus Dei, & porta Cœli. Vides vt totus est in loci sanctitate, & venerabilitate demiranda, & quod obseruauit Rupertus, non ipsum Dominum, sed locum expauescit, & terribilem esse dicit. Sed quid nam pauoris, & timoris per se locus ille poterat habere? eo quia Dominum in eo loco viderat nempe & in aliis locis, tàm ipsi, quàm Patri, & Auo eius idem Deus apparuerat. Ergo non dubium, infert Rupertus, quin augustiorem alium, sanctioremque locum, cuius ille erat figura pertimuerit. Sed quisnam locorum omnium terribilissimus in domo Dei est? Ille vtique vbi tremendum Mysterium, & terribile Sacrificium offertur Deo. Qualem locum Damascenus lib. 2. Pararellorum c. 14. de Ecclesia, & domo Dei Chrysostomi verbis dedit inscriptum apud Ioan. Phelippæum *Altare, cœlestis est Mensa, terrena accipiens, atque in Cœlum transmittens, cœlestia rursum suscipiens, ac terræ subministrans; in terra fixum, ac cœlesti Throno adjacens. Altare enim Angelis quoque ipsis, qui supra cœlestem axem volant formidabile est.* In c. 3. Oseæ.

Ostendo tertio ex iis, quæ Beatus Patriarcha fecit statim, ac surrexit. *Surgens Iacob mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper.* Obserua quid faciat; ac primo, lapidem illum, siue saxum, in quo dormierat eleuat, rectumque statuit. Si quæras finem, hoc fecit in titulum, hoc est, vt explicat Oleaster cum communi, In signum, & monumentum; si rursus quæras in cuius rei signum, & monumentum? profectò, visionis, & apparitionis Angelorum ascendentium, & descendentium super seipsum in illo lapide supposito iacentem, & dormientem. Benè est, sed ad quid oleo lapidem illum inunxit? Quid hoc facit ad signum, & monumentum? *Hoc*, ait Augustinus, *ad prophetiam pertinet, quia enim Christi nomen à Chrismate est, idest ab vnctione profectò figuratum est hinc aliquid; quod ad magnum pertineat Sacramentum.* Lib. 16. de Ciuit. c. 30. Sed age, quod nam tandem est Sacramentum? S. Augustinus omnibus in locis vbi de illo agit semper attexit prophetiā Christi factam Nathanaeli de Angelis ascendentibus, & descendentibus supra seipsum, quem appellat filium hominis. Lege totum Sermonem 40. de Verbis Domini in Euangel. secundum Ioan. vbi inter alia hoc habet. *Quia Iacob intellexit quid vidit, ideo lapidem perfudit oleo, agnoscitis Chrisma, agnoscite & Christum.* Quasi diceret, vidit quidem Angelos ascendentes, & descendentes super se dormientem, sed quatenus ipse Christum super lapidem positum repræsentabat. Itaque quod ait Augustinus illud factum prophetia fuit, & illud idem significauit suo Chrismate Iacob, quod suis verbis Christus, Angelos videlicet ascendentes, & descendentes ad Chrisma, ad Christum, ad filium hominis; quare rectè dixit August. in Serm. Quod Iacob per figuram viderat, hoc de se Dominus in Euangeliis prædicabat. Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes ad filium hominis. Sed cur tandem ita illum lapidem Chrismate super fudit, vt consecrauerit in Altare? Profectò, quia intellexit quod vidit, figuram scilicet Christi, non vbicumque sed in Altari. Et nota admirabile Mysterium. Describit Iacob Chrismate super lapidem Dominum ipsum nixum super scalam, hoc est collocat in Altare illum ipsum, qui pependit in Cruce. *Iacob dormiebat,* ait Augustinus, *& Dominum in cacumen scalæ videbat incumbere; quid est in scala incumbere, nisi in ligno pendere. Considerate fratres, quis in ligno Crucis pendens pro Iudæis orauerit, & agnoscetis, quis ad Iacob scalæ in-*

cumbens de Cœlo clamauerit. Quem igitur Iacob dormiens viderat in ligno ſub propria forma pendentem, eumdem in Altari deſcribit Chriſmatis Sacramento, quaſi ſub aliena ſpecie dormientem: quippe in Altaris Myſterio Chriſtus paſſus & Crucifixus continetur; & Sacrificium Religionis commemoratio eſt Sacrificij Redemptionis. Quod autem hic ſermo ſit de Altari Euchariſtico, quod eſt Altare Chriſtianæ Religionis, cognoſcere etiam licet ex eo quia eſt Altare domus Dei, quæ eſt Eccleſia, quare dixit Iacob. *Lapis iſte*, quem erexi, *vocabitur domus Dei,* ſeu iuxtà Hebræum, & ſeptuaginta *erit domus Dei.*

Altare autem domus, eſt Altare Euchariſticum, non autem Altare Crucis, quod ideo extrà Ciuitatem, & extrà portam fixum eſt, quia non domus, ſeu Templi erat Altare, ſed Mundi; At primum Sacrificium Euchariſticum celebratum, *Luc. 22.* & inſtitutum fuit in domo, & Apoſtoli primique fideles erant frangentes circa domum panem. Et regulariter celebrari ſemper illud debet in domo, quia vt do- *3.p.q.13.art.3.* cet S. Thom. per domum ſignificatur Eccleſia, extrà quam, vt ait S. Auguſtinus non eſt locus veri Sacrificij; quia verò Eccleſia non erat concludenda ſub finibus *In ſent. T. 3. c. 15. in fine.* gentis Iudaicæ, ſed erat in vniuerſo Mundo fundanda, ideo Paſſio Chriſti non eſt celebrata intra Ciuitatem Iudæorum, ſed ſub Dio, vt ſic totus Mundus ſe haberet ad Paſſionem Chriſti vt domus. Ex eo autem, quod domus, in qua Sacrificium Chriſtianæ Religionis celebratur Eccleſiam Chriſti ſignificat, ſic & Eccleſia nominatur. Conſiderare licet cum S. Thom. quod ſicut lapides totius vniuerſaliter domus, vniuerſitatem fidelium repræſentat, ita lapis erectus in Altare repræſentat Chriſtum, & vt appareret lapidem erectum à B. Iacob pertinere ad figuram Altaris Eccleſiæ, & domus Chriſti, factum eſt in Eccleſia vt Altare fiat de lapide, ita vt ſi non ſit lapidem Chriſmatis vnctione non conſecretur, quod quidem ſignifi- *De Conſecr. diſt. 1. c. Alt.* cationi huius Sacrificij competit ait S. Thomas, quia Altare ſignificat Chriſtum, qui eſt lapis principalis huius domus; vnde ad complendam figuram Iacob Chriſmatis vnctione conſecratur; quo intelligitur Sanctitas Chriſti, quæ eſt fons totius Eccleſiaſticæ Sanctitatis, ſicut per conſecrationem domus, Sanctitas totius Eccleſiæ denotatur.

Atque hinc intelligo non ſine magno Myſterio dictum eſſe à S. Iacob. *Lapis iſte, quem erexi in titulum vocabitur domus Dei,* quaſi Chriſtus non ſolum ſit *1. Cor. 12.* Caput Eccleſiæ, ſed & ipſum corpus Eccleſiæ. Iuxtà illud Apoſtoli, *Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus.* Super quo loco Auguſtinus; *non dicit Apoſtolus, ita & Chriſti ſcilicet* corpus, Myſteria, ideſt Eccleſia multa habet membra, ſed dicit: ita & Chriſtus, videlicet eſt corpus vnum, puta Eccleſia, quam explicationem vtpote genuinam amplexus noſter Cornelius, ait, Chriſtus iuxtà Apoſtolum, non tantum eſt Caput Eccleſiæ, ſed & corpus, & ipſa Eccleſia, quia omnia Eccleſiæ membra ſuſtentat, & in omnibus operatur ſicut Hypoſtaſis & ſpiritus totius Eccleſiæ, in cuius ſignificationem ſit, vt nunquam Eccleſia ſine Altari conſecretur, licet ſine Eccleſia quandoque conſecretur Altare cum Reliquiis Sanctorum, quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quia Sanctitas Chriſti, quæ per Chriſmatis vnctionem exprimitur, fons eſt totius Eccleſiaſticæ Sanctitatis; & ideo ait S. Thomas, ſufficit ad peragendum Sacrificium, ſi ſolum Altare fuerit conſecratum, & tunc Altare ſolum eſt veluti totum Templum,

& Ecclesia, & lapis ille vocabitur domus Dei; neque obstat quod ibi videtur esse Metonymia, quasi locatum positum sit pro loco, & sit sensus, locus, in quo est lapis hic erit, & vocabitur domus Dei; nam quòd Spiritus Sanctus hunc loquendi modum elegerit, mysterio planè non vacat, quod indicatum ab Apostolo est.

Atque hic quoque non sine pio animi sensu obseruare libet, eundem scilicet Visionis locum destinari à Deo in domum Iacob, & à Iacob quasi consecrari in domum Dei. Dicit Deus. *Terram, in qua dormis tibi dabo, & semini tuo.* Stabat scala super terram, in qua Iacob dormiebat. Terram ergo, in quâ dormis, ait Deus, tibi dabo & filiis tuis. Ecce destinat illam Deus in domum Iacob. Sed Iacob domum suam consecrat in Ecclesiam, & domum Dei. Et ait *erit mihi Dominus in Deum,* cui scilicet Sacrificium offeram, & lapis iste, quem erexi in titulum *vocabitur domus Dei.* Itaque eadem terra communis fit domus, & eadem domus Iacob est, & domus Dei. Et sanè quod Ecclesia domus Dei vocetur patet 1. Timoth. 3. *vt sciac quomodo oporteat te ambulare in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vini.* Quod autem eadem domus Dei vocetur domus Iacob, pluribus etiam Scripturæ locis constat, sed præcipuè ex Lucæ 1. vbi Angelus, qui fortasse fuit vnus ex iis, qui missi per illam scalam Iacob descendebant, ait: *& regnabit in domo Iacob in æternum.* Mira planè dignatio; quid enim aptius ad significandam dilectionem, & vnionem, immò & familiaritatem, quam offert, & postulat à nobis Deus, & quam inter nos habere debemus. Quam ad eandem pertinere domum, & numerari inter domesticos Dei. Sed quare Ecclesia appellatur potius domus Iacob, quàm domus Abraham, aut domus Isaac? cum & illis etiam Christus sit promissus. Causa illa est. Quia nunquam tota domus Abrahæ, aut tota domus Isaac Ecclesiam repræsentauit; tota dixi, nam neque posteritas Ismaël de domo Abrahæ, neque posteritas Esaü de domo Isaac ad Ecclesiam pertinuerunt: Sed domus Iacob tota cum omnibus filiis duodecim nullo excluso Ecclesiam repræsentauit, quæ est domus Christi.


Sed in quo maximè repræsentauit? profectò in eo, quod eundem planè habuerit habitatorem Christum. Domus enim propter inhabitationem dicitur, & homo propriè domi habitat. De Christo autem peculiari modo dictum fuit in Iacob inhabitare. Inhabitauit quidem Christus, qui fuit heri, & hodie, partem illam veterem huius domus, quia verè ibi in fide, & in figuris reposuit totam suam supellectilem, & pretiosa quæque, Sacramenta, Sacrificium, Religionem, dona Spiritus sancti, & reliqua salutis instrumenta, sed in hac noua parte eiusdem domus, quæ dicitur Ecclesia habitationem suam particularem, & veluti cubiculum Regis habet, quatenus in hac noua ædificij parte, præsentiam habet realem, & corporalem in Sanctissima Eucharistia, vt impleatur illud Matth. 21. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem Saeculi;* sicut enim Christi humanitas gloriosa habitat in Cœlo, sic eadem habitat in Ecclesia per Eucharistiam, in qua sunt tot ciboria; & quia in eadem fide fuit tota domus Iacob, ideo in illa nominata est Ecclesia, domus Christi. Atque hæc est ratio eius, quod dicebamus, cur in domo scilicet Abraham, & Isaac, quæ non fuerunt totæ fideles expresse habeatur figura Sacrificij Crucis; In domo verò Iacob Sacrificij Eucharistiæ, quia Sacrificium Crucis est Sacrificium Redemptionis, atque adeo est Sacrificium commune omnibus fidelibus, & infidelibus, pro quibus omnibus Christus mortuus est; at verò Sacrificium Eucharistiæ, quia Sacrificium Christi familiæ est, est peculiare,

& proprium Domesticorum eius, & quia Infideles non sunt ex Domesticis eius ideò in sacris Canonibus sic legitur. In Ecclesia in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur, sacrificare non licet; sed si apta videtur ad consecrandum, inde auulsis corporibus, & rasis parietibus, & lignis eius loci reædificetur. Porrò sacrificia, quæ offerebantur in tota domo Iacob, seu populo Israel principaliter hoc Domesticorum Sacrificium figurabant, quamuis enim figuratiua etiam essent Sacrificij Crucis, tamen vt rectè Bellarm. Sacrificium Crucis non fuit impletiuum figurarum illarum, nisi quoad ipsam mactationem, & paucas alias cæremonias, multæ autem aliæ figurales cæremoniæ, vt quod in Tabernaculo, aut Templo offerrentur; quod coram multitudine solius populi fidelis; quod manus imponerentur super victimam; quod Victima immolata continuò manducaretur, in Cruce impleri non potuerunt; implentur autem perfectissimè in sacrificio Eucharistico. Quare Patres Ecclesiæ docent Sacrificium Eucharisticum fuisse impletiuum omnium omnino veterum Sacrificiorum: loca Patrum affert Bellarm. Nobis hîc satis sit August. lib. 17. de Ciuit. cap. 2. *Mensa*, inquit, *quam Sacerdos noui Testamenti exhibet, de corpore, ac sanguine suo est; id est enim Sacrificium, quod successit omnibus sacrificiis, quæ immolabantur in vmbra futuri*, propter quod etiam agnoscimus vocem illam eiusdem Mediatoris. *Corpus autem aptasti mihi*, quia pro illis omnibus Sacrificiis, & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur. Quia ergo in vniuersa familia Iacob, seu Israel fides fuit Altaris Eucharistici, per quod habitat, & manet nobiscum etiam corporaliter Christus vsque ad consummationem Sæculi, ideo vna censetur domus Iacob, & eius Altaris Mysterium eius Patriarchæ peculiarissimo modo debuit reuelari, vti factum est quando vidit Angelos Dei descendentes super lapidem, quem statim erexit, & consecrauit, & postea ædificauit, & initiauit in Christi Altare, ad quod fortasse respexit Ambros. de Iacob lib. 2. cap. 4. *Vidit*, inquit, *Angelos Dei ascendentes, & descendentes, hoc est Christum prævidit in terris, ad quem Angelorum caterua descendit, atque ascendit obsequium proprio Domino, pro præbitum seruitio.*

De Consec. dist. 1. c. Eccles. — *Lib. 1. c. 1. de Missa.* — *Psalm. 39.* — *Gen. 35.*

Ex quibus omnibus patet promissam Nathanaëli visionem de Cœlo aperto, & Angelis ascendentibus, & descendentibus supra filium hominis ad mysterium Eucharistiæ pertinere, quod in præsenti capite probandum assumpsimus.

Faxit Deus vt dum in Iacob dormiente Christum in Eucharistiæ latitantem veneramur in terris, ad eundem innixum scalæ, & ad dexteram Patris sedentem, per apertum iam Cœlum pertingere valeamus.



Laus Deo Beatæque Mariæ Virgini, ac B. Nathanaeli Bartholomæo.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM,
quæ in Libris de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio continentur.

Prior numerus numerum, Poſterior paginam indicat.